N.º 7

Lin2

Bni

Bur,

PRAECLARISSIMAE RESPONSIONES, AD MILLE QVAESITA IN OMNI FERE' FACVLTATE.

Ex omnibus Diui Aurelij Augustini libris excerptæ. & in vnum congestæ:

D. IACOBO TRIBESCO BRIXIANO, Canonico regulari Lateranenſi AVTORE.

Cum declaratione canonis, Vitæ canonicæ (ò pater Augustine,) lucerna noſtris pedibus: qui in alijs editionibus non extabat.

Opus omnibus Theologis catholicisq; viris proficuum admodum & vtile.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,

Apud Antonium Ferrarium. M D LXXXIII.

Numerus cuiuslibet Tomi quæstionum sequitur.

Primus Tomus continet quæsita.	99.
Secundus Tomus continet quęsita.	91.
Tertius Tomus continet quęsita.	132.
Quartus Tomus continet quæsita.	77.
Quintus Tomus continet quæsita.	85.
Sextus Tomus continet quæsita.	102.
Septimus Tomus continet quæsita.	103.
Octauus Tomus continet quæsita.	144.
Nonus Tomus continet quæsita.	111.
Decimus Tomus continet quæsita.	75.



ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
MARCO ANTONIO
COLVMNE

S. R. E. Præsbytero Cardinali amplissimo, ac dignissimo & incomparabili Canonicorum Regularium Lateranensium Protectori:

Iacobus Tribeschus, Brixianus, Canonicus Regularis Lateranensis. Fœlicitatem.



VM sæpius ac sæpius, Illustrißime ac Reuerendißime Protector, innumeras, maximasq; tuas virtutes, animo menteq; considero: Necnon & donum Canonicorum Regularium Lateranensium congregationi concessum, vt de tam eximio patrono gaudeat. Qui, non solùm vniuersalia, sed & particularia pro-

tegat. Nomenque, institutum, originem, honorem, mores, & quæcunque alia, ad eiusdem congregationis pacem pertinentia, super humeros deferat: hoc tutoris officium, non satis admirari queo. Qui, vt verè legitimèq; patris Augustini familiæ Protector & Custos designatus fuisti, ad eam ampliandam, reformandam, protegendamq; non dormitasti. Ac si alter Augustinus, institutor, reformatorq; fuisses. Non ignorans hanc solam esse, quæ olim de patris Augustini visceribus nata, producta, stabilitaq; aut erecta fuit: quæ antea ad terram deiecta erat. Abolito in ea victu illo communi, sancto, apostolico: postea denuo restaurato, & reædificato, ad illius famosißimi Salomonis templi similitudinem, quod pluries reædificatum est, vt testantur scripturæ. Nam & ordo iste Canonicus Augustinianus, velut templum reædificatum designatur. Cuius tu, Illustrißime & Reuerendißime pater, es columna. Columna (dico) firmißima, & fortitudo huiuscemodi templi: quis timet? Quis dubitat hoc templum ad terram deijci? cum supra tam grandem Columnam sit firmatum. Et cum sis, Illustrißime & Reuerendisime

dißime

dißime pater, protector & defensor huius Augustiniani templi, quare non es & doctrinæ Augustinianæ. Qua, non solùm canonici ordinis status regitur & illuminatur, sed & vniuersa catholica ecclesia. Ab omnibus enim verè fidelibus, lumen ecclesiæ, & lux doctorum Augustinus proclamatur. Est enim lucerna lucens & ardens. Lucens, ex sua doctrina veracitate plena. Ardens, ex charitate inflammata. Nam ignorans hanc doctrinam, etsi non inscius, parum tamen scius: quod a te, Illustrissime & Reuerendiss. pater, est omnino alienum. Quapropter, volens inscios huiusmodi doctrinæ, ad eius amorem, eorum corda inflammare, ad te, Præsul dignissime, & antistes præstantissime, confugi, tanquam ad virtutum fortilitium: vnde & me quoque, etsi omnium minimum litteras profitentium, contulisse perspexeris. Non ob aliud sciat amplitudo tua, quàm, vt tuo nomine, quæ in lucem dare decreui, firmentur, protegantur, & auctorizentur. Cum ea, quæ scitu summè necessaria, per doctrinam patris Augustini sparsim atq; diffusè traduntur, in breuē quandam Epitomen, faciliori studio, quo potui,

(multis

(multis tamen laboribus atque vigilijs) redegi. Quod opus qualecunque sit, fœlicissimis auspicijs tuis in vulgus profero: idque tibi, Illustrissime & præstantissime pater, in manus tuas dedo & dedico, fideique amplitudinis tuæ ac tutelæ cõmendo. Et non fortuito, sed grauissimis ductus causis: decet enim, tibi, amplissime Protector, Epitomen hanc offerri: cum super Augustinianos Canonicos Lateranenses, primatum teneas. Ideo condecens est, vt & ipsorum patris dicta conserues & defendas. Vale, Illustrissime, & Reuerendissime patrone, diu fœlix.

GABRIEL FLAMMA,
Lectori candido ſalutem.



OCTORVM hominum conſuetudinem ſemper probaui, quantumquè licuit, nunquam ob eorum latere diſceſſi: Nec me pœnitet huiuſce mei conſilij. Factum enim eſt eorum doctrina, vt ego ad eam, quam ſemper à puero habui in literas propenſionem, multum adderem. Quocirca, treſdecim annos natus, Canonicorum regularium ordinem ingreſſus, Iacobo Brixienſi, qui tunc temporis noſtrę militiæ tironibus prę erat, docto homini totum me tradidi. Qui cum me vidiſſet toto animo addictum eſſe ſuis præſtantiſſimis monitis, numquam non de me ornando cogitabat: nec ego eius hortationibus locum reliqui. Ita eius uocem, quoad potui, ſemper mihi audiendam propoſui; ſingulaque eius, uerba, ſingula oracula eſſa ſtatuebam. Cumque propter varia negotia eo tandem priuari mihi contigiſſet, eius lucubrationes, quaſcunque potui, auidiſſimè excerptas euolui, legi, meditatus ſum. Eas cum tali homine digniſſimas comperijſſem, in eam ueni ſententiam, vt doctos viros ijs fraudari ſummi peccati loco ducerem. Tantumque valuit hoc meum de præſtantiſſimo viro iuditium, vt eas edendas ſuaſerim. Nec me quidem ab hoc propoſito remouerit, quod Laurentius Maſſa, Sereniſſimæ Reipub. Venetæ Secretarius, vir inter viros & omnium ſcientiarum genere præclare ornatus, & ſummè æmulatus pro munere, ſibi ab Illuſtriſſimo Senatu aſſignato, in hoc libro notauit: in quo cum Brixienſis

xiensis nonnulla Diui Augustini placita posuisset, ex quibus quædam ab ecclesia postea reiecta sunt, opinabatur Massa non ea ita edenda, sed singulis locis receptam ecclesiæ sententiam ponendam. Quod cum probarem, nolui tamen, quòd Brixiensis scripserat immutare: satis esse ratus, si lectorem de hoc admonerem. Qui cum Diui Augustini verba leget, sciet aliqua ab eo esse scripta, quæ tunc probabantur, verũ processu temporis reiecta sunt. Ecclesia enim catholica, passim à Spiritu sancto veritatem excipiens, auctoritatem interpretandi, diffiniendiquè summam habet, iusquè in hoc summum est, quæ nunquam labi possit; firmamentum, & columna veritatis. Quod neque summis illis doctoribus permissum fuit, vt ex ipsius Augustini lapsu facilè est videre; ex quo fragilitatem humanam cognoscimus. Quare in theologico studio, Lector optime, humilitas tibi præcipua sit: qua duce, maximas Sirtes prætergressus, nauim appelles, quo volueris: & ijs tandem fruère bonis, quæ verè bona sunt, quæquè nos Deo gratos reddunt. Vale.

Author

Author ad Lectorem.



ON mirum sit tibi, candide Lector, si ad tam permaximum doctrinarum pelagus, illius eximij doctoris Augustini manus porrexerim: vt in minutos fasciculos restringerem. Nam illi vulgato (gaudent breuitate moderni) aures dedi. Volens tam breui cibo scientiarum auidos, ad magna fercula duci. Dico ad ea omnia, quæ docte & profundissimo eximius ille doctor per sua scripta demonstrat. Quæ, quàm magna sint, & quàm plena eruditissimis & sanctis instructionibus, debilitas ingenij mei hoc ad exprimendum non expostulat. Hæc pauca in ijs breuiloquijs contenta, vt potui, expressi. Et licet inter eximia Augustini dicta, pauca sint: sunt tamen inter digniora connumeranda, vt qui nolit fastidiri in longis eius aßertionibus, hanc Epitomen accipiat. Et paruo cibo, substantiali tamen, saturabitur, & nutrietur. Ex quo te, oratum volo, qui breuiloquia hæc piè sis lecturus, vt duo animaduertas: vnum, ne quid falsum in eis statuas, nisi omnia perspexeris: idest ne dignum reijci iudices, cum id, quod in vno loco obscure, indigestè, disputatiuè, opinatiuè uel nondum ab ecclesia tunc risolutè definitum enunciatur, in alio tamen loco idem clarius, & iuxta ecclesiæ mentem manifestatur. Index, si ipsum percurreris, fidem faciet. Nihil enim in ijs breuiloquijs proponitur, quod prius ab ipso authore Augustino in suis scriptis diffusè non sit propositum. Lege ergo ista, sicut & illa. Me tibi collectorem tantum propono. Alterum est, vt errata, quæ ex inertia correctoris uel impressoris exciderunt, quæque in fine Indicis in unum collecta reperies, lustrare, aut saltem percurrere & præcognoscere ne graueris. Vale candide Lector, & ad Dominum pro me præces effunde.

Altera admonitio ad Lectorem.



Ie Lector, ne legendo piam Diui patris Augustini mentem in impiam deducas, quæ hic inferius in varijs quæsitis annotantur, animaduertere.

Quæsitum quartum.

Huius quæsiti titulus sic legatur: Dolores in hac uita, *An sint amandi, vel non amandi?*

Quæsitum 36.

Huius q. titulus sic legatur: vera sapientia, apud huius mundi scientes, quid est?

Quæsitum 43.

In responsione huius q. in fine adde: Et amat, *si rationalis est creatura.*

Quęsitum. 49.

Huius q. titulus sic legatur. An anima habeat alimenta propria spiritualia, sicut & corpus habet corporalia? Demum aduerte, quòd Augustinus in hoc q. loquitur de alimentis animæ intellectualibus idest scientificis tantum: & non de alimentis spiritualibus quibus spiritualiter reficitur anima: vt de diuina gratia, De verbo Dei: De Sacramento altaris: & similibus.

Quæsitum 51.

Huius q. titulus sic legatur, Sapientia humana quid sit, inquiritur. Et in q. 255. De vera sapientia declarat.

Quæsitum 97.

Reconcilia hoc q. cum quæsitis. 297. 584. 663. & scrupulus quem parit de matrimonio tolletur.

Quæsitum 107.

In fine responsionis q. Adde, sed indiget Dei gratia.

Quæsitum 228.

In responsione q. per abdita receptacula: Intellige Paradisum, vel Purgatorium: vel Limbum puerorum, vel Infernum. In Purgatorio potest dari celerior terminus.

Quæsitum 280.

Augustinus ex sua opinione tenet dæmones habere corpora aerea, & habitare in aere caliginoso. Idem dicit in q. 309. & 558. Est sua opinio.

Quæ-

Quæsitum 299.

Augustinus disputat de factione animæ Euæ. & reliquit indeterminatum. Sed & in q.289.& 512.catholicè loquitur: Dicens, quòd anima sit spiritus a Deo ex nihilo factus.

Quæsitum 305.

Huius q.titulus legatur sic. Anima nostra cum exierit de corpore, quo fertur? An ad superiora uel inferiora loca? Intentio Augustini in hoc q.est tantum probare infernum dari, contra negantes ipsum. & non remouendi Purgatorium, cum in alijs quæsitis illud confiteatur.. Attamen, ut hoc q. legatur sine scrupulo; In linea 12.responsionis, caßent tres dictiones contiguè: uidelicet, pęnalia & uera. Et loquutio erit tantum de pænalibus, & non de uerè pęnalibus. Præterea aduertant legentes, quòd in fine dicit. Hæc sint dicta quærendo potius quàm affirmando. Possunt tamen a nobis affirmari, admissa correctione data.

Quæsitum 313.

De auctoritate ecclesiæ & Papæ.uide non tantum hoc q.sed & q.503. & 626.& catholicam ueritatem habebis.

Quæsitum 368.

Augustinus non vult determinare, an animæ defunctorum viuis appareant, licet multa dicat. Et cum non determinet, nec scrupulus oriri potest.

Quæsitum 378.

Responsio huius q.in principio est dubia: sed in fine se resoluit.

Quæsitum 646.

Augustinus paruulos sine baptismo decedētes, si dicit damnari, sed mitissima damnatione. Est sua opinio: potest tamen reconciliari cum ecclesia, ut illa mitissima damnatio sit visionis Dei priuatio, & non sensus pęna. De hoc in q.678.

Quæsitum 716.

Augustinus inquit Christum non timuisse mortem. Quamuis dixerit, transeat a me calix iste. Posset hic dici, timuisse, & non timuisse. Timuisse, quia uestitus erat humanis passionibus. Non timuiße, quia corde, dilectione, & uiribus, præstantior erat omnibus hominibus. Et sic intelligit Augustinus.

Quæsitum 949.

Ezechiel Propheta. c.18.dicit, Quotiescunque ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum eius. Nihilominus, dictum Augustini nos expergifacit, ut in timore stemus, et non differamus conuersionē.

Quæsitum 953.

Augustinus dicit tribus modis dimitti peccata. Tertius modus est in humilitate maioris pœnitentiæ. Et in hoc tertio modo includitur sacramentum pęnitentiæ, cum suis partibus, videlicet cum contritione, confeßione, & satisfactione.

Hæc sola supradicta annotauimus: cum cætera bene intellecta contra aliquod ecclesiæ dogma iudicio nostro, nullum scrupulum afferant. Restat tantum, de illo inextricabili nodo sanctæ prędestinationis. Sed apud theologos non ignoratur opinio Augustini: quibusdam placet, & quibusdam non: Ideo unumquemque relinquo adhęrere ei, si placet: si non placet, inueniat securiorem opinionem.

INDEX OPERVM DIVI AVGVSTINI.

Contra

TABVLA DISTINCTIVS
OSTENDENS NON QVAESITA,

Sed in quæſitis contenta, & in quo quæſito ſit quod deſideratur.

A

Anima

Baptismus

B

C

Dulcedo

E

Falsum

Hæreticus

I

P

Pecca-

Potestas uera quæ est 322
Prædicator quem modum tenere debet in docendo & prædicando 202
Prædestinati solum saluantur 139

Q

R

S

T

V

Finis Tabulæ.

Errata ſic corrigito, primus numerus, quo quæſito, ſecundus, qua linea quæſiti ea depræhendere poſsis indicat.

17 4 facie, lege facit
22 1 Quod Quot
25 6 Mililare Militare
30 36 futuri futuris
30 38 Cotriius, Contuitus
33 27 lumina luminarium
38 2 Alipi alibi
55 lege ſic. Et ſalubriter imperitioribus quaſi nutu quodam loquuti ſunt, crediq; ſibi voluerunt ab his, quorum animis, uel tardioribus vel implicatoribus alia ſalus eſſe non poſſet
63 18 Doctores Doctor
80 1 Quomodo Quando
101 5 Quia Qui
110 16 io Ideo
115 23 ſeruet ſeruent
115 25 peccatore peccatores.
116 6 Quadam quandam
121 3 hæretici hæreticis.
123 1 Reddire Redire
139 13 laptitudinem latitudinem
128 16 ſunt gratia: ſunt in gratia
192 30 ſe ſed
202 24 ſciret ſciat
218 4 per pro
218 8 vrba Verba
218 13 Sipipitum ſpiritum
221 10 admonit admonuit.
222 4 veros veſtros.
225 9 omnipotentem omnipotente
236 1 ſic ſit
244 12 inodicat Indicat,
260 57 Tu tam
265 14 anullo annulo
266 20 Eſt Et ſi
267 5 id in
267 8 uiſitatus. Vſitatus:
274 6 flactu flatu
288 1 Quo Quæ
291 vl. Agrituræ Agriculturæ
289 6 naturam natura
299 60 Criſtis Chriſti
299 15 Redditui Redditur
301 1 Intium initium
305 24 conſedienti conſequenti
313 16 ſuperſtioſam ſupeſtitioſam
314 8 ſummus ſumus.
340 12 per pro
348 6 Macus Marcus
348 14 paracta lege peracta
370 16 torbedat torpebat.
373 13 peccatorum peccaturum
440 8 Die Dici
441 2 Bonus bonis
445 4 Crata creata
447 4 Dominu Dominus
447 4 ſaluatur ſaluator
447 15 Sir Sit
457 vl. Creatura Creaturam
458 5 Connexa conuexa
463 23 Celebretate celeritate
446 5 prures plures.
468 42 eruditio Erudito
474 44 adhibitio adhibito
475 20 corporea corpora
478 42 per pro
478 47 de iudicij de die
493 24 uoluntate voluptate
498 10 tertium tertium
404 3 Conſidaretur conſideraretur
515 11 Diuira dura
116 vl. profetę Propheta
538 10 perticeps particeps
549 13 ee ex
558 10 Dicicetur dicetur.
577 8 Dequntur Dicuntur
587 1 femina feminam
549 21 penitentis penitentes
603 9 perciperet, præciperet
603 11 ſeperari ſeparari
613 1 fuert fuerit:
613 3 denominatur denominata
614 20 Vnitate Vnitatem
615 3 rij Rei
624 3 ab ad
659 26 perturientis parturientis
661 4 inſepabiliter inſeparabiliter
665 1 ſi ſit
695 vl. eios eius
714 31 etiam eius
724 14 hominet homines
761 15 iunita imita
768 5 ſummus ſumus
783 2 Mec Nec
784 1 Vrificatur verificatur
785 2 Diſcernerunr diſcreuerunt
799 14 diligitur diligit
820 13 pargere peragere
826 7 abſentiam abſentium
827 1 fine ſine
846 6 piſcis

846	6	piſcis lege	piſcibus
851	5	eſſet	eſſe
869	1	tot	totum
879	1	indicandum	Iudicandum
881	6	vobit	vocabitur
822	20	nodo	modo
885	11	aſcedat	abſcedat
893	2	nn	non
909	16	ſuſpiciantur	ſuſpicantur
950	1	Quæ ſi	Quæ ſint
964	10	Corri	corripe
966	8	Dete	Date
991	4	nẽ	non
995	vl.	prænidciandũ	pronunciandum.
1005	5	ſolet	ſol.
1011	9	ſenus	ſanus
1011	15	notiſſimus	nouiſſimus
1016	3	Quare	Qua
1031	3	ab hominem	ab homine
1029	pen.	præcipiatur	præcipitatur.

Alia forſitan poterunt eſſe errata, quæ etiam literarum ignarus deprehendere facile poterit, numerum quoque quæſtionum a CCCXLV. vſq; CCCCC. variare ſcito, inde redit ſed ex præcedente collige ſequentem.

INCIPIVNT PRAECLARISSIMAE RESPONSIONES AD MILLE QVAESITA IN OMNI FERE FACVLTATE;

EXCERPTAE EX OMNIBVS Diui Augustini Libris:

ATQVE IN VNVM COLLECTAE ET DIGESTAE

PER D. IACOBVM BRIXIEN. TRIBESCVM CANONICVM LATERANENSEM.

QVAEST. PRIMA.

QVID sit prius, scire Deum, an inuocare Deum? Et quid prius inuocare Deum, an laudare Deum.

Responsio ex primo libro confessionum Diui Augustini. Cap. I.



RIVS scitur Deus, quàm inuocetur. Quis enim quempiam inuocet. nesciens eum? Aliud enim pro alio posset inuocare, nesciens eum. Et Paulus dicit. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent sine prædicante? Prius est etiam inuocare, quàm laudare, quia inquit Psal. Et laudabunt dominũ, qui requirunt eum; sed queritur dominus dum inuocatur. Et quærendo *Psal. 21*

rendo inuenitur, & inuentus, laudatur. Vt ſit talis ordo, credendo ſcitur Deus, ſciendo inuocatur, inuocando quęritur, & inuenitur, & inuentus laudatur.

QVAEST. II.

QVid ſit cur conuerſio Aug. & ex conſequenti multorum infidelium, qui tandem ad fidem veniunt, ſic differtur, id eſt, non eſt facta in infantili ętate, aut iuuentute, ſicut viſum eſt in Auguſt. qui in virili ętate conuerſus eſt, & baptiſmum ſuſcepit?

Reſponſio ex primo libro confeſſionum Diui Auguſtini. Cap. XI.

DIffertur multotiens, ne ſi tempeſtiue daretur, fœdaretur nephandiſſimis vitijs, & ſic in maiorem reatum incurreret homo. Nam poſt lauacrum illud, maior & periculoſior in ſordibus delictorum reatus eſt.

QVAEST. III.

CVm ab aliquo facinus perpetratur, an ſine cauſa, an cum cauſa committatur?

Reſponſio ex ſecondo libro confeſſionum. Cap. V.

NVllum peccatum committitur ſine aliqua cauſa, aut vt adipiſcatur aliquid terrenum, quod appetitur, committitur, aut quia timetur, ne amittatur tale quid. Quis enim committeret homicidium ſine cauſa, dellectatus ſcilicet tantummodo ipſo h omicidio? Dices, fuit quidam homo tam crudelis, qui gratuito, id eſt ſine cauſa homicidium faciebat. Et in tali, inuenta eſt etiā aliqua cauſa, id eſt ne per ocium torpeſceret manus, aut animus, & etiam, vt exercitatione ſcelerum, capta vrbe, honores, imperia, diuitias aſſequeretur, & careret mætu legum, & difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, & conſcientiam ſcelerum. Nec ipſe Catilina amauit facinora ſua, ſed vtique aliud, cuius cauſa, illa faciebat.

QVAEST. IIII.

DOLORES an sint amandi. an non amandi?

Responsio ex tertio libro confessionum Diui Augustini. Cap. II.

APud eos, qui tragœdias faciunt, videntur quidem dolores amari, cum gaudeant magis, cum auditores moueant ad magis dolendum. Et cum non mouentur ad dolendum, tristantur auctores tragœdiarum. Ergo amantur, & dolores. Nulli placet esse miserum. alicui tamen placet esse misericordem. Et quia sine dolore non potest quis esse misericors. Hac ergo causa amantur dolores. Sed si de vero misericorde, id est de illo, qui charitate misericors est, loquamur, nollet talis miserum esse quẽ doleret, licet officio charitatis doleat miserum. Vnde sequitur, quòd dolor non est amandus, licet in quibusdam sic misericordibus sit approbandus, qui vt exerceant officium charitatis, cupiunt esse miseros.

QVAEST. V.

NVnquid omnia flagitia, aut quę videntur flagitia, ab omnibus semper, & vbique sint vitanda.

RESPON. Flagitia, quę sunt contra naturam. Vbique, & ab omnibus sunt fugienda, detestanda, & punienda, qualia sodomitarum fuerunt, per hęc enim flagitia violatur ipsa societas, quę cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ille auctor est, libidinis peruersitate polluitur, sunt vero quędam flagitia, quę tantũ sunt contra mores hominũ alicuius ciuitatis, & regni. Et hęc vitãda sunt, ab incolis illius ciuitatis, vel regni, ét si sint peregrini, quia non licet violare mores illius loci, dum ibi habitãt, quia dũ ibi habitant, sunt pars illius loci. Et turpis esset oĩs pars, q̃ non congrueret suo vniuerso. Si vero Deus iuberet contra morem illius loci. non esset vitium operari contra illum morem, imò flagi- *conf. lib. 3. c. 8. & 9.*

tium esset operari contra id, quod a Deo iussum esset, quia magis obediendum est Deo, quàm hominibus, generale quippè pactum est societatis humanę obedire regibus suis. si quid iubent, quanto magis Deo regnatori vniuersę creaturę suę, ad ea quę iusserit, sine dubitatione seruiendum est? sed inter flagitia, & facinora, & tam multas iniquitates, sunt peccata proficientium, qui a bene iudicantibus, & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur spe fructus. sicut herba segetis. Sunt etiam quędam, quę non sunt peccata, quia non offendunt Dominum, nec sociale consortium hominum, sunt tamen similia, vel flagitio, vel facinori, & talia sunt (verbi gratia) cum conciliantur aliqua in vsum vitę congruę tempori, & incertum est, an libidine habendi acquirantur. Sicut & incertum est, cum quis habens auctoritatem punit aliquem, vel studio corrigendi ordinata potestate, an libidine nocendi. Multa igitur sunt facta, quæ hominibus improbanda videntur, & Dei testimonio approbanda, & èconuerso multa laudantur ab hominibus, quæ a Deo damnantur, cum ille sit inspector animi. Ideo non iudicat, vt de foris est, sed vt in animo est, quod homo facere non potest, cum videat tantum, quæ extrinsecus videntur.

QVAEST. VI.

QVAE sit vera, & perfectissima inter homines amicitia?

Responsio ex quarto libro confessionum Diui Augustini. Cap. IIII.

AMicitia non est vera, nisi cum eã, ò Deus, agglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per S. S. qui datus est nobis.

QVAEST. VII.

QVid melius, an Deum cognoscere, an motus cœlorum, & siderum naturas, & naturalium rerum proprietates tantum cognoscere, an hęc & Deum insimul.

RESPON.

Respon. Infelix enim homo, qui ſcit illa omnia te autem neſcit, ò Deus meus. Beatus autem, qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero, & te, & illa nouit. non propter illa beatior, ſed proter te ſolum. Beatus eſt. Si cognoſcens te, ſicut dominum glorificet, & grarias agat, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis. Sicut enim melior eſt, qui nouit poſſidere arborem, & de vſu eius tibi gratias agit, quamuis neſciat, vel quot cubitis alta ſit, vel quã ta latitudine diffuſa, quàm ille, qui eam metitur, & omnes ramos eius numerat, & neque poſſidet eam, neque creatorem eius nouit, aut diligit. Sic fidelis homo; cuius totus mundus diuitiarũ eſt, & quaſi nihil habens, omnia poſſidet, inhęrendo tibi, cui ſeruiunt omnia, quamuis, nec ſaltem ſeptentrionis giros nouerit, dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit, quàm menſor cœli, & numerator ſyderum, & penſor elementorum, & negligens tui, qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. *Conf. lib. 5. c. 4.*

QVAEST. VIII.

NVnquid polite aliquid enuntiare: argumentetur. Verum eſſe, quod enunciatur.

Respon. Me autem iam docueras Deus meus. miris, & occultis modis, & propterea credo, quod tu me docueris, quoniam verum eſt, nec quiſquam pręter te, alius eſt doctor veri. Vbicunque, & vndecunque claruerit, iam ergo abs te didiceram, nec eo debere videri, aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec eo falſum, quia incompoſitè ſonant ſigna labiorum? Ruſus, nec ideo verum, quia impolitè enunciatur, nec ideo falſum, quia ſplendidus ſermo eſt, ſed perinde eſſe ſapientiam, & ſtultitiam, ſicut ſunt tibi vtiles, & inutiles: verbis autem ornatis, & inornatis, ſicut vaſis vrbanis, & ruſticanis vtriſque cibi poſſent miniſtrari. *Conf. lib. 5. c. 6.*

QVAEST. VIIII.

QVare literis sacris, tanta a Deo concessa est auctoritas, vt qui ipsis non credunt, sint culpandi.

conf. li. 6 c. 5. RESPON. Disputationes Philosophorũ nunquam suis argumentationibus potuerũt persuadere, Deũ nõ esse, neq; ad ipsum nõ pertinere rerum humanarum administrationem, sed cum hoc, ad credendum, firmiter, essemus infirmi. Ideo ad inueniendam liquida ratione veritatem, nobis opus fuit auctoritate sanctarum scripturarum, vt per ipsam teneremus, Deum sibi voluisse credi. & per ipsam, se voluisse quæri,

QVAEST. X.

QVid potius eligendum sit, an exultare, an metuere?

conf. li. 6. c. 6. RESPON. Responderem inquit Aug. potius exultare, sed si vlterius quæreretur, si exultare, vt faciunt mendici, quando saturati sunt, qua canũt ludunt, sit potius eligendũ, q̃ metuere, vt faciũt homines docti, & diuites, qui propter ambitionem, semper anhelant ad maiora, & trepidant, ne hominum gratiam perdant. Et hoc exultare potius eligendum esset, licet neutrum, sit verè exultare, cũ illud sit in Deo gaudere.

QVAEST. XI.

COntinentia carnis, an proprijs viribus possit acquiri?

conf. li. 6 c. 11. Sap. 8. RESPON. Propriarum virium credebam esse continentiam: quare mihi non eram conscius. Cum tam stultus essem, vt nescirem sicut scriptum est. Neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam.

QVAEST. XII.

DEus omnipotens, an aliquo modo cogi possit?

conf. li. 7 c. 4. RESPON. Deus cum sit incorruptibilis, nullo modo, sua substantia violari potest. Nullo enim prorsus modo, violat cor-

ruptio Deum nostrum: nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improuiso casu: quoniam ipse est Deus. & quod sibi vult bonum est, & ipse est idem bonum. Corrumpi autem non est bonum. Nec cogitur inuitus ad aliquid, quia voluntas sua non est maior potentia sua. Esset autem maior, si seipso, ipsemet maior esset. Voluntas enim & potentia Dei, Deus ipse est.

QVAEST. XIII.

Malum vnde sit? Quicquid est, bonum est. Malū ergo nihil est, quia si esset quatenus sic, bonum esset. Et si malum non est: quare sic timetur, & ab omnibus cauetur?

RESPON. Iniquitas non est substantia, sed a summa substantia, quæ Deus est detortę voluntatis peruersitas, proijcientis in infimam peruersitatem intima sua, & tumescentis foras. Itaque vidi vnde malum. Videlicet liberum voluntatis arbitrium causam esse, vt malum faceremus. & rectum Dei iudicium, vt pateremur. Itaque cum aliquid volo, aut nollo, non aliud, quàm me velle; ac nolle certissimus sum. & ibi esse causam peccati mei. Iamque animaduerto. Quod autem inuitus facio, pati me potius, quàm facere video, & id non culpam, sed pœnam esse iudico qua me non iniuste, sed iustissime plectitur Deus. *conf. lib. 7. c. 3. & 16.*

QVAEST. XIIII.

Diuinationes mathematicorum, quæ ex constellationibus fiunt, an veræ, vel falsæ sint?

RESPON. Relatum mihi fuit: Duas mulieres peperisse filium in eodem momento, in eadem constellatione, & inijsdem minutis. Et nihilominus alter eorum. fuit in seculo honoratus, & diues. Alter seruus, & pauper. Ex quibus certissimè collegi. ea quę vera consideratis constellationibus dicerentur. non arte dici, sed sorte, quæ autem falsa, non artis imperitia, sed sortis mendatio. Hanc met considerationem direxi in eos, qui gemini nascuntur. vt in Esau, & Iacob. De ipsis quidem. eadem deberent dici. Et tamen non possunt dici: quia vtrique non eadem acciderunt. Non ergo arte, sed sorte vera dicunt. *conf. lib. 7. c. 6.* *Gen. 25.*

QVAEST. XV.

Conf. lib. 7. c. 19 HAereses quare permittantur in Dei ecclesia.

1. Cor. 11. RESPON. Improbatio quippè hæreticorum facit eminere, quod ecclesia Dei sentiat. & quid habeat sana doctrina. oportuit enim, & hæreses esse, vt probati manifesti fierēt inter infirmos.

QVAEST. XVI.

Lu. 15. QVare fiat in cœlo maius gaudium de penitente peccatore: quàm de nonaginta nouem iustis. Dic mihi Deus bonę quod agitur in homine vt plus gaudeat de salute desperatę animę, & de maiore periculo liberatę, q̃ si spes ei semper affuisset, aut periculorũ minus fuisset? Hoc fit, & in anima nostra, Quid ergo agitur in ea cum amplius delectatur, inuentis aut redditis rebus quas diligit, quam si eas semper habuisset; constant enim, & cætera, & plena sunt omnia testimonijs clamantibus ita est. Triumphat victor Imperator, & non vicisset nisi pugnauisset. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius gaudium fuit in triumpho. Iactat tempestas nauigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte pallescunt tranquillatur cœlum, & mare, & exultant nimis, quoniam timuerāt nimis. Aeger est charus, & vena eius malũ renuntiat, omnes qui eum saluum cupiunt ęgrotant simul animo. Fit ei recte, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudium quale non fuit cum antea saluus & fortis ambularet. Sic etiam accidit in voluptatib. corporis. Voluptas edendi, & bibendi nulla est nisi prius præcesserit esuriendi, & sitiendi molestia. Et institutum est vt iam pacte sponsę, non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quàm non suspirauerit sponsus dilatam. Vbique ergo maius gaudium, vbi maior molestia præcedit. Et quare hoc.

Conf. lib. 8. c. 4. RESP. Lętitia magna in conuerso peccatore ideo fit a sanctis, quia illius exēplo multi de profundiore tartaro cęcitatis ad Deum redeunt, & sic illuminātur, quando enim a multis noscebatur peccator conuersus, & a multis fit gaudium. Et ideo eius conuersio. fit occasio maioris feruoris & inflammationis spiritus in alijs. Ideo

præcedit multos peccatores, qui eũ suo exẽplo sunt sequuturi; lætá tur ergo iusti qui ante eum. Iam ad Deum accesserat quia non tan tùm de peccatore solo cõuerso lętantur, licet & de hijs qui exẽplo illius sunt conuertendi. Lętantur, quia qui perierat reuixit, & alijs amplius scandalum non erit. *Luc. 15.*

QVAEST. XVII.

CVr peccator ex longa consuetudine difficile conuertatur?

Respon. Talis enim peccator ligatus quidem est non fer ro alieno, sed voluntate sua ferrea. Velle suum tenet inimicus, & in de ei catenam facie, & eum ligat. Nam ex voluntate peruersa fit li bido, & dum seruitur libidini fit consuetudo, & dum non resisti- ur consuetudini, fit neccessitas, & sic tali catena ligatus difficile toluitur. *Conf. lib. 8. c. 5.*

QVAEST. XVIII.

QVare animus noster. Sic tardus est ad bonum, etiam si sibiipsi imperet. Imperat enim animus corpori, & paretur statim. Imperat animus sibi & resistitur. Imperat animus vt moueatur ma nus, & tanta est facilitas, vt vix a seruitio discernatur imperium. Et animus, animus est, manus autẽ corpus est. Imperat animus, vt ve- lit animus, nec alter est, nec facit enim. Vnde hoc monstrum. Et quare istud?

Respon. Imperat quidem animus vt velit, qui non impera- ret nisi vellet, & non fit quod imperat, quia non ex toto vult, nõ er go ex toto imperat. Nã in tantùm imperat, inquantum vult, & in tantùm non fit, quod imperat inquantum nõ vult. Non vtiq; ple- na voluntas imperat. Ideo nõ est quod imperat. Nã si plena esset, nec imperaret vt esset, q̃a iã esset. Nõ igit̃ mõstrũ est, partim velle, partim nolle, sed ęgritudo animi est, quia nõ totus assurgit verita te subleuatus, cõsuetudine prægrauatus. Et ideo sunt duę volũta- tes quia vna earum tota non est, & hoc adest alteri quod de est alte ri. Aduertendum tamen, & quòd licet sint duę voluntates in delibe rando, non tñ sunt duæ naturæ duarũ mentium, sed vna tantum, q̃a ego sum qui volo Deo seruire, & qui nolo, sed si nõ seruio Deo, *Conf. lib. 8. c. 9. & 10.*

hoc

hoc ideo est, quia nec plenè uolo, nec plenè nolo, qñ saltem mecũ contendo. Et aliquando ego non operor illud nolle, sed quod habitat in me peccatum. Et ideo tale nolle non ostendit naturam mẽtis alienæ, sed pęnam meam. Dicimus ergo quòd cum voluntas nostra altercatur, vtrum sit bonum eligere hoc aut illud, verbi gratia vel legere Paulum, aut ire ad missam, aut ad pręDicã, tũc sunt plures voluntates. cum vero vnum istorum eligitur, & in illud fertur tota voluntas vna tantum voluntas est.

QVAEST. XIX.

Conf. lib. 9. c. 7.

CAntus in ecclesia Occidentali. Vnde sumpsit exordium? RESPON. Iustina Valeriniani regis pueri mater. dũ persequeretur Sanctum Ambrosium, & alios fideles hæresis suæ causa, quæ fuerat seducta ab Arrianis. Fideles in ecclesia excubabant, mori parati cum Episcopo suo Ambrosio. & ideo ne populus in tali persecutione tedio contabesceret. institutum est, vt dum oraretur in ecclesia. Hymni, & Psalmi canerentur secundũ morem ecclesiæ Orientalis. & sic mos canendi vsque in hodiernum diem retẽtus est. & demum in multis aliijs ecclesijs obseruatus.

QVAEST. XX.

AN pro animabus mortuorum, quæ in fide ex hac vita decesserunt sit orandum.

Conf. lib. 9. c. 13.

RESPON. Augustinus pro sua matre defuncta Monica videlicet, quæ reliquerat, vt pro ea offerreretur sacrificium ad altare, orat. talibus ver. Quamquam illa in Christo viuificata, etiam in hoc mundo tam Sanctè vixerit. vt laudetur nomen tuum, in fide moribusque eius, non tamen audeo dicere ex quo eam per baptismum regenerasti. nullum verbum exisse ex ore eius contra præceptum tuum. Ego itaque laus mea, & vita mea Deus cordis mei. Sepositis paulisper eius bonis actibus: pro quibus tibi gaudens gratias ago. nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: Exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno,
Rom. 8. & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio miseMatth. 6 ricorditer operatam, & corde dimisisse debita debitoribus suis. Dimitte illi, & tu debita sua. Si qua etiam contraxit per tot annos,

nos, postaquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Namque illa imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut cōdiri aromatibus, aut sepulchrum electum, & patrium. non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui. ad altare tuum fieri desiderauit. cui nullius prætermisione seruierat. Vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, quia triumphatus est hostis computans delicta nostra & quærens quid obijciat. & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet precium, ergo nos emit? vt nos auferat ei? Ad cuius precij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo a protectione tua dirumpat eam. Non se interponat draco. nec vi, nec insidijs. Et inspira Domine Deus meus. Vt quotquot hæc legerint. meminerint ad altare tuū. Monicæ famulæ tuę. cum patritio quondam eius coniuge per quorū carnem. introduxisti me in hanc vitam.

QVAEST. XXI.

AN homo se se totum, sine Dei lumine cognoscat. *Conf. lib. 10. ca. 5.*

RESPON. Quamuis, vt inquit Paulus, nemo scit hominū, quę sunt hominis: nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Tamen est aliquid hominis, quod nec ipse spiritus hominis, qui in ipso est, Scit. Deus autem scit eius omnia, quia fecit eum. Aliquid enim scit homo de Deo, quod de se nescit. De Deo scit, quòd nullo modo potest violari. De se autem, non scit, quibusve tentationibus resistere valeat, quibusve, non valeat, nisi lumine superno illustretur. *1. Cor. 2.*

QVAEST. XXII.

QVod sunt genera quęstionum. *Conf. lib. 10. c. 10.*

RESPON. Tria sunt genera quęstionum, videlicet an sit, Quid sit, & quale sit.

QVAEST. XXIII.

QVomodo dum sumus tristes. Lęta preterita recordamur, de corpore recordari non est mirum, cum aliud sit animus

&aliud

& aliud sit corpus. Vnde cū p̄teritum corporis dolorem, gaudens memini, non est mirum, sed cum animus sit idem quòd memoria, quòd patet ex hoc quòd cum mandamus aliquid vt memoriter habeatur, dicimus. Vide vt illud in animo habeas, & cum obliuiscitur dicimus non est in animo, elapsum est animo ipsam memoriam vocantes animum, cum ergo ita sit quid est hoc quod cū tristitiam meam præteritam lætus memini. Animus habet lætitiam, & memoria tristitiam. Lætusque est animus, ex eo quòd inest ei lætitia, memoria vero ex eo quòd inest ei tristitia tristis non est? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit?

Conf. lib. 10. c. 14 RESPON. Nimirum ergo memoria quasi venter est animi, lętitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis & amarus, cum memorię cōmendantur, quasi traiecta in ventre recondi illuc possunt, sapere non possunt. Ridiculum est hęc illis similia. Sed ecce de memoria profero cum dico quatuor esse per turbationes animi. Cupiditatem lætitiam metum tristitiam, & quodquot de hijs disputare potuero, diuidendo singula & per species sui cuiusque generis. & definiēdo ibi inuenio quid dicā, atq; inde profero, nec tamē vlla eorum per turbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro, & antequam recolerentur a me, & retractarentur ibi erant, propterea inde per recordationem potuere depromi. Forte ergo sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur.

QVAEST. XXIIII.

Beata vita an possit oculis corporis videri.

Conf. lib. 10. c. 21 RESPON. Vita enim beata non videtur oculis quia non est corpus. Et tamen eam in notitia hebemus & ideo amamus eam, & adipisci eam volumus vt beati simus. Hāc beatam vitam in alijs. nullo sensu corporis experimur & tamen meminimus eam. Et fortasse, vt gaudium. Nam gaudium meum ita tristis memini. sicut vitā beatam miser. Neque vnquam corporis sensu. gaudium meū. vel vidi audiui, vel tetigi vel gustaui. Sed expertus sum in animo meo, quando lætatus sum, & adhęsit eius notitia memoriæ meæ, vt id reminisci valeam, sed vbi & quando expertus sum vitam meā beatam, vt recorder eam & amem, & desyderem? Nisi quia beata vita Deus est, & in notitia mea impressius est.

QVAEST.

QVAEST. XXV.

AN omnes velint beati esse?

RESPON. Beati omnes esse volumus, sed quid est hoc, quod si quæratur a duobus vtrum militare velint, fieri posset, vt alter eorum, velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quæratur, vtrũ beati esse velint, vterque statim se sine vlla dubitatione dicat optare. Nec ob aliud velit ille mililare, nec ob aliud iste nolit, nisi vt beati sint? *Conf. lib. 10. c. 21*

QVAEST. XXVI.

BEata vita est ne de quolibet gaudio·

RESPON. Absit domine vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est beata vita, gaudere adte, de te, propter te, ipsa est & non est altera. *Conf. lib. 10. c. 22*

QVAEST. XXVII.

AN pater Aug. fuerit vnquam heremita.

RESPON. Conteritus peccatis meis, & mole peccatorum, & miserię meæ, agitaueram in corde, mediatusque fueram fugam in solitudinem. Sed prohibuisti me, & confirmasti me dicens ideo pro omnibus, Christus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Ecce domine iacto in te curam meam, vt viuam, & considerabo mirabilia de lege tua, scis imperitiã meã & infirmitatum meam, doce me, & sana me, *Conf. lib. 10. c.. vl.*

QVAEST. XXVIII.

QVare Deo scienti miserias nostras confitemur, quasi eas nesciat *Conf. lib. 10. c. 1.*

RESPON. Non vtique confitemur Deo nostras miserias, vt per nostram confessionem eas nouerit; sed vt affectum nostrum excitemus in eum, patefacimus ergo affectum nostrũ in eum, confitendo ei miserias nostras.

QVAEST.

QVAEST. XXIX.

Conf. lib. 11. c. 12 13.

QVid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram.

RESPON. Antequam faceret Deus cœlum, & terrã, non faciebat aliquid, quia ante cœlum, & terram nullum erat tempus, ideo non est querendum. quid tunc faciebat non enim erat tunc, vbi non erat tem pus, nec ipse Deus tempore præcedit, tẽpora, alioquin non omnia tempora pręcederet, & tamen omnia tempora pręcedit celsitudine semper præsentis ęternitatis; & superat omnia futura, quia & illa futura sunt, & cum venerint præterita erũt; ipse autem idem est, & anni sui non deficient.

QVAEST. XXX.

Conf. lib. 11. c. 14 & seq.

QVid sit tempus inuestigatur ab Augustino.

RESPON. Tempus non esset tempus si semper permane ret, quid ergo est? si nemo ex me quærat quid sit scio, si quærenti explicare velim nescio, fidenter tamen dico, scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus, & si nihil aduenirет, non esset futurum tempus, & si nihil esset, non esset præsens tempus. Sed quomodo sunt ista tria tempora videlicet præteritum pręsens & futurum, cum non sint in esse, præteritum non est quia præterijt, futurum non est quia nondum aduenit, præsens non est quia si semper esset non in pręteritum trãsiret, & sic non esset tem pus, sed ætenitas, præteritum ergo non habemus nec futurum, quia non sunt, de pręsenti non habemus nisi instans, & hoc non est tempus. Et tamen dicimus longum tempus præteritum & futurũ, si non sunt, quomodo longa tempora sunt? Dicitur quod tempus præteritum & futurum, sunt nobis præsentia in memoria nostra & ideo quatenus sic nobis sunt pręsentia, in tantùm ea proferimus non res ipsas quæ præterierũt, vel quæ nodum venerũt, sed verba concepta ex imaginibus earum, quæ in animo velud vestigia per sensus prætereundo fixerunt proferimus, vnde cum imaginem rei præteritę recolimus & narramus in pręsenti intuemur, quia adhuc est in memoria nostra, sic etiam cum videri dicuntur futura, non ipsa quæ nondum sunt, idest quę futura sunt, sed eorum causę vel signa forsitam videntur, quæ iam sunt, ideò non futura, sed præsentia sunt iam videntibus ex quibus futura prædicantur animo concepta. Que rursus conceptiones iam sunt, & eas præsentes apud

se

ſe intuentur qui illa prædicunt.Demus exemplum intueor auroſã oriturum ſolem pronuncio. Quod intueor præſens eſt quod pronuntio futurum. Non Sol qui iam eſt. Sed ortus eius qui nondum eſt. Tamen etiam ortum ipſum,niſi animo imaginarer,ſicut modo cum id loquor, non eum poſsem prædicere. Futura ergo nondum ſunt.Et ſi non ſunt videri omnino non poſsunt,ſed prædici poſsunt ex pręſentibus quę iam ſunt, & videntur, tria igitur ſunt tempora videlicet pręſens pręteritum, & futurum, & tamen proprie non dicitur tria eſse tempora illo modo ſed fortaſse proprie diceretur hoc modo, tempora ſunt tria pręſens de pręteritis, pręſens de pręſentibus, pręſens de futuri: Sunt enim hęc in anima tria quędam,& alibi ea non video, pręſens de pręteritis memoria, pręſens de pręſentibus contuius, pręſens de futuris expectatio. Si enim hęc permittimur dicere tria tempora video fateorque tria ſunt.

Tempus igitur eſt id quo metimur motus corporum. Et ſi non vidimus ex quo cœpit moueri corpus & perſeuerat, vt nõn videamus,cum deſinit non valemus metiri,quod ſi diù videmus, tantũmodo longum tempus eſſe renunciamus non autem quãtum ſit, ſi autem locorũ ſpatia notamus,vnde & quo veniat corpus quod mouetur,vel partes eius,poſsumus dicere quantum ſit temporis, ex quo ab illo loco,vſque ad illum locum motus corporis vt partis eius effectus eſt.

Metimur etiam tempus ſed animo. Dicimus vere futurum nõdum eſt,ſed tamen iam eſt in animo expectatio futurorum præteritaetiam non ſunt,ſed in animo eſt memoria pręteritorum,pręſens etiam tempus caret ſpatio.quia in puncto pręterit,ſed tamen perdurat attentio.per quàm peragat abeſse quod aderit.

QVAEST. XXXI.

SI licet ſcripturas ſacras,varie exponi.

Respon. Quid mihi obeſt cũ diuerſa in hijs verbis intelligi poſſint: quę tamen vera ſint? Quid inquã mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero quã ſenſit alius eum ſenſiſset qui ſcripſit. Omnes quidem qui legimus nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille quem legimus. Et cum eum veridicum credimus. nihil quod falſum eſse vel nouimus,vel putamus, au- *Conf.lib. 12.c.18.*

demus

demus eum existimare dixisse. Dum ergo quisque conatur id senti re in scripturis, quod in eis sensit ille qui scripsit, quid mali est si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium, ostendis verum esse, etiam si hoc non sensit ille quem legit, cum & ille verum nec tamen hoc senserit?

QVAEST. XXXII.

CVm quis dicit verum, illa veritas est ne solum dicentis ipsam, an & omnium amantium veritatem.

Conf. lib. 12. c. 25. RESPON. Si ideo amat quod dicit quispiam, quia verum est, iam & ipsius est, & nostrum est, quoniam in commune omniũ est, veritas amatorum.

QVAEST. XXXIII.

CHristianus verus ac spiritualis, quomodo vt inquit Paulus iudicat omnia & ipse a nemine iudicatur?

Conf. lib. 13. c. 23. RESPON. Quod autem iudicat omnia, hoc est, quod habet potestatem piscium maris, & volatilium cœli & omnium pecorũ, & ferarum & omnis terræ & omniũ repentium quæ repunt super terram. Hoc enim agit per mentis intellectum per quem percipit quæ sunt spiritus Dei. Alioquin homo in honore positus, nõ intel lexit, compararus est iumentis insensatis, & similis factus est illis, Psal. 48 spiritales ergo siue qui præsunt siue qui obtemperant spiritualiter iudicant, non de cognitionibus spiritualibus quæ lucent in firma mento. Non enim oportet de tam sublimi auctoritate iudicare, neque de ipso libro tuo ò domine, etiam si quid ibi non lucet, quo niam submittimus ei nostrum intellectum, certumque habemus. etiam quod clausum est aspectibus nostris, recte veraciterque dictum esse. Sic enim homo licet iam spiritalis, & renouatus in agnitionem Dei. secundum imaginem eius qui creauit eum factor tamen legis debet esse, non iudex. Neque de illa distinctione iudi cat, spiritualium, videlicet atque carnalium hominum, qui, tuis Deus noster, oculis noti sunt, & nullis adhuc nobis apparuere operibus, vt ex fructibus eorum cognoscamus eos, sed tu domine iam scis eos, & diuisisti & vocasti in occulto antequam fieret firma mentum. Neque de turbidis huius seculi populi tamquam spiritalis

ritalis homo diiudicat. Quid enim ei de his, qui foris ſunt iudicare, ignoranti quis interuenturus ſit in dulcedinem gratiæ tuæ, & quis in perpetua impietatis amaritudine remanſurus. Ideoq́ue homo quem feciſti ad imaginem tuam, non accepit poteſtatem lumina cœli, neque ipſius occulti cœli, neque diei & noctis, quæ ante cœli conſtitutionem vocaſti, neque congregàtionis aquarum, quod eſt mare, ſed accepit poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptilium, quæ repunt ſuper terram, iudicat enim & approbat, quod rectè, improbat autem, quod perperam inuenerit, ſiue in ea ſolemnitate ſacramentorum, quibus initiantur, quos perueſtigat in aquis multis miſericordia tua, ſiue in ea, qua ille piſcis exhibetur, quem leuatum de profundo, terra pia comedit, ſiue in verborum ſignis vocibusq́ue ſubiectis auctoritati libri tui, tanquam ſub firmamento volitantibus, interpretando, exponendo, diſſerendo, diſputando, benedicendo atque inuocando te, ore erumpentibus, atque ſonantibus ſignis, vt reſpondeat populus. Amen.

QVAEST. XXXIIII.

VNde eſt? quæ eſt ratio? quòd cum numeramus incipiendo ab vno, progredimur vſque ad decem, & demum ad vnum reuertimur. Dicendo vndecim, quod eſt, ac ſi diceremus decem, & vnum.

RESP. Primus numerus totus, & pfectus eſt ternarius, quia cõſtat ex principio medio, & fine, vnum eſt principium. Duo eſt medium, tria eſt finis. Et etiam iſte numerus ternarius eſt primus numerus impar, non enim inueniunt: niſi duo numeri, videlicet par, & impar, & cum iſte ternarius numerus ſit primus impar totus, & perfectus quia conſtat ex principio medio, & fine, oportet vt inueniatur, & primus par, qui ſit totus, & perfectus, vt ſit par requiritur, vt diuidatur inæquales partes, vt ſit totus, & perfectus, requiritur, vt conſtet, principio medio, & fine, vt ſit primus requiritur, vt alius par non præcedat eum, numerus quaternarius habet has omnes conditiones. Eſt enim primus par perfectus, quia nõ eſt duo, cum non conſtet ex principio medio, & fine, quatuor autem ſic, in numero duodenario non eſt medium, quia nec ibi eſt finis, vbi enim non eſt finis; nec medium eſſe poteſt, in quaternario vero. ibi

Contra Acad. li. 1. ca. 12.

est principium, videlicet vnum, ibi est medium, videlicet duo, ibi est finis, videlicet quatuor. Et quia est quædam proportio inter vnum duo tria, & quatuor, q̄d non est, inter alios numeros. Ideo ex ipsis tantum fit decem. Ecce proportio, vnum enim, & duo sunt quodammodo duo principia numerorum. Vnum enim est principium a quo omnes numeri incipiunt, & inueniuntur, & etiam duo, duo autem quia est origo coniunctionis numerorum, idest, quia est prima complicatio numerorum. Ideo & ipse dicitur principium numerorum a quo omnes numeri sunt, cum ibi incipiat numerus, quia vt dicitur vnum non est numerus, sed principium numeri, duo autem est numerus, & primus numerus. Ad proportionem veniamus. Vnum iungatur duobus. Quid fit? tria sine aliquo numero interposito, sed statim sequitur suo ordine numerus ternarius totus, & perfectus, non sic sequitur, si iungātur duo, & tria, quia non quatuor, sed quinque facerent, & sic esset interpositio quaternarij, & sic ordo non sequeretur, ordo autem iustus stat in hijs, & magna concordia, siue proportio, videlicet vnum duo & tria, vnum semel nominatur duo, bis, tria semel. Semel ergo, & bis, & semel. Quater tantum faciunt, vt ergo respondeamus quæstioni. Quia est concordia, & proportio inter ista, videlicet inter vnum duo tria, & quatuor, cum ordine, quod non est, inter alios numeros, & quia ex vno, & duobus, & tribus, & quatuor fiunt postea decem, ideo iterum ad vnum post decem reuertimur, vt stemus semper in connexione numerorum honorabiliorum.

QVAEST. XXXV.

QVid est beatè viuere?

RESPON. Beatè viuere nihil aliud est, nisi secundùm id quod in homine optimum est, idest secundum rationem, & mentē viuere, sed adde tu ex lib. 1. retrac. capit. 1. Hoc quidem verum est. Nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quàm mens, & ratio, sed non secundùm ipsam debet viuere, qui beatè vult viuere alioquin secundùm hominem viuit, cum secundùm Deum viuendum sit, vt possit ad beatitudinem peruenire, propter quam consequendam, non seipsa debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.

Contra Acad. li. li. 1. c. 2.

QVAEST.

QVAEST. XXXVI.

Vera sapientia, quid est?

Respon. Sapientia est rerum humanarum diuinarũq; scientia. Ego scientiam non appello, in qua ille, qui eam profitetur aliquando fallitur, scientia enim non solum comprehensis, sed ita comprehensis rebus constat, vt neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet aduersantibus impulsus nutare debeat. Vnde verissime a quibusdam Philosophis dicitur, in nullo eam posse, nisi in sapiente inueniri, qui non modo perceptum habere debet, quod tuetur, ac sequitur. verum etiam inconcussum tenere. Humanarum rerum scientia illa est, quæ nouit lumen prudentiæ, temperantię decus fortitudinis robur, & iustitię sanctitatem. *Contra Acad. li. 1. c. 6. & cap. 7.*

QVAEST. XXXVII.

Qvæ differentia est inter sapientem, & studiosum seu Philosophum.

Respon. Sapientem a studioso, nulla re differre arbitror, nisi quòd quarum rerum in sapiente quidam habitus inest, earum est in studioso sola flagrantia. Nam mihi nihil aliud videtur interesse, nisi quòd alter scit sapientiam, alter scire desiderat. *Contra Acad. li. 3. c. 3.*

QVAEST. XXXVIII.

Verum an sine Dei auxilio percipi possit?

Respon. Quis autem verum possit ostẽdere abs te Alipi dictum est, a quo ne dissentiam magnopere mihi laborandum est, etenim numẽ aliquod aisti solum posse ostẽdere homini, quid sit verum cum breuiter tum etiam piè. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentius audiui, nihil grauius, nihil probabilius, & si id numen, vt confido assit, nihil verius. *Contra Acad. li. 3. c. 6.*

QVAEST. XXXIX.

Vera amicitia, quæ est.

Respon. Mecum enim familiarissimus amicus meus, *Contra Acad. li. 3. c. 6.*

non ſolum de probabilitate humanæ vitæ. Verum etiam de ipſa religione concordat, quod eſt veri amici manifeſtiſſimum indiciū. Si quidem amicitia rectiſſimè, atque ſanctiſſimè definita eſt, rerū humanarum, & diuinarum cum beneuolentia, & charitate conſenſio.

QVAEST. XL.

AN ordini ſit aliquid contrarium.

De ordi. lib. 1. c. 6

RESPON. Quid ſaltem cenſes ordini eſſe contrarium? Nihil. Nam quomodo eſſe contrarium quidquam poteſt ei rei, quæ totum occupauit, totum obtinuit? Quod enim erit ordini contrarium, neceſſe erit eſſe præter ordinem. Nihil autem eſſe præter ordinem video. Nihil igitur ordini oportet putare eſſe cōtrarium. Ordo enim eſt quem ſi tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem niſi tenuerimus in vita, non perueniemus ad Deum.

QVAEST. XLI.

AN Deus diligat ordinem vniuerſi?

De ordi. lib. 1. c. 7

RESPON. Certè enim Deus amat ordinem, nam ab ipſo manat, & cum ipſo eſt, ſed dices, mala continentur in ordine, ergo Deus mala diligit cum ordinem diligat. Dicitur, quòd mala quidem continentur in ordine. Et tamen Deus non diligit mala, nec ob aliud, niſi quia ordinis non eſt, vt Deus mala diligat, & ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala. Et iſte eſt malorum ordo, vt non diligantur a Deo. An paruus rerum ordo tibi videtur, vt & bona Deus diligat, & non diligat mala? Ita nec præter ordinem, ſunt mala, quæ non diligit Deus. Ipſum tamen ordinem diligit, hoc ipſum enim diligit diligere bona, & non diligere mala, quod eſt magni ordinis, & diuinæ diſpoſitionis.

QVAEST. XLII.

ORdo vniuersi quid sit.

RESPON. Ordo est, quo Deus agit omnia quę sunt, Dices ergo, & quæ aguntur a stulto, ordine aguntur, ita est. Nam omnis vita stultorum, quamuis per eos ipsos minimè constans, minimeq; ordinata sit, per diuinā tn̄ prouidentiam necessario rerum ordine includitur, & quasi quibusdam locis illa ineffabili, & sempiterna lege dispositis, nullo modo esse sinitur, vbi esse non debet. Et ad hoc demonstrandum, non deficiunt humana exempla. Dic mihi quid carnifice tetrius? At inter ipsas leges locum necessarium tenet, & in bene moderatę ciuitatis ordinem inseritur, estque suo animo nocēs, ordine autem alieno, Pœna nocentium. Quid sordidius & turpitudinis plenius, meretricib. lænonib. cęterisq; hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis turbaueris omnia libidinibus, constitue matronarum loco; labe ac dedecore dehonestaueris. Sic igitur hoc genus hominum per suos mores impurissimum vita, per ordinis leges conditione vilissimū. Vnde licet ista sint vilissima, & deformia ordine tamen locantur suis locis. Et sic faciunt ad decorem vniuersi. *De ord. li. 2. c. 4.*

QVAEST. XLIII.

QVid est cum Deo esse?

RESPON. Esse cum Deo est illud, quod ab eo regitur atque administratur, siue cum Deo est, quidquid intelligit Deum. *De ord. lib. 2. c. 2*

QVAEST. XLIIII.

IVstitia Dei, quid est.

RESPON. Iustitia Dei, est, quæ separat inter bonos & malos, & sua cuique tribuit, stante autem hac definitione, sic arguitur, semper Deus fuit iustus, ergo semper fuit bonum & malum, quæ; a Deo possent abinuicē separari, ergo semper fuerunt boni, & mali, vt mala malis, & bona bonis tribuere: Dticitur ad hoc, quòd non semper fuit malum, quia antequam mundus fieret non erat. Et tamē semp Deus fuit iustus, quia semper potuisset sacernere bonum *De ord. li. 2. c. 7.*

nũ a malo si extitisset. Et ex eo ipso quo poterat, iustus erat. Virtus enim per seipsam, non per aliquod huiusmodi opus, consideranda est, & in homine, quanto magis in Deo? sic dicatur, & de ordine. Licet malum non semper fuit. quod in ordine includitur. Fuit tamen semper ordo apud deum.

QVAEST. XLV.

AD adiscendum litteras, siue alias virtutes, quibus rebus necessario ducimur.

De ord. li. 2. c. 9. RESPON. Ad discendum necessario dupliciter ducimur auctoritate atque ratione, tempore authoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur, itaque quamquàm bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior, ratio vero aptior eruditis tamen, quia nullus hominum nisi ex imperito, peritus fit, nullus autem imperitus, nouit qualem se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit, euenit, vt omnibus bona magna, & occulta discere cupientibus, non aperiat nisi authoritas ianuam, quam quisque ingressus sine vlla dubitatione vitæ optimæ præcepta sectatur, per quæ cum docilis factus fuerit: tum demum discet, & quanta ratione prædita sint ea ipsa quæ secutus est ante rationem, & quid sit ipsa ratio, quàm post authoritas cunabula firmus, & idoneus iam sequitur atque comprehendit, & quid intellectus in quo vniuersa sunt, vel ipsa potius vniuersa, & quid præter vniuersa vniuersorum principium. Ad quam cognitionem in hac vita peruenire pauci, vltra quam vero etiam post hanc vitam nemo progredi potest.

QVAEST. XLVI.

AVthoritas diuina, quæ dicenda est.

De ord. li. 2. c. 9. RESPON. Illa authoritas diuina dicẽda est, quæ non solũ in sensibilibus signis trascendit omnem humanam facultatem, sed & ipsum hominem agens, ostendit ei quousque se propter ipsum depresserit, & non teneri sensibus corporis quibus videntur illa miranda, sed ad intellectum iubet euolare, simul demonstrans, & quanta hic possit, & cur hæc faciat, & quam paruipendat. Doceat

enim

enim oportet, & factis potestatem suam, & humilitate clemētiam, & præceptione naturam, quæ omnia sacris quibus initiamur, secretius firmiusque traduntur in quibus facillime bonorum vita non disputationum ambagibus, sed misteriorum authoritate purgatur: Humana vero authoritas plerumque fallit.

QVAEST. XLVII.

QVID est Ratio?

RES. Ratio est mentis motio, ea quæ discutiūtur, siue discūtur distinguendi, & cōnectendi potens: qua duce vti ad Deum intelligendum, vel ipsam quæ aut in nobis, aut vsquequaque est, animā, rarissimum omnino genus hominum potest: non ob aliud, nisi quia in istorū sensuū corporis negotio progresso redire in semetipsum cuique difficile est, itaque cum in rebus ipsis fallacibus ratione totum agere homines moliantur, quid sit ipsa ratio, & qualis sit, nisi perpauci, prorsus ignorant. Mirum videtur, sed tamen se ita res habet, satis est hoc dixisse in præsentia. *De ord. li. 2. c. 11*

Rationale autē est, vt dicunt doctissimi viri, quòd ratione vtitur veluti potest. rationabile vero, quod ratione est factū, vel dictum, .i. res, quæ cum ratione facta est ab vtente ratione.

QVAEST. XLVIII.

AN omnes res ad vnum tendant.

RESPON. Omnes quidem res ad vnum tendunt. Nam lapis vt esset lapis, omnes eius partes omnisque natura in vnum soli data est. Quid arbor? Nonne arbor non esset, si vna non esset? Quid membra cuiuslibet animantis ac viscera, & quidquid est eorum ex quibus constat? Certe si vnitatis patiantur diuortium non erit aīal. Amici quid aliud quàm esse vnū conantur? Et quāto magis vnum tanto magis amici sunt, populus vna ciuitas est cui est periculosa dissensio. Quid est autem dissentire nisi non vnum sentire? Ex multis militibus fit vnus exercitus. Nonne quæuis multitudo eo minus vincitur quo magis in vnum coit? Vnde ipsa coitio in vnum, cuneus nominatus est quasi couneus. Quid amor omnis? Nonne vnum vult fieri cum eo quòd amat? Et si ei contingat, vnum cum eo fit, voluptas ipsa non ob aliud delectat vehemen- *De ord. li. 2. c. 17*

tius, nisi quod amantia sese corpora in vnum coguntur. Dolor vnde perniciosus est? Quia quod vnum erat disiũgere nititur. Ergo molestum, & periculosum est cum eo vnum fieri, quod separari potest.

QVAEST. XLIX.

AN Anima habeat alimenta propria, sicut & corpus habet.

De beata vita, dispu. 1.

RESPON. Quid enim? Anima habet ne aliqua alimẽta propria? An eius esca scientia nobis videtur? plane inquit Aug. mater, nulla re alia credo ali animam quàm intellectu rerum atque scientia. De qua re cum dubitanter streperent, nonne inquam conceditis hominum doctissimorum animos multò esse quàm imperitorum quasi in suo genere pleniores atque maiores? Manifestum esse dixerunt. Recte igitur dicemus eorum animos qui nullis disciplinis eruditi sunt nihilque bonarum artium habuerunt ieiunos, & quasi famelicos esse. Plenos, inquit Trigetius, & illorum animos esse arbitror sed vitijs atque nequitia, ista ipsa est inquàm crede mihi quædam sterilitas, & quasi fames animorum. Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis, atque scabie repletur; quę in eo vitia indicant famẽ. Ita & illorum animi pleni sunt morbis, quibus sua ieiunia confitentur. Etenim ipsam nequitiã matrem omnium vitiorum, ex eo quòd ne quidquam sit, idest ex eo quòd nihil sit, veteres dictam esse voluerunt, cui vitio quæ contraria virtus est frugalitas nominatur. Vt igitur hæc a fruge idest a fructu propter quandam animorum fœcunditatem. Ita illa ab sterilitate, hoc est a nihilo, nequitia nominata est. Nihil est enim omne, quòd fluit quod liquescit, & quasi semper perit. Ideo tales homines etiam perditos dicimus. Est autẽ aliquid si manet si constat si semper tale est vt est virtus cuius magna pars est atque pulcherrima quæ temperantia, & frugalitas dicitur, sed si hoc obscurius est quàm vt id iam vos videre possitis, certe illud conceditis, quia si animi imperitorum etiam ipsi pleni sunt, vt corporum, ita animorum. duo alimentorum genera inueniuntur, vnum salubre atque vtile. Alterum morbidum atque pestiferum.

QVAEST.

QVAEST. L.

QVis est, qui beatus dici possit.

Respon. Omnis, qui quod vult habet, si bona velit: beatus est. nam si mala velit, quamuis habeat, quòd velit, miser est. Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est nō adipisci, quod velis, quàm adipisci velle, quod non oporteat. Plus enim mali prauitas voluntatis affert, quàm fortuna cuique boni, vnde ille non dicitur beatus, qui etiam si bona habeat, non sunt tamen semper manentia, aut nō satiant, oportet, vt talia bona semper maneant, & satient. Solus Deus est bonum semper manens, & satians, ergo qui habet Deum beatus est, & talis non patitur egestatem, nec eam pertimescit, quia sapiens est. Habet ergo modum suum, idest sapientiam, quisquis beatus est. Quæ est autem dicenda sapientia, nisi quæ Dei sapientia est? Accepimus autem authoritate diuina Dei filiū nihil esse aliud, quàm Dei sapientiam, & est Dei filius profectò Deus. Deum igitur habet quisquis beatus est, sed quid putatis esse sapientiam, nisi veritatē? Etiam hoc enim dictum est. Ego sum veritas. Veritas autem, vt sit, fit per aliquem summū modū, a quo procedit, & in quem se perfecta conuertit, ipsi autem summo modo nullus alius modus imponitur; si.n.summus modus p summū modū, modus est, p seipsum modus est: Sed ēt summus modus necesse est, vt verus modus sit, vt igitur veritas modo, i. patre gignitur, ita veritate, modus, idest pater cognoscitur. Neque igitur veritas sine modo, neque modus sine veritate vnquam fuit. Quis est Dei filius? Dictum est veritas. Quis est, qui non habet patrem? Quis alius, quàm summus modus? Quisquis igitur ad summum modum, per veritatem venerit beatus est. Hoc est animum Deum habere, id est Deo frui: Cætera enim, quamuis a Deo habeantur, non habent Deum. Hæc est igitur beata vita piè perfectque cognoscere a quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quid cōnectaris summo modo, quæ tria vnum Deum intelligentibus, vnamque substantiam exclusis vanitatibus, variæ superstitionis ostendunt.

De beata vita dispu. 1. & disp. 3.

1. Cor. 1.
Io. 14.

QVAEST. LI.

De beata vita dispu. 3.

SApientia, quid sit inquiritur.

Respon. Nihil est, aliud sapientia, quàm modus animi. Hoc

Hoc est, quæ se se animus librat, vt neque excurrat in nimium, neque infra, quàm plenum est coarctetur, excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias cœteraque id genus, coarctatur autem sordibus, timoribus, mœrore, cupiditate, atque alijs quæcunque sunt, quibus homines miseros, etiam miseri confitentur.

QVAEST. LII.

AN homo quibuslibet bonis & commoditatibus mundi gaudés, sit stultus, aut sapiens.

Ex solilo quiorum li. 1. c. 15

RESPON. Fuit quidam ditissimus, amenissimus, delitiosissimus, cui neque ad voluptatem quicquã defuit, neque ad gratiã, neque ad bonam integramque valetudinem. Nam & prædiis quæstuosissimis, amicis iocundissimis, quantum libuit abundauit, & illis omnibus aptissime ad salutem corporis vsus est. eiusque breuiter, vt totum explicem, omne institutum voluntatemque omnẽ successio prospera consecuta est, sed licet iste non maiora corporis bona desideraret, tamen illa, quæ habebat timebat aliquãdo amittere. Et sic egebat sapientia, licet non egeret facultatibus, & bonis corporis. Nam & maior & miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia, & qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest, est ergo animi egestas, nihil aliud, quàm stultitia. Hæc est enim contraria sapientiæ, & ita contraria, vt mors vitæ, vt beata vita miseriæ hoc est sine aliquo medio. Nam vt omnis non beatus, homo miser est, omnisque homo non mortuus viuit, sic omnem non stultum, manifestum est esse sapientem, ex quo concluditur istum hominem tam ditissimum, non ex eo tantum fuisse miserũ, quod timebat ne fortunæ illa munera ammitteret, sed & stultus erat cum non sapiens esset. Quo fit, vt miserior esset, ergo nec homo fruens omnibus bonis huius mundi potest dici sapiens, sed potius stultus.

QVAEST. LIII.

De beata vita dispu. 3.

AN veritas interire possit & deficere.

RESPON. Verum & veritas duæ res sunt, & veritas vero est præstantior, quia sicut casto non fit castitas, sed econuerso, ita

ita quia verum est. Veritate vtique est verum, & si quod est verum moritur, non tamen veritas mori potest, quia si veritas moreretur. Adhuc verum esset, quòd veritas esset mortua, & sic veritas adhuc daretur, ergo veritas nullo modo occidet, sed semper manebit.

QVAEST. LIIII.

FAlsum quid est, idest quid illud est, quod dicitur falsum.

RESPON. Falsum illud est, quod ad similitudinem alicuius accōmodatum est, neque id tamen est cuius simile apparet solet ēt dici falsum quod a verisimilitudine longe abest. quod tamen habeat ad verum nōnullam immitationem siue alicuius veri similitudinem, non enim dicimus lapidem esse falsum argentum, quia non habet ad argentum aliquam similitudinem, tamen si quisquā lapidem argentum esse dicat, dicimus falsum eum dicere idest falsam proferre sententiam, stannum autem vel plumbum non absurde vt opinor falsum argentū vocamus, quia aliquam immitationem argenti veri habet, vnde nostra sententia ex eo nō est falsa, sed illud ipsum de quo nuntiatur. *Ex solil. li. 2. c. 15*

QVAEST. LV.

AN anima hominis sit immortalis.

RESPON. Omne quod in subiecto est, si semper manet, ipsum etiam subiectū maneat semper necesse est. Et in animo hominis tamquam in subiecto est disciplina scilicet veritas quæ semper manet, ergo & subiectum quod est anima hominis semper manet, ergo immortalis est. *Ex solil. li. 2. c. 13*

QVAEST. LVI.

AN anima dum est in corpore sit diuisa per partes corporis, an tota in toto, & tota in qualibet parte.

RESPON. Moles quippe omnis quæ occupat locum non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus. Quare aliqua pars eius alibi est. & alibi alia: Anima vero non modo vniuersæ moli corporis sui, sed etiam vnicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionē tota sentit nec in toto tamen corpore *De immor. animæ. c. 16*

re cum enim quid dolet in pede, aduertit oculus, loquitur lingua, admouetur manus. Quod non fieret nisi id quod animæ in eis partib. est, & in pede sentiret. Nec sentire quod ibi factū est absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat, quia passio, quæ fit nō p continuationē molis currit, vt cæteras animę partes quę alibi sūnt latere non sinat, sed illud tota sentit anima quod in particula fit pedis, & ibi tantum sentit vbi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Nec tamen hoc modo adest tota, vt candor vel alia huiusmodi qualitas in vnaquaque parte corporis est. Nam quod in alia parte corporis patitur cum immutatione potest ad cā dorem qui est in alia parte non pertinere. Quapropter secundùm partes molis a se distantes, & ipse a se distare conuincitur. Non autem ita esse in anima, per sensum, de quo dictum est, probatur.

QVAEST. LVII.

ANnima rationalis vnde est idest ex qua regione siue patria ad nos venit, aut ex quibus constat? Qualis est? Quanta est? Cur corpori data est? & cum ad corpus venerit qualis efficit? Qualis cum abscesserit?

De quantitate aię c. 1. 2. 3. 18. 33.

RESPON. Propriam quandam patriam, ac animæ habitationem. Deum ipsum credo esse a quo creata est, substantiam verò eius nominare non possum, quia non est composita, vt corpus ex elementis. Si enim diceres, ex quibus constat hæc arbor, responderem, ex terra, ex aqua, ex aere, & ex igne. Rursus si quæreres, terra, aut aqua, aut aer, aut ignis ex quibus constat, nihil iam quod dicerem reperirem. sic cum quæritur, ex quibus sit homo compositus. respondere possum, ex anima & corpore. Rursum de corpore si quæras, ad illa elementa quatuor recurram. De anima vero quærenti tibi. Cum simplex quiddam & proprię substantiæ videatur esse, non aliter hæream, ac si quæras, vt dictum est. Vnde sit terra. simplex animæ natura dici potest, quia ex alijs naturis non est.

Cum dicis qualis est. respondeo, quòd est similis Deo, similis hoc modo, quia sicut Deus est, immortalis, ita & anima est immortalis, non enim est similis Deo in hoc, vt ipsa faciat, quod Deus facit, cum nec imago corporis mei, quæ est eius similitudo, potest hoc

hoc valere quod meum corpus valet sic anima non mirandum est, si potentiam tantam non habet quantam ille ad cuius similitudinem facta est.

Cum dicis quanta est. Respondeo quòd anima non est longa nec lata cum hoc sit corporis. Et ideo quia non est corperea præcipitur in babtismo vt oĩa corporea contẽnat. vniuersoq; huic mũdo renuntiet. Et quamuis non sit corporea, est tamen aliquid quod tali exẽplo probatur. Arbor quidem est aliquid sed iustitia multo, melior est arbore, ergo, & iustitia multo melius est aliquid, licet nõ sit longa nec lata vti est arbor, ita est & de anima, quæ licet sit quædam substantia rationis particeps regendo corpori accomodata nõ tamen est quanta. Magna quædam crede mihi. Magna, sed sine vlla mole de animo cogitanda sunt, equidem non crescit anima in puero dum ipse corpore crescit quia molem n on habet, crescit tamen peritia in discẽdo quia fit peritior, & in dediscẽdo minuitur, tamen illud cauendum est ne quasi spatium loci maius occupare videatur, dum dicitur crescere sed maiorem quandam vim peritior quam imperitior habere ad agendum, sed vt melius discutiamus quanta sit eius vis, qua vi non occupat locum. Videamus gradus anime.

Primus animę gradus est viuificare corpus præsentia sua, & ipsum colligere in vnum & tenere vt non difluat nec contabescat, & facere alimẽta equaliter distribui suis quibusque redditis. Et hæc omnia homini communia sunt cum arbustis.

Secundus gradus anim e est vis eius in sensibus quæ magis manifestatur in i pso motu animantis. Et hac vi, tactu discernit calida frigida aspera lenia, dura mollia, leuia & grauia. Deinde innumerabiles differentias saporum odorum sonorum formarum, gustando obsaciendo, audiendo vidẽdoque dijudicat, Atque in his omnibus ea quæ secundum naturã sui corporis sunt ascisisit atque appetit reijcit fugitque contraria, & omnia cum bestijs communia homini sunt, tertius gradus est homini proprius, & in hoc excellit animalia bruta videlicet per discursum rationis quo mediante tot artes, tot edificationes vrbitm tot numeros librorũ tot ordines familiatum, tot apparatus tot bona simul ac mala fiunt sed hęc communia sunt doctis & indoctis, bonis ac malis animis. ideo sequitur quartus gradus,

Quartus gradus animæ est considerare se meliorem omnibus

corruptibili-

corruptibilibus rebus,& ideo se purgat ab his, & quærit varijs medijs puram ac mundam in conspectu dei fieri, partim ex consideratione mortis, partim ex cõsideratione bonitatis gubernationis, ꝓuidentięq; summi dei, & ad tantã vim in hoc gradu prouehitur, vt mortẽ valde timẽdam non timeat, nec angatur aliquibus aduersis.

Quintus gradus aïæ: est nõ efficere se purgatã, sed purgatã esse, i. tenere puritatem, in quo gradu non patitur se rursus inquinari. Et in hoc gradu omnifariam concipit quanta sit. Quod cum conceperit tunc verò ingẽti quadã, & incredibili fiducia pergit in Deum idest in ipsam contemplationem veritatis, & illud propter quod tm̃ laboratũ est altissimũ & sacratissimũ ꝓmium, sed hęc actio. i. appetitio intelligendi ea quę vere summeque sunt, summus aspectus est animæ quo perfectiorem meliorem rectioremque non habet. Sextus gradus animæ est serenum atque rectum aspectum in id quod videndum est dirigere, Aliud est enim mundari oculum ipsum animæ ne frustra, & temerè aspiciat, & prauè videat, quod est quarti gradus. Aliud est ipsam custodire atque firmare sanitatem, quod est quinti gradus, & aliud est dirigere aspectum in id quod videndũ est quod est huius sexti gradus. Non enim possibile est dirigere aspectũ in illam lucem veritatis nisi prius mundati & sanati fuerimus. Dicebat. n. propheta in Psal. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, spiritus enim rectus est credo quo fit ut anima in veritate quærenda deuiare atque errare non possit. Qui profecto in ea non instauratur nisi prius Cor mundum fuerit, hoc est nisi prius ipsa cogitatio ab omni cupiditate ac fece rerum mortalium sese cohibuerit, & eliquauerit.

Psal. 50

Septimus & vltimus gradus animę est mansio ipsius animæ in ipsa visione atque contemplatione veritatis & certe non iam gradus sed quędam mansio ad quem illis superioribus gradibus peruenitur potius debet nominari: Audisti quanta uis sit animę ac potentia quod vt breuiter colligam quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod deus est, ita præsumendum, nihil inter omnia quæ creauit Deo esse propinquius.

Resumamus ergo sic istos septem gradus causa adiscendi, primus dicetur animatio, secundus sensus tertius Ars, quartus virtus, quintus tranquillitas, sextus ingressio septimus contemplatio: possunt & hoc modo appellari primus de corpore secundus, per

corpus

corpus, tertius circa corpus, quartus ad seipsam quintus in seipsam sextus ad Deum septimus apud Deum, possunt, & sic, pulchre de aliopulchre circa aliud pulchre ad pulchrum pulchre in pulchro, pulchre ad pulchritudinem pulchre apud pulchritudinem.

Cum dicis cur corpori data est. Respondet Aug. sic. Quis est qui iuste stomachetur quod agendo atque ministrando corpori anima data sit, cum tantus & tam diuinus rerum ordo, conecti melius non possit?

Cum dicis qualis in corpore efficiatur Respdndet Aug. sic Aut quęrendum quis putet qualis in hoc mortali, & fragili corpore efficiatur, cum & in mortem propter peccatum, iure contrusa sit, & virtute hic etiam possit excellere?

Cum dicis qualis efficiatur cum abscesserit. Respondet Aug. sic aut qualis post hoc corpus futura sit cum & pœna mortis, necessario manere debeat manente peccato, & virtuti pietatique sit Deus ipse idest veritas ipsa pręmium.

QVAEST. LVIII.

QVæ sit vera Religio inquiritur.

RESPON. Est enim vera religio qua se vni Deo anima, vnde se peccato velut abruperat reconciliatione religat, innectit ergo animam in illo actu tertio. i. tertio gradu superius descripto atq; incipit ducere, purgat in quarto, reformat in quinto introducit in sexto, pascit in septimo atq; hoc alias citius, aliàs tardius, vt queq; amore ac meritis valēt: Oĩa tamē, Deus iustissimè pulcherrimè facit quoquomodo sese habere voluerint, de quiqus facit. *De quantita. animæ c. 36.*

QVAEST. LIX.

CVi magis credendum an authoritati an rationi?

RESPON. Aliud est cum authoritati credimus, aliud cum rationi. Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. Quod si te delectat poteris multa legère quæ magni, & diuini viri de his rebus neccessatio quæ videbant & salubiter impehis quorum animis, uel tardiorib., uel implicationib. alia salus esse ritoribus quasi nutu quodam loquuti sunt crediq; sibi voluerūt eb non posset. Tales enim homines quorum profecto maxima mul *De quantita. animæ. c. 7.*

titudo

titudo est, si ratione velint verum comprehendere similitudinibus rationum facilimè decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones, ita labuntur, vt emergere inde, ac liberari, aut nunquã, aut egerrime queant. His ergo vtilissimum est, excellentissimæ authoritati credere, & secundùm hoc agere vitam, quod si tutius putas non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo, si autem cupiditatem istam refrenare non potes, quia tibi persuasisti ratione perueni re ad veritatem. Multi & longi circuitus tibi tolerandi sunt, vt non ratio te adducat, nisi ea, quæ sola ratio dicenda est, id est vera ratio, & non solum vera, sed ita certa, & ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamen vllo modo hæc ab homine inueniri potest, vt nullæ disputationes falsæ, aut verisimiles ab ea te possint traducere.

QVAEST. LX.

QVid est iustitia?

RESPON. Iustitia aliud non est, nisi æquitas. Aequitas autem ab ęqualitate quadam videtur, appellata, sed quæ in hac virtute ęquitas, nisi, vt sua cuique tribuantur? porro sua cuique nisi quadam distinctione tribui non possunt, & sic iustitia seruari non potest, nisi in rebus, in quibus seruatur, sit quædam, vt ita dicam imparilitas, & dissimilitudo.

De quantita. aïæ cap. 9.

QVAEST. LXI.

IMpudens dubitatio quid est.

RESPON. Impudens dubitatio duobus fieri modis cognoscitur, vno modo, quando homo ex pigritia, non vult vti ratione, & ratiocinari dum potest ad inuestigandam veritatem, sed potius vult in tenebris remanere, vt sunt quidam, qui propter laborem, nolũt studere, licet bonum ingenium habeant, sed potius in ignorantia stare, & sic dubitant de omnibus, quasi rebus, secundo modo est, quando homo non vult stare ex superbia, dictis aliorum, qui magno labore acquisierunt scientiam, & veritatem inuenerunt, neque aliam ob causam facit, nisi quòd a semetipso talis veritas non est inuenta. Quod genus inuidiæ impudentissimum esse, ratio probat. Minus enim ego de his rebus dubito, quàm de his, quas istis oculis videmus cum pituita semper bellum gerentibus.

De quantita. aïæ cap. 15.

QVAEST.

QVAEST. LXII.

SEnsus corporis quid sit.

RESPON. Sensus corporis est passio corporis per seipsam non latens animam per temperantiam corporis. (De quantita. aiæ c.25. & 30.)

QVAEST. LXIII.

DEus est ne auctor mali?

RESPON. Duobus modis appellare solemus malũ vno modo cum male quẽquam fecisse dicimus, alio cum mali aliquid esse perpessum. Nam cum Deus bonus sit, malum non facit. Et cum iustus sit, vtiq; præmia bonis, & suplicia malis tribuit, quæ vtiq; suplicia patientib. mala sunt. Vnde cũ nemo iniuste luat pœnas, quia hoc vniuersum diuina prouidentia regitur. Dicimus, quòd Deus nullo modo est auctor illius primi gradus mali. Secundi autem est auctor. Quis est auctor mali primi generis, vtique non Deus, nec vnus aliquis homo sed quisque malus sui male facti auctor est. Qui facit malum a quo didicit malum facere? Ad hoc respondetur quòd non est inuestigandum hoc, quia nullus malus doctor inuenitur. Nam omnis qui discit bene facit, & omnis qui discit intelligit & omnis qui intelligit bene facit, quisquis igitur quærit auctorem per quem aliquid discimus auctorem profecto per quem benefaciamus quærit. Qua propter desine velle inuestigare, nescio quem malum doctorẽ, si. n. malus est, doctor nõ est, si doctores malus nõ est. Relinquitur ergo ꝙ nulla alia res mẽtem nostram, cupiditatis comitem faciat quam propria voluntas & liberum atbitrium quia nihil pręfertur ipsi menti nisi Deus qui non facit eam peccare. Demum nullum inferius ipsa mentre, potest eam in seruitutem peccati redigere ergo per seipsam ad malum currit. (De libero arb. li. 1. ca. 1. & 11.)

QVAEST. LXIIII.

BONA voluntas quid est.

RESPON. Bona voluntas est voluntas qua appetimus rectè honesteque viuere, & ad summam sapientiam peruenire. Quam (De libero arb. li. 1. ca. 12.)

quidem voluntatem, quisque cum habet, id certè habet, quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longè anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profectò illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illi voluntas per seipsam daret.

QVAEST. LXV.

Virtutes Cardinales, videlicet Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iustitia, quæro quid sint.

De libero arb. li. 1. c. 13

RESPON. Prudentia est scientia appetendarum, & vitandarum rerum. Fortitudo est illa animæ affectio, qua omnia incommoda, & damna rerum non in nostra potestate constitutarum cōtemnimus. Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his rebus, quę turpiter appetuntur. Iustitia est, virtus qua sua cuique tribuuntur, & ille qui habet bonam voluntatem; necesse est, vt habeat has quatuor virtutes.

QVAEST. LXVI.

Qvę est causa, quòd tam pauci homines ad beatitudinem perueniant, cum omnes velint, & cupiant illam?

De libero arb. li. 1. ca. 14.

RESPON. Dictum est, quòd homines illam beatitudinem merentur voluntate sua præuenta tamen & adiuta à Dei gratia. Et etiam voluntate sua, miseram vitam merentur, sed dices. Quomodo voluntate sua quis meretur vitam miseram, cum nemo eam velit. Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cum tam multi miseri sint, & beati omnes esse velint? An eo euenit, quod aliud est velle bene, aut male, aliud mereri aliquid per bonam, vel malam voluntatem? Nam illi, qui beati sunt, quos etiam bonos esse opportet, non propterea sunt beati, quia beate viuere voluerunt. nam hoc volunt etiam mali, sed quia rectè viuere volunt, quod mali nolunt, quamobrem nihil mirum est, quòd miseri homines, non adipiscuntur, quod volunt, id est beatam vitam. Itaque cum dicimus, voluntate, homines esse miseros, non ideo dicimus, quòd miseri esse velint, sed quòd in ea voluntate sunt, quam etiam eis inuitis miseria sequatur necesse

cesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quòd volunt omnes beati esse, nec possunt. Non enim volunt omnes rectè viuere, cui vni voluntati, vita beata debetur.

QVAEST. LXVII.

MAlefacere quid sit inuestigandum est.

RESPON. Malefacere nihil aliud est, quàm neglectis rebus ęternis, quibus per seipsam, mens fruitur, & per seipsam percipit, & quas amans amittere non potest, temporalia, & quę per corpus hominis partem vilissimam sentiuntur, & nunquam esse certa possunt, quasi magna & miranda sectari. Nam hoc vero genere omnia malefacta, id est peccata, mihi videntur includi. Et hęc malefacta facimus ex libero voluntatis arbitrio. *De libero arb.li. 1.ca.16.*

QVAEST. LXVIII.

CVr homini dedit Deus liberum arbitrium, quod si non dedisset, nunquam homo peccasset. Vnde quia dedit videtur quasi Deum esse aliqualiter auctorem peccati ab homine perpetrati.

RESPON. Homo aliquod bonum est, quia rectè viuere cum vult potest, sed cum sit aliquod bonum, & quòd non posset rectè viuere, nisi vellet, sequitur quòd debuit habere liberam voluntatem, sine qua rectè facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est. Satis ergo causę est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo rectè non potest viuere. Ad hoc autem datam, vel hic intelligi potest, quia si quis ea vsus fuerit ad peccandum, diuinitus in eum vindicatur. Quod iniustè fieret, si non solum, vt rectè viueretur, sed etiam vt peccaretur. libera esset voluntas data. Quo enim iustè vindicaretur in eum, qui ad hanc rem vsus esset voluntate, ad quá rem data est? Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, nisi cur non ad eam rem vsus es libera voluntate ad quam tibi eam dedi, hoc est ad rectè faciendum? *De libero arb.li. 2.c.1.*

QVAEST. LXIX.

ERrare quid est.

De libero arb. li. 2. c. 9.

RESPON. Quisquis appetit, quod appetendum non est, tametsi id non appeteret, nisi ei videretur bonum, errat tamen. Errare autem, neque ille potest, qui nihil appetit, neque ille, qui hoc appetit, quod debet appetere, inquantum igitur omnes homines, appetunt vitam beatam, non errant, inquantum autem, quisquis non eam tenet vitę viam, quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur, & profiteatur nolle nisi ad beatitudinem peruenire in tantum errat, error est enim cum sequimur aliquid, quod non ad id ducit, quo volumus peruenire.

QVAEST. LXX.

CVm Deus dederit homini liberum arbitrium, vt possit bene facere, quare dedit, vt etiam homo per ipsum possit conuerti ad peccandum? vtique dare non debuisset.

De libero arb. li. 2. ca. 18.

RESPON. Sciendum est animam humanam, maius bonum esse, quàm corpus. Si ergo in corporis bonis, inuenimus aliqua, quibus non rectè vti homo possit, nec tamen dicimus non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona, quid mirum si & in animo, sunt quædam bona, quibus etiam non rectè vti possimus, sed quia bona sunt, non potuerunt dari nisi ab illo a quo sunt omnia bona: Vides enim, quantum boni desit corpori, cui desunt manus, vel pedes, vel oculi, & tamen homo aliquando male vtitur his membris. Cum autem assunt, quis hæc dedit, nisi bonorum omnium largitor Deus? Quemadmodum ergo ista probas in corpore, & non intuens eos, qui malè his vtuntur, Laudas illum, qui hęc dedit bona. Sic liberam voluntatem, sine qua nemo potest rectè viuere, oportet & bonum esse, & diuinitus datum, & potius eos damnandos, qui hoc bono male vtuntur, quàm eum qui dederit, dare non debuisse fatearis.

QVAEST. LXXI.

CVm libera hominis voluntas, sit non paruum bonum a Deo homini datum, vnde fit, vt homo auertatur a Deo, & conuertatur ad infima, & caduca per liberum arbitrium, talis motus auersionis, vnde causatur?

RESPON. Si talis motus esset naturalis, quemadmodum motus lapidis cum per se ad ima descendit, est naturalis, vtiq; nõ posset vituperari homo cum conuerteretur ad caduca, quia naturaliter moueretur, & necessitate naturæ suæ, ad perniciem compelleretur, sed talis motus, non dicitur naturalis, vti motus lapidis, sed dicitur voluntarius, & sic anima est, quę seipsam mouet libera volũtate, ad caduca. Nam si talis motus non esset voluntarius, non esset culpandus homo, cum ad caduca vadit, nec laudandus cum ad superiora ascendit. *De libero arb. li. 3. c. 1.*

QVAEST. LXXII.

QVomodo stant simul nos voluntate, & non necessitate peccare, & quod Deus sit præscius futurorum omnium. si enim Deus est præscius inquies peccaturum esse hominem, necesse est, vt peccet. Si autem necesse est non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius ineuitabilis, & fixa necessitas.

RESP. Aduertendũ est hic, q; voluntas nostra, nõ esset voluntas, nisi in nostra potestate esset, & quia est in nostra potestate, ideo libera est, nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus. Cum igitur sit Deus præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius, ipsa erit: Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit, ergo & potestatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur affuturam mihi esse præsciuit. Non igitur aduersantur illa duo in contrarium adducta, quia sicuti, cum pręscis tu aliquem peccaturum, vtique peccabit, quia aliter non esset præscientia, nisi esset certa. Et tamen tu non *De libero arb. li. 3. c. 3. & 4.*

cogeres peccare, quem peccaturum esse præscires, ita cum præscit Deus aliquem peccaturum, vtique peccabit, sed Deus non coget eum, quia præuidet voluntate sua peccaturum. Cur ergo non iudicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua, non cogis facta esse, quæ preterierunt, sic Deus præscientia sua, non cogit facienda, quæ futura sunt, & sicut tu quædam quæ fecisti meministi, nec tamen omnia quę meministi, omnia fecisti, ita Deus omnia quorum ipse auctor est pręscit, nec tamen omniũ, quę præscit, ipse auctor est, quorum autem non est malus auctor, iustus est vltor.

QVAEST. LXXIII.

De libero arb. li. 3. ca. 10.

ORigines peccatorum quot sunt?

RESPON. Duę sunt origines peccatorum. Vna spontanea cogitatione, altera persuasione alterius, quò pertinere arbitror quod Propheta dicit. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Vtrunque voluntarium est quidem. Nam sicut propria cogitatione non peccat inuitus, ita dum consentit male suadenti, non vtique nisi voluntate consentit, sed tamen grauius est, non solum nullo suadente, propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per inuidiam dolumque suadere, quàm ad peccandum alterius suasione traduci, seruata est ergo in vtroq; peccato iustitia Dei punientis.

QVAEST. LXXIIII.

De libero arb. li. 3. ca. 11.

SI ex peccato hominis labefactatus sit ordo vniuersi.

RESPON. Naturas omnes Deus fecit, non solum in virtute, atque iustitia permansuras, sed etiam peccaturas, non vt peccarent, sed vt essent ornaturę vniuersum, siue peccare, siue non peccare voluissent. Si enim rebus deessent animæ, quæ ipsum fastigium ordinis in vniuersa creatura, sic obtinerent, vt si peccare voluissent, infirmaretur, & labefacteretur vniuersitas magnum quiddã deesset creaturę. Illud enim deesset quo remoto stabilitas rerũ, atque connexio turbaretur. Tales sunt optimè, & sanctæ, & sublimes creaturæ, cœlestium, vel super cœlestium potestatum, quibus solus Deus imperat. Vniuersus autem mundus subietus est: Sine

istarum

istarum officijs iustis atque perfectis esse vniuersitas non potest. item si deessent quæ siue peccarent siue non peccarent, nihil vniuersitatis ordini minueretur etiam sic plurimum deesset. Animæ sunt enim rationales & illis superioribus officio quidem impares, sed natura pares quibus adhuc inferiores sunt multi, & tamen laudabiles a summo Deo, constitutarum rerum gradus, illa ergo natura sublimioris officij est quæ non solum si non esset, sed etiam si peccaret minuueret ordinẽ vniuersitatis, inferioris officij est ista quæ tantummodo si non esset, non autem si peccaret aliquid minus haberet vniuersitas.

QVAEST. LXXV.

Vitium est ne contra naturam?

Respon. Omne quippe vitium eoipso quo vitium est, contra naturam est, si enim naturę non nocet nec vitium est, si autem quia nocet ideo vitium est. Et ideo vitium est quia contra naturam est. Non enim tibi recte in vitio displicet nisi quia vitiat quod in natura placet. *De libero arb. li. 3. ca. 13.*

QVAEST. LXXVI.

Qvare nos nascimur, cum cecitate ignorantiæ, & cruciatibus difficultatis, quia Adam & Eua peccauerũt, quid ad nos eorum peccatum? quid nos miseri fecimus vt primo erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum, deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitię vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus?

Respon. His breuiter respondetur vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quærerẽtur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero vbique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperãtem, diligentẽ exhortetur. Conantẽ adiuuet, exaudiat deprecantẽ, non deputatur ad culpam quod inuitus ignoras neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contẽnis, ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est, scire vtiliter quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam *De libero arb. li. 3. ca. 19. 20. et 22*

imbecilitatẽ, vt quærenti & confitenti ille ſubueniat qui nec errat dum ſubuenit nec laborat. Nam illud quod ignorans quiſque nõ recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicũtur peccata quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt, illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quòd mouemus in ore dum loquimur, ſed & formam tenoremque verborum ſecundum quem modum dicimus alia lingua greca alia latina, ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate & ab ſciente committitur, ſed etiam illud quod iam de huius ſupplicio conſequatvr neceſſe eſt. Sic etiam ipſam naturam aliter dicimus cum proprie loquimur naturam hominis in qua primũ in ſuo genere inculpabilis factus eſt, aliter iſtam in qua ex illius, damnati pœna, & mortales & ignari, & carni ſubditi naſcimur iuxta quem modum dicit Apoſtolus. Fuimus enim & nos naturaliter filij irę ſicut & cæteri.

Quod autem nos naſcamur cum ignorantia cum difficultate, & mortalitate quoniam illi primi parentes peccauerunt & in mortem pcipitati ſunt, ſic Deo rerũ moderatori ſummo iuſtiſſime placuit. Vt in ortu hominis originaliter appareret iuſtitia punientis & in prouectu miſeria liberantis. Iam vero vt meliores gigneret, quàm ipſe eſſet non erat ęquitatis, ſed ex conuerſione ad Deum, vt vinceret quiſque ſupplicium quod origo eius ex auerſione meruerat, non ſolum volentem non prohiberi, ſed etiam adiuuari oportebat. Sic enim rerũ creator oſtendit quãta facilitate potuiſſet homo, ſi voluiſſet retinere quod factus eſt cum proles eius potuit etiam ſuperare quod nata eſt. Mittuntur enim animæ ad inſpiranda & regenda corpora ſingulorum quorumque naſcentium, ad hoc vtiqne mittuntur officium vt corpus quod de pœna peccati, hoc eſt de mortalitate primi hominis naſcitur bene adminiſtrando ideſt caſtigando per virtutes, & ordinatiſſime atque legitime ſeruituti ſubijciẽdo & ipſi corpori cõpararent ordine atq; tempore opportuno cœleſtis incorruptionis locum. Quæ cum introeũt in hanc vitã ſubeuntque geſtanda membra mortalia, ſubeant etiã neceſſe eſt, & obliuionem vitę prioris, & præſentis, laborem. Vnde illa ignorantia & difficultas conſequitur quod in primo homine ſuplicium mortalitatis fuit ad animi expendendam miſeriam in iſtis autem ianua miniſterij ad reparandam corporis in corruptionem.

ptionem. Nam hoc quoq; modo nõ dicũtur ista peccata nisi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quę neque his neque creatori tamquam culpanda tribuatur. Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum sed quod scire non studuit, & quod dignam facilitati cõparandæ ad recte faciendum operá non dedit, loqui enim nosse atque non posse infanti naturale est, quę ignorantia difficultasque sermonis non modo inculpabilis sub grammaticorum legibus sed etiam humanis affectibus blanda, & grata est. Non enim vllo vitio illam facultatem comparare neglexit aut vllo vitio quam comparuerat omisit.

QVAEST. LXXVII.

SAcramentum baptismi Christi quid paruulis prosit, cum eo accepto, plerumque moriuntur priusquam ex eo quidquam cognoscere potuerunr.

RESPON. Qua in re satis piè rectè quæ creditur prodesse paruulo eorum fidem, a quibus consecrandus offertur. Et hoc ecclesię commendat salluberrima authoritas, vt ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quãdo in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduę profuit fides sua quam vtique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris vt resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere Paruulo, cui sua perfidia non potest imputari? *De libero arb. li. 3. ca. 23.*

QVAEST. LXXVIII.

DOlor quid est.

RESPON. Dolor nihil aliud est nisi quidam sensus diuisionis vel corruptionis impatiens: Vnde luce clarius apparet, quã sit illa anima in sui corporis vniuersitate auida vnitatis & tenax, quæ nec libenter; nec indifferenter, sed potius renitẽter, & reluctãter intenditur in eam passionem corporis sui per quam eius vnitatem atque integritatem labefactari molestè accipit. Non ergo appareret, quantus in inferioribus creaturis animalibus esset appetitus vnitatis, nisi dolore bestiarum. *De libero arb. li. 3. ca. 23.*

QVAEST.

QVAEST. LXXIX.

QVare infantes baptizati, aliquando doloribus corporis, sic cruciãtur, ac si haberent peccata, cum tamen non habeant.

De libero arb. li. 3. ca. 23. RESPON. Paruuli innocentes flagellantur aliquando, & cruciantur corporaliter, vt duritia maiorum contundatur, aut fides exerceatur, aut misericordia ꝓbetur. Demũ quis nouit q̃d ipsis paruulis, in secreto iudiciorum suorum bonæ compensationis reseruet Deus? Qui paruuli, quamquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid, ista perpessi sunt. Non enim infantes innocentes, qui ab Herode occisi sunt pro Christo, frustra in honorẽ martyrum receptos commẽdat ecclesia, vnde potest videri ad quẽ honorem, eorum cruciatus Deus reseruauit, de cruciatibus etiam animalium, quæ non peccant, dicimus, quòd nos illorum dolorib. admonemur in illa summa, & ineffabili vnitate creatoris esse omnia constituta, cum videmus oculis proprijs, animam molestè accipere illos dolores, quia dolor vellet diuisionem, & non vnitatẽ, & tamen animalium appetitus est etiam ipse ad vnitatem.

QVAEST. LXXX.

HOmo quomodo factus est? Aut sapiens, aut stultus factus est; si sapiens; quomodo potuit seduci? si stultus, quomodo Deus non est author vitiorum: cum sit stultitia maximum vitium?

De libero arb. li. 3. ca. 24. RESPON. Dicimus, quòd datur medium inter stultitiam, & sapientiam, quod nec stultitia, nec sapiẽtia dici potest: Tunc enim homo incipit, aut stultus esse, aut sapiens, vt alterũ horum necessariò appelletur, cum iam posset, nisi negligeret, habere sapientiam, vt vitiosæ, stultitiæ, sit voluntas rea. Non enim quisquam desipit, vt stultum appellet infantem, quamuis sit absurdior si velit appellare sapientem. Vt ergo infans, nec stultus, nec sapiens dici potest, quamuis iam homo sit: ex quo apparet hominis naturam recipere aliquid medium, quod neque stultitiam, neque sapientiã rectè vocaueris: ita etiam si quisquam tali affectione animatus esset qualem habent illi, qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum rectè diceret, quem non vitio, sed natura talem videret. Est enim stultitia rerum appetendarum, & vitandarum,

non quælibet ſed vitioſa ignorantia. Vnde neque animal irrationale ſtultum dicimus, quia non accepit, vt ſapiens eſſe poſſet. Appellamus tamen aliquid ex ſimilitudine plerunque non propriè: Nam & cœcitas cum maximum vitium ſit oculorum, non tamen in catulis naſcentibus vitium eſt, nec propriè cæcitas dici poteſt.

Si ergo ita factus eſt homo, vt quamuis ſapiens nondum eſſet. præceptum tamen poſſet accipere, cui vtique obtemperare deberet; nec illud iam mirum eſt, quòd ſeduci potuit, nec illud iniuſtũ, quòd præcepto non obtemperans pœnas luit: nec creator eius author vitiorum eſt: quia non habere ſapientiam, nondum erat vitium hominis, ſi nondum, vt habere poſſet acceperat, ſed tamen habebat aliquid quo ſi bene vti vellet, ad id quod nõ habebat aſcẽderet. Aliud eſt enim eſse rationa le, aliud eſse ſapientem. Ratione quiſque fit præcepti capax, cui fidem debet, vt quod præcipitur faciat, ſicut autem natura rationis præceptum capit, ſic præcepti obſeruatio ſapientiam.

QVAEST. LXXXI.

Diabolum quis mouit ad peccandum. Dum primum peccatum commiſit, non enim habuit ſuaſorem ab extra, ſicut homo, & tamen peccauit, quia venit in mentem eius ſe auerti a Deo. Et vnde igitur venit in mentem, vt ea moliretur, quib. ex bono Angelo diabolus fieret?

RESPON. Duobus modis quis inducitur ad peccandum, aut ſuggeſtione ſuadentis, quale fuit illud diaboli, cui homo conſentiẽdo, peccauit, aut a ſubiacentibus rebus, quæ aut ſubiacent intentioni animi, vt eſt ipſe animus, & etiam corpus, quod ipſe animus adminiſtrat, aut ſubiacent ſenſibus corporis, vt ſunt quæcunque corporea, Lucifer enim dum contemplaretur Deum, incommutabilẽ, in tali contemplatione intuebatur etiam ſeipſum, cõmutabilem, vnde ſic veniebat in mentem ſui ipſius, & hoc non fiebat, niſi quia videre ſe, non eſse, quod Deus, debebat, ſed tamen ſibi placuit ipſe pluſquam Deus, cum potius debebat in tali contemplatione ſeipſum contemnere, & ſui, præ charitate incommutabilis Dei obliuiſci, ſed quia ſibi plus placuit, ad peruerſè imitandum Deũ, vt poteſtate ſua frui vellet, tanto factus eſt minor, quanto cupiebat ſe eſse maiorem: Et hoc eſt initium omnis peccati, ſuperbia, & initium

De libero arb. li. 3. ca. 25.

initium superbiæ hominis apostatare a Deo, superbiæ autem dyaboli accessit maleuolentissima inuidia, vt hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Vnde factum est, vt pœna hominem susciperet emendatoria potius, quam interfectoria.

QVAEST. LXXXI.

Error in religione chistiana vnde prouenit. Et vnde defenditur vera religio.

De vera Rel. c. 10

RESPON. Nullus error in religione posset esse, si anima pro Deo suo non coleret animã idest creaturam spiritualem, aut corpus, aut phamtasmata sua, aut horum aliqua duo coniuncta, aut certè simul omnia, sed in hac vita societati generis humani sine dolo temporaliter congruens, æterna meditaretur, vnum Deum colens. Non ergo creaturæ potius quam creatori seruiamus, nec eua nesca mus in cogitationibus nostris, & perfecta religio est. Ea est, nostris temporibus christiana religio, quã cognoscere, ac sequi securissima ac certissima salus est. Deffendi autẽ aduersus loquaces, & aperiri querentibus multis modis potest. Omnipotente ipso Deo demonstrante per seipsum, quæ vera sunt, & ad hæc intuenda, & percipienda bonas voluntates, per bonos Angelos, & quoslibet homines adiuuante. Eo modo autem quisq; vtitur quem videt congruere ijs cum quibus agit. Ego itaque diù multumque considerans, quales oblatrantes & quales quærentes expertus sum, vel qualis ipse, siue cum latrarem, siue cũ quærerem, fuerim, hoc modo mihi vtendum putaui, Quæ vera esse perspexeris tene, & ecclesiæ catholicæ tribue, quæ falsa respue, & mihi qui homo sum ignosce, quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat authoritas.

QVAEST. LXXXIII.

Phantasmata quid sunt.

De vera Rel. c. 10

RESPON. Phantasmata nihil sunt aliud quàm de specie corporis, corporeo sensu tracta figmenta, quę memoriæ mandare vt accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere vel distẽdere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando

tando

tando facillimum est sed cum verum quæritur cauere & vitare difficillimum est.

QVAEST. LXXXIIII.

PEccatum quare est malum & quare dicitur peccatum.

RESPON. Nunc vero vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Et iterum dicit quòd nullum peccatum potest committi nisi dum appetuntur ea quæ Christus contempsit, aut quæ ille sustinuit. Tota enim vita eius in terris per hominem quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit. *De vera reli.c.13 & 16.*

QVAEST. LXXXV.

MIracula quare his temporibus non sic frequenter fiunt, vt in primitiua ecclesia fiebant.

RESPON. Cum enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt ne animus semper visibilia quæreret, & eorum cõsuetudine frigesceret genus humanũ quorum nouitate flagrauit. *De vera reli.c.22*

QVAEST. LXXXVI.

QVid sit vetus homo & quid nouus homo.

RESPON. Dispensatio ergo temporalis, & medicina diuinę prouidentiæ erga illos qui peccato mortalitatem meruerunt sic traditur. Primò vniuscuiuslibet hominis nascentis natura, & eruditio cogitatur. Prima huius ætas infantia in nutrimentis corporalibus, agitur, penitus obliuiscenda crescenti. Eam pueritia, sequitur vnde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescentia, cui iam propagationem prolis natura permittit, & patrem facit. Porro adolescentiam iuuentus excipit, iam exercenda muneribus publicis, & domanda sub legibus in qua vehementior prohibitio peccatorũ, & pœna peccantiũ seruiliter coercens, atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa congeminat. Non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed etiam vetitum admittere. Post labores autem iuuentutis, seniori pax nonulla *De vera reli.c.26*

la concedit: inde vsque ad mortem deterior ætas, ac decolor, & morbis subiectior debilisque perducit. Hec est vita hominis viuentis ex corpore, & cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic dicitur vetus homo, & exterior & terrenus, etiam si obtineat eam quam vulgus vocat fœlicitatem in bene constituta terrena ciuitate, siue sub regibus, siue sub principibus siue sub legibus, siue sub his omnibns. Aliter enim bene constitui populus non potest etiam qui terrena sectatur. Hunc veterem hominem nonnulli agunt totum ab istius vitæ ortu vsque ad occasum. Nonnulli autẽ istam vitam necessariò ab illo incipiunt, sed renascuntur interius, & ceteras eius partes spiritu necant, & in cœlestes leges, donec post visibilem mortem instauretur totum astringunt, iste dicitur nouus homo, & interior & cœlestis, habens & proportione non annis, sed profectibus distinctas quasdam spiritales etates suas, primam in vberibus vtilis hystorie, quæ nutrit exemplis, secundam iam obliuiscentẽ humana, & ad diuina tendentem in qua non authoritatis humanę sinu continetur, sed ad summam incommutabilem legem passibus rationis innitur. Tertiam iam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine cõiugali, cum anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, vt iam recte viuere non cogatur, sed etiam si omnes concedant, peccare non libeat. Quartam iam idipsum multo firmins ordinatiusque facientem & emicantem in virum atque aptam & idoneam omnibus etiam persequutionibus, & mundi huius tempestatibus ac fluctibus sustinendis, atque frangendis. Quintam paccatam atque ex omni parte tranquillam viuentem in opibus & abundantia inconutabilis regni summę atque ineffabilis sapiẽtię. Sextã oĩmodæ mutationis in ęternam vitam, & vsque ad totam obliuiouem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, q̃ facta est ad imaginẽ, & similitudinem dei. Septima enim iam quies ęterna est, & nullis ætatibns distinguenda beatitudo perpetua vt enim finis veteris hominis mors est, sic finis noui hominis vita æterna, ille namque homo peccati est, iste iustitię.

QVAEST. LXXXVII.

De vera reli. c. 33

MEntiens & fallens quomodo inter se differunt.

RESPON. Ille mentitur qui vult videri id quod non est, qui

qui autem non volens aliud putat quàm est non mentitur, sed fallit tantùm. Nam ita discernitur mentiens a fallente, quòd inest omnni mentienti voluntas fallendi etiam si non ei credatur, fallẽs, autem esse non potest qui non fallit.

QVAEST. LXXXVIII.

AN horæ diei brumalis sint tam longiores, sicut sunt horę diei estiui.

RESPON. Licet enim dies brumalis, totidem horas habeat quot estiuus, sunt tamen breuiores, nam hora brunalis, horæ estiuę comparata minor est. Et ideo horæ estiuæ & horæ brumales sunt inæquales, quia pro loco solis in Zodiaco variantur. *De vera reli. li. 1. c. 43.*

QVAEST. LXXXIX.

VNde prouenit, quòd homo timet quamcnmque bestiolam, cum ipse etiam imperet hominibus.

RESPON. Si homo Deum, subditus imitaretur: secundũm præcepta eius viuendo, per eum haberet subdita cætera nec ad tãn tam deformitatem veniret, vt bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. *De vera reli. c. 45*

QVAEST. XC.

AN ab authoritate, vel ratione incipiendum sit cum disputatur vel aliquid declaratur.

RESPON. Vnde igitur exordiar ab authoritate an a ratione Naturæ quidem ordo ita se habet: vt cum aliquid dicimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit authoritatem postea per quam firmetur assumit, sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque vallantur perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt. Saluberrime comparatum est, vt in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat authoritas, sed quoniam cum his nobis res est qui omnia contra ordinẽ, & sentiunt & loquuntur, & gerunt, nihilque aliud maximè dicunt, *De moribus eccl. c. 2.*

nisi

nisi rationẽ prius esse reddendam, morem illis geram, & quòd fateor in disputando vitiosum esse suscipiam.

QVAEST. XCI.

QVis est qui non potest dici beatus.

RESPON. Beatus autem quantum existimo, neque ille dici potest. qui non habet quod amat, qualecumque sit neque qui habet quod amat, si noxium sit, neque qui non amat quod habet, etiam si optimum sit, Nam & qui appetit quod adipisci non potest crutiatur, & qui adeptus est quod appetendum non est fallitur, & qui non appetit quod adipiscendum esset egrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria. Nec miseria, & beatitudo in homine vno simul habitare consueuerunt? Nullus igitur illorum beatus est.

De moribus eccl. cap. 3.

QVAEST. XCII.

SI Angelus sit potentior anima nostra.

RESPON. Non enim est Angelus cum inhæremus Deo nostra mente potentior.

De moribus eccl. c. 11.

QVAEST. XCIII.

ECclesia catholica & ortodoxa est ne magistra totius sapientię?

RESPON. Merito ecclesia catholica mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum cuius adeptio vita est beatissima; purissimè atque castissimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui seruire iubeamur: & ab illa incorrupta, & inuiolabili eternitate, cui soli homo subijciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne, quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori, neque confundens quod ęternitas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod maiestas vna coniungit, sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, vt variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu puerili-ter pueros; fortiter iuuenes, quiete senes prout cuiusque non cor

De moribus eccl. c. 30.

poris

poris tantum, sed & animi ętas est exerces & doces. Tu fœminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem, casta & fideli obedientia subijcis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbeciliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios, libera quadam seruitute subijcis, parentes, filijs pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore, quàm sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem, & affinitatis necessitudinē seruatis naturæ voluntatisq; nexibus, mutua charitate constringis. Tu dominis seruos, non tam conditionis necessitate, quàm officij delectatione, doces adhęrere. Tu Dominos seruis summi Dei scilicet communis Domini consideratione, placabiles, & ad consulendum, quàm coercendum propensiores facis. Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam firmitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus, quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reuerentia, quibus timor, q̄bus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium sedulo docens, ostendens, quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria.

QVAEST. XCIIII.

OLeum an prosit omnibus animalibus?

RESPON. Oleum corporibus quidem hominum est cōmodum, multis autem animalium, quæ sex pedes habent vehemēter aduersum est. *De moribus Manich. c. 8.*

QVAEST. XCV.

SErpentes in quibus mundi partibus magis abundant, aut in quibus locis?

RESPON. Serpentes acutissimè vident, & pręsentia solis exultant. Ibiq́ue sunt abundantiores, vbi aer serenior, difficilius & rarius, vbi nubem contrahit. *De moribus Manich. ca. 10.*

QVAEST. XCVI.

BLASPHEMIA quid sit.

De Gen. contra Manich. c.10.

RESPON. Est autem blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis, itaque iam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere, de hominibus namque dubitari potest, Deus vero sine controuersia bonus est,

QVAEST. XCVII.

MAtrimonium est ne semper inter vxorem & maritum?

RESPON. Quisquis procreare liberos, quàm concumbere grauius dicit esse peccatum prohibet vtique nuptias, & non iam vxorem, sed meretricem fœminam facit, si enim vxor est matrimonium est. Non autem matrimonium est. Vbi datur opera ne sit mater, non igitur vxor.

QVAEST. XCVIII.

COelum in quo principio factum est? vt in Principio Genesis dicitur in principio creauit Deus cœlum, & terram, si in principio temporis, fecit Deus cœlum & terram, quid agebat antequam faceret cœlum & terram, & quid ei subito placuit facere, quod nũquam antea fecerat per tempora æterna.

RESPON. Respondemus Deum in principio fecisse cœlum & terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum verbum esset apud patrem, per quod facta & in quo facta sunt omnia, Christus enim est principium, vt Ioan. dicit, ego principium, quòd & loquor vobis, sed si dicamus, quòd in principio temporis fecit. Debemus intelligere, quòd ante principium temporis, non erat tempus, Deus enim fecit & tempora, quando fecit cœlum & terram, non ergo dicendum est, quid faciebat ante, cum non esset tempus, nec quærendum quare sic Deo subito placuit facere cœlum, & terram, quia voluntas Dei non habet causam. Ideo fecit, quia sic ei placuit, voluntas enim eius est causa cœli, & terræ, & ideo maior est voluntas Dei, quàm cœlum & terram.

QVAEST.

QVAEST. XCIX.

HOmo quomodo ad imaginem Dei sit factus.

RESPON. Homo ad imaginem Dei dicitur factus, secũdum interiorem hominem, vbi est ratio, & intellectus, vnde etiam habet potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, & ferarum & omnis terræ, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Cum enim dixisset faciamus hominem ad imaginem, &c. addidit continuo, & habeat potestatem pisciũ maris, & volatilium cœli, &c. vt intelligeremus, non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem, qua omnia pecora superat, omia enim animalia cætera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent, quamuis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, vt indicet nos meliores esse, quàm bestias, & propterea Deo similes, sed dices quomodo homo habet potestatem super bestias, cum videamus plerunque homines a feris occidi. Dicitur primo, quòd propter peccatum amisit homo illam perfectionem. secundo dicitur, quòd etiam post peccatum multis feris dominatur, & quasi omnes domat, & tamen ipse, licet occidi possit a feris, a nullis tamen domari potest. *De Gen. Contra Manich. li. 1. c. 17*

QVAEST. C.

QVot sut etates mundi numerando ab Adam vsque ad finem mundi.

RESPON. Ætates mundi tot sunt, quot dies in quibus fabricatus est mundus, sex sunt dies, & sex sunt ętates, prima ętas cõparatur primo diei, quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius vniuersi seculi, quod tanquam hominẽ vnum, proportione magnitudinis suæ, cogitare debemus, quia vnusquisque homo, cum primo nascitur, & exit ad lucem primam ætatem agit in infantia. Hęc tenditur ab Adam, vsque ad Noè generationibus decem: Quasi vespera huius diei fit diluuium, quia & infantia nostra tanquam obliuionis diluuio deletur. *Contra Manich. li. 1. c. 23 De Gen.*

Et incipit mane a temporib. Noè, secunda ętas tanquã pueritia, & tenditur hęc etas vsque ad Abraam alijs generationibus decem.

Et bene comparatur secundo diei, quo factum est firmamentum inter aquam & aquam, quia & archa in qua erat Noè, cum suis firmamentum erat inter aquas inferiores in quibus natabat & superiores quibus compluebatur. Hæc ętas non diluuio deletur, quiā & pueritia nostra nō obliuione tergitur de memoria. Meminimus enim nos fuisse pueros, infantes autem non meminimus. Huius vespera est confusio linguarū in eis qui turrim ędificabant, & fit mane ab Abraā, sed nec ista, & ętas secunda generauit populū Dei, quia nec pueritia apta est ad generandum. Mane ergo fit ab Abraā,

Tertia ætas. & succedit ætas tertia similis adolescentiæ, & bene cōparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus idolatris; tanquam a seculi huius fluctibus, populus Dei separatus est per Abraam, tanquam terra cum apparuit arida, idest sitiens hymbrem cœlestem diuinorum mandatorum, qui populus, vnum Deum colendo, tanquam irrigata terra, vt fructus vtiles posset afferre, sanctas scripturas, & prophetias accepit. Hæc ętas potuit iā generare populum Deo, quia & tertia ætas, idest adolescentia filios habere iam potest, & ideo ad Abraam dictum est, patrem multarū

Gen. 17. gentium posui te. Hæc ętas porrigitur ab Abraam vsque ad Dauid 14. generationibus. Huius vespera est in populi peccatis, quibus diuina mandata præteribant. vsque ad malitiam pessimi regis Saul. Et inde fit mane regnum Dauid. Hæc ętas similis iuuē

Quarta ætas. tuti. Et reuera inter omnes ętates iuuentus regnat, & ipsa est firmamentum & ornamentum omnium ętatum, & ideo bene comparatur, quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Quid enim euidentius significat splendorem regum, quàm solis excellentia? Et plebem obtemperantem regi, splendor Lunæ ostēdit, tanquam sinagogam ipsam, & stellæ principes eius, & omnia tanquam in firmamento in regni stabilitate fundata. Huius quasi vespera est in peccatis regum quibus illa gens meruit captiuari, atque seruire. Et fit mane transmigratio in Babiloniam, cū in ea captiuitate populus leniter, & in peregrino otio collocatus est, & porrigitur hæc ætas vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, idest quinta ætas, scilicet declinatio à iuuentute ad se-

Quinta ætas. nectutem, nondum senectus, sed iam non iuuentus, quæ senioris ætas est, & reuera sic ista ætas a regni robore inclinata, & fracta est in populo Iudæorum, quemadmodum homo a iuuentute fit senior, & bene comparatur diei quinto quo in aquis animalia, &

volatilia

volatilia cœli facta ſunt. poſteaquam illi homines inter homines tanquam in mari eſſe cœperunt; dum erant in captiuitatem noluerunt idolis ſeruire. Ideo benedixit Deus illa animalia dicens creſcite, & multiplicamini &c. Huius ætatis veſpera eſt multiplicatio peccatorum, in populo Iudæorum, quia ſic excecati ſunt, vt etiam Dominum Ieſum Chriſtum non poſſent agnoſcere. Mane autem fit prędicatione Euangelij per Dominum Ieſum Chriſtum, & ſic finitur dies quintus incipit ſextus in quo ſenectus veteris hominis apparet. Hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum eſt, quando & templum deiectum eſt, & ſacrificia ceſſauerunt, & nunc ea gens quantum ad regni ſui vires attinet: quaſi extremam vitam trahit. In iſta autem ætate tamquam in ſenectute veteris hominis homo nouus naſcitur, qui iam ſpiritaliter viuit. Sexta enim die dictum erat, producat terra animam viuam. Nam quinto die dictum erat, producant aquæ non animam viuam, ſed reptilia animarum viuarum, quoniam corpora ſunt reptilia, & adhuc corporali circuncisione, & ſacrificijs tanquam in mari gentium populus ille ſeruiebat legi. Iſtam vero animam viuam dicit, qua vita iam incipiunt ęterna deſiderari, & ſicut in ſexto die factus eſt homo ad imaginem Dei, qui animalibus præeſt, ita & in hac ętate fit homo perfectior, & ſicut in illo die. maſculus & fœmina fuerunt, ita & in iſta ætate Chriſtus, & eccleſia. Huius autem ætatis quaſi veſpera, quæ vtinam nos non inueniat, ſi tamen nondum cœpit. Illa eſt de qua Dominus dicit, putas cum veniet filius hominis inueniet fidem ſuper terram? Poſt iſtam veſperam fiet mane, cum ipſe Dominus in claritate venturus ęſt. Tunc requieſcent cum Chriſto ab omnibus operibus ſuis, ij quibus dictum eſt. Eſtote perfecti ſicut pater veſter qui in cœlis eſt. Tales enim faciunt opera bona valde, poſt enim talia bona opera, ſperanda eſt requies in die ſeptimo, qui veſperam non habet. Si autem vis ſcire, quare in primis duabus ætatibus. 10. tantum generationes ſunt, in cæteris autem. 14. Dicitur, quòd licet in pueris in illis primis duabus ætatibus vigeant quinque ſenſus, non tamen cognitio, & actio, quæ tamen in adoleſcentia iuuentute, & ſenectute vigent. In illis igitur primis duabus ætatibus quinque tantum ſenſus vigent, & faciunt 10. reſpectu duorum ſexuum videlicet maris & fęminæ, in cæteris autem ętatibus vigent ſeptem, videlicet quinque ſenſus & cogni-

Sexta ætas.

Luc. 18.
Matt. 5.

tio & actio, & faciunt 14. duplicando, respectu duorum sexuum, & sic habetur ratio horum.

QVAEST. CI.

AN detur purgatorium ex doctrina Augustini?

Contra Manich. lib. 2. ca. 20.

RESPON. Qui enim coluerit agrum suum interius, & ad panem suum quamuis cum labore peruenerit, potest vsque ad finem vitæ huius, hunc laborem pati, post hanc autem vitam, non est necesse, vt patiatur, sed quia fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignẽ purgationis, vel pœnam ęternam, ita nemo euadit istam sententiã.

TOMVS SECVNDVS EPISTOLARVM DIVI AVGVSTINI.

QVAEST. CII.



QVARE Deus spreuit sacrificia veteris testamenti, & delectatus est nouis? aut illa, quæ fecit in veteri testamento, non erant rectè facta, & ideo correxit in nouo, aut si erant bona, & rectè facta, non debebant vtique mutari.

Epist. 5. ad Marcel.

RESPON. Non enim verum est, quòd semel rectè factum nullatenus esse mutandum. Cum videmus medicum quẽdam nomine Vindicianum, reprehẽdisse quendam, qui voluit adhibere eandem medicinam eidem dolori, licet quando primo adhibuit, sit sequuta sanitas, non tamen quando secundo adhibuit, quia vno tempore fuit illa medicina salubris, non tamen alio tempore erat salubris, licet infirmitas esset eiusdem speciei, ita dicitur de sacrificijs veteris legis: tunc data

sunt

sunt a Deo, quia illi populo apta erant,& illi tempori, in nouo autem testamento abholita sunt, quia huic tempori non sunt apta, omniā suis temporibus accommodauit Deus, non vt sibi prodessent cum nō indigeat aliquo bono creato, sed vt nobis prodessent. Vnde breuiter dici potest, quare Deus mutauit talia, quòd oportebat alijs sacramentis prænunciari Christum cum venturus esset, alijs cum venisset. Ideo prædixit per Prophetam hanc nouitatem cum dixit. Ecce dies venient dicit Dominus, & cōfirmabo super domum Iacob testamentum nouum non sicut testamentum, quod disposui patribus eorum, cum eduxi eos de terra Aegypti.

QVAEST. CIII.

Ciuitas quid est.

RESPON. Ciuitas est multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ. *Epist. 5. ad Mar.*

QVAEST. CIIII.

Qvare Christus præcipit patienti percussionem in vna maxilla præbere & aliam, tollenti pallium, & tunicam relinquere, cum videantur aduersari legibus.

RESPON. Hoc quippe docet Christus, vt vincatur bono malus, imò in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur a malo, non exteriore & alieno, sed intimo, ac suo. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit tēporalia commoda, vt doceat, q̃ pro fide, atque iustitia, contēnenda sint, quæ ille nimis amando fit malus, ac sic iniuriosus, ab eo ipso cui fecit iniuriam, discat qualia sint propter quæ fecit iniuriam, atque in cōcordiam, qua nihil est vtilius ciuitati, pęnitens acquiratur. Victus non sęuientis virib. sed beneuolentia patientis. Tunc enim rectè fit, cum videtur ei profuturum esse, propter quem fit, ad operandam in eo correctionem, atque concordiam. Hoc certè animo faciendum est, si etiam alius exitus consequatur, id est si non corrigatur. nam hoc docuit Christus, vt potius patientiæ studeamus, quàm vindictæ, & hoc non aduersatur legibus. *Epist. 5. ad Mar.*

QVAEST. CV.

AN Deus in cœlo sit videndus oculis corporeis a sanctis, cum resuscitati fuerint cum corpore?

1. Cor. 13. RESPON. Paulus dicit videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem. Vnde videmus nunc per speculum in enigmate. *Epi. 6. ad Italicam* Hoc autem vtrunq; interioris hominis munus est, siue cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulat, in qua vtitur speculo & enigmate, siue in illa patria, cum per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est facie ad faciem. Audiat caro carnalibus ebria cogitationibus. Spiritus est Deus, & ideo, qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare, si adorare quanto magis videre? Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit corporaliter adorari? Ad hoc enim fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei, promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam sanctorum animus exercetur. Imò vero tam peruersè sentiens animus nõ in se exercetur, sed totus in carne est, vbi enim tenacius habitabit, & fixius, nisi se vnde Deũ visurũ esse præsumit.

QVAEST. CVI.

AN sit tenendum, quòd Augustinus vnquam errauerit in suis scriptis.

Epis. 7. ad Mar. RESPON. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis aduersus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligẽtia reprehendor, vt me nusquam scriptorum meorum, errasse dicatis: frustra laboratis, non bonam causam suscepistis. facile in ea meipso iudice superamini. Quoniam non mihi placet cum a carissimis meis, talis esse existimor, qualis non sum.

QVAEST. CVII.

AN anima humana postquam Adam peccauit, regere possit corpus suum in quo habitat, in omnibus prout vult, idest omni modo pro arbitrio suo?

Epi. ea'. RESPON. Post peccatum primi hominis in inferioribus corporibus ordinata anima, regit corpus suum, non omni modo pro suo arbitrio, quia & caro concupiscit aduersus spiritum, & ingemiscimus

miſcimus grauati, & corpus quod corrumpitur aggrauat animā. *Gal. 15.*
Et quis enarret omnia incomoda carnalis infirmitatis? quæ vtique *2. Corin.*
non erunt cum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Tunc *Sap. 9.*
itaque ſpiritale corpus, reget omnimodo pro libero arbitrio, nūc vero non omni modo, ſed ſicut leges vniuerſitatis ſinunt per quas conſtitutum eſt vt corpora orta occidant, & aucta ſeneſcant. Nam illius primi hominis anima ante peccatum etiam ſi nondum ſpiritualе corpus ſed animale, tamen pro arbitrio regebat, poſt peccatum anima rationalis ſic eſt in inferioribus corporibus ordinata, vt non omnimodo pro arbitrio regat corpus ſuum.

QVAEST. CVIII.

AN ſacra ſcriptura ſemper ſit verorum ideſt nunquam pronuntiet quod falſum eſt.

Respon. Ego enim fateor ſolis eis ſcripturarum libris, qui *Epiſ. 19.*
canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre *ad D. Iero.*
vt nullum eorum auctorē ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellixiſſe non ambigam. Alios autem lego vt quantalibet ſanctitate docttinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.

QVAEST. CVIIII.

AN Paulus vere reprehenderit petrum ideſt an eſſet Petrus reprehenſibilis.

Respon. Cum ſacra ſcriptura ſit in omnibus vera ergo *Epiſ. ea.*
& vbi dicitur, quòd Petrus reprehenſibilis erat vera eſt, & ſic ſequitur quòd Petrus vere reprehenſibilis erat, & vere reprehenſus eſt a Paulo. Et ſi circunciderit Timothæum & Hyeroſolymis fecerit purificationē ad moris iudeorum inſtar, non tamen ipſe reprehēſibilis erat ſicut Petrus qui cogebat gentes iudaizare, ſua ſimulatione. Ratio eſt quia iam decretum erat per Apoſtolos gentes nullo modo debere ſeruare ceremonias legis, iudęos vero ad fidem
Act. 16. *Act. 21.*

tunc

tunc temporis conuersos, posse quidem seruare sine præiudicio salutis pro tunc. Et ideo Petrus contra decretum agebat vel si decretum nondum erat factum, vt magis Aug. arbitratur, tamen reprehensibilis adhuc erat quia iam in hanc sententiam conuenerant, vt gentes non iudaizarent, & postmodum agit simulatorie vt iudaizent, dans gentilibus credere tali simulatione, non posse eos consequi salutem sine circuncisione & cæteris legalibus, quod erat contra gratiam Christi: Si vero Paulus fecerit purificationẽ, & etiam circunciderit Timothæum hoc fecit inter iudeos tantum, mater enim Thimotei erat iudea. Fecit etiam hoc vt daret cognoscere, legalia omnino non esse damnanda cum a Deo data essent. Vt vmbrę & figurę prænuntiantes gratiam Christi. Fecit hoc vt quietaret furorem iudeorum, cum tunc temporis nondum talia legalia iudeis fidelibus non essent prohibita, prohibenda tamen erant. Paulatim postmodum feruente prædicatione gratiæ Christi, quia sola nossent postmodum credentes se iustificari saluosque fieri, & non illis vmbris legis. Tunc ergo non erat perniciosum illas obseruantias seruare, progressu vero temporis erat perniciosum, nisi tales obseruationes desererentur ab omnibus christianis.

QVAEST. CX.

De cons. dist. 4. c. Quæris. CVm fides parentum offerentium paruulos ad baptismum prosit, quero an & impietas eorum nocere paruulis possit. Vt verbi gratia cum conantur sanare suos paruulos superstitionibus, & demoniorum incantationibus.

Epist. 23 ad Bonifacium. RESPON. Tanta est virtus sacramenti babtismi, vt qui semel est generatus, per aliorum carnalem voluptatem: Regeneratus postmodum semel per aliorum spiritualem voluntatem, non possit maculari alieno peccato, cui nulla sua voluntate consentit inquit enim. Ezechiel. Anima quæ peccauerit ipsa morietur, Anima autem filij non est anima patris. Licet enim cum generatur puer carnale contrhaat peccatum parẽtum, & maxime Adam, hoc ideo fit quia tunc vnus est cum parentibus, vnus cum illo & in illo a quo traxit qñ qđ traxit admixtum est. Qñ aũt puer homo factus est, & inseipso est habens animam separatim viuens, ab anima patris, ex quo dicitur postea per Ezechielem, & anima patris mea est, & anima filij mea est tunc puer alter effectus est. Et io tunc alterius peccato sine sua consensione non tenetur obnoxius, prodest

tamen

tamen fides offerentium paruulum in regeneratione propter communem spirirum, Regeneratur quidem paruulus ex aqua & spiritu, ex aqua forinsecus exhibente sacramentum gratiæ, ex spiritu intrinsecus operante beneficium gratiæ, & quia iste spiritus regenerans in maioribus offerentibus & in paruulo oblato renatoque cõmunis est, ideo per hãc societatem vnius eiusdemque spiritus prodest offerentium voluntas paruulo oblato, non sic est autem de nocumento peccati offerentium, quia anima paruuli & anima offerẽtium non est communis, ideo nec culpa est communis, sed anima quæ peccauerit ipsa morietur. Non enim sie communicatur culpa per alterius voluntatem quemadmodum communicatur gratia per sancti spiritus vnitatem, potest enim & in hoc & in illo homine esse vnus Spiritus. S. etiam si inuicem nesciant per quem sit vtriusque gratia communis. Non potest autem spiritus hominis esse & huius & illius per quem peccante altero, & altero non peccãte sit tamen culpa communis.

QVAEST. CXI.

CVm offeruntur paruuli a parentibus ad baptismum non ea fide, vt gratia spiritali ad vitam regenerentur ęternam, sed tantùm putantes hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem, quæro an recipiant tunc sic oblati remissionem peccatorũ idest an prosit eis baptismus spiritualiter.

RESPON. Quando offeruntur paruuli ad baptismum, non solum offeruntur ab illis tantùm qui eos materialiter ante sacerdotem præsentant baptizandos, sed etiam offeruntur ab vniuersa societate sanctorum fidelium idest a tota ecclesia quæ est mater omnium sanctorum tota ergo mater ecclesia quæ in sanctis est, hoc facit, quia tota omnes, tota singulos parit, si ergo parentes non offerunt paruulos ea fide qua conuenit, ecclesia tamen offert, vt conuenit. Et ideo si christiani baptismi sacramentum apud hęreticos valet & sufficit quantum ad consecrationem, licet non valeat ad salutem quia factum est extra veram ecclesiam. Ex quo cum taliter baptizatus rediens ad vnionem ecclesiæ non requiritur vt reiteretur baptismus, quanto magis in catholica ecclefia factus, valebit, cum concurrat sancta mater ecclesia ad oblationem paruulorum. *Epis. 23. ad Bonif.*

QVAEST.

QVAEST. CXII.

CVm offeruntur paruuli ad babtizandum. Sacerdoti interroganti parentes respondent pro paruulo, credo, & ab renuntio sathanę &c. Et hoc mirum est, quod hoc dicant, nomine paruuli, cum ignorent cogitationem & affectum paruuli, nam si Sacerdos, interrogaret eosdem parentes, & diceret iste paruulus erit ne castus vel bonus vir cum ad annos rationis venerit? Vtique responderent. Nescimus. Et tamen cum ignorent, cogitationem paruuli an velit credere vel nō animosè respondent pro paruulo. Credo. Ad hæc peto responsionem.

Epi. ead. RESPON. Difficillimam quæstionem proposuisti, quantum possum dicam. Deo adiuuante. Aniaduertendum est quòd quādo adest dies dominicus. Dicimus. Hodie dominus resurexit, & tamen multi anni transierunt postquam resurrexit, sed sic dicimus, quia talis dies similis eius est reuolutione tamen temporis. *De cons. dist. 4. c. Quæris.* Et dicimus hodie resurexit propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed iam olim factum est, sacramenta enim quandam similitudinem earum rerum habent quarum sacramenta sunt, quod si non haberent nec sacramenta essent. Et ideo plerūque nomina ipsarum rerum, sacramenta accipiunt, ex tali similitudine, dicimus ergo quòd quando patrinus respondet pro paruulo, credo, ac si diceret paruulus credit, vult dicere, q̄ paruulus habet fidei sacramentum, licet non habeat fidei affectum. Et tamen vere dicit, quòd paruulus credit idest quòd habet fidē, quia sacramentum fidei fides est, vere dicit quòd paruulus conuertit se ad Deum propter conuersionis sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti itaque paruulum, & si nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit iam tamen ipsius fidei sacramentū fidelem facit. Nam sicut credere respondetur ita etiam fidelis vocatur nō rem ipsa mente annuendo, sed ipsius rei sacramētum percipiendo cum autem homo ad vsum rationis venerit, non repetit illud sacramentum sed intelligit eiusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quandiu, non potest, idest antequam ad vsum rationis veniat valebit sacramentum ad capessendam ęternam salutem, &c.

QVAEST. CXIII.

ANima cur infunditur corpori quod est cito moriturum?

RESPON. Possumus respondere, parentum hinc peccata, vel conuinci vel flagellari, possumus etiam rectè Dei moderationi ista relinquere qui abbreuiat, & producit hanc temporalem vitã, sicut nouit vniuersitatis moderamini consonare. *Epis. 28. ad Hier.*

QVAEST. CXIIII.

AN liceat aliquando sentire contra fundatissimum morem ecclesię.

RESPON. Sicuti contra auctoritatem scripturę canonice nõ licet sentire sic contra fundatissimum morem ecclesiæ nemo sentiat. *Epi. ead.*

QVAEST. CXV.

AN qui habet vnam virtutem, omnes habeat, & qui vnam non habet nullam habeat.

RESPON. Sententia omnium philosophorum est, vt vbi vna virtus vere est ibi sint omnes. Et vbi non est vna vere, ibi nulla. Detur exemplum sunt verbi gratia quatuor virtutes videlicet Prudentia Iustitia Temperãtia, & Fortitudo, vtique si alicui inest fortitudo non posset esse nec imprudens, nec intemperans, nec iniustus inerit.n.ei etiam temperantia prudentia & iustitia. Et econtrario si non habet quis fortitudinem, nec cęteras habebit perfecte, quia fortitudo non est sine cęteris virtutibus: sic dicatur de cœteris virtutibus, qui non habet temperantiam nec habebit fortitudinem quia sunt concatenatæ simul, sed hęc opinio, non est sumpta ex diuina sententia, sed ex hominibus tantùm ingeniosis tamen. Quia si secundum diuinam sententiam volumus loqui profecto erit in aliquo virtus vna, & cœterę omnes non erunt in eo, cum inueniantur sancti homines, qui tamen non audent dicere se esse sine peccato quia inquit Ioã. si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Et si in ipsis est aliquod peccatum ergo in ipsis non sunt omnes virtutes, sunt quidẽ omnes virtutes in principio.i. in gratia, quã habet, qui tm̃ venialiter peccat, licet non sint in sua summa perfectione. Nec etiam verum est secundum diuinam sententiam, qui vnam non habet, *Epi. 29. ad Hier.* *1. Io. c. 1*

nullam

nullam habeat, cum poſſit ſtare, quòd vxor ſiue maritus, ſeruet ad inuicem caſtitatẽ matrimonialem propter amorem Dei. Et quod in cœteris, ſint peccatore, ſed dices: dicit Iacobus: Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno factus eſt omnium reus, ſic intelligitur, quia omnia præcepta ſunt vnum in charitate offendendo in vno offendit charitatem, & ſic reus eſt omnium cũ ſit reus charitatis, ſtat tamen quòd minus offendat charitatem, in illa virtute quam complectitur, licet minorauerit illã virtutem nõ tamen in toto illam perdidit, maxime ſi tantum venialiter in vno offenderit.

QVAEST. CXVI.

AN pecca ta ſint paria, in culpa, & grauitate.

Epi. ead. RESPON. Stoici dixerunt paria eſſe peccata. Et hoc non placet auctoribus noſtris, nam vitia virtutibus contraria non ſunt paria, nam quædam ſunt aperte contraria vt imprudentia prudentiæ, & iniuſtitia iuſtitiæ, ſunt vero quędam quæ non ſic aperte ſunt contraria, ſed quadam ſpeciẽ fallaci ſimilia, vt aſtutia prudentiæ, & ideo iſta talia quatenus vitia ſunt in tantum ſunt contraria, & tamen non ſunt paria: Etiam ideo dico, quòd qui magis facit contra charitatem grauius peccat, & qui minus, minus peccat, ideo

Iac. 3. quãdo Iacobus dicit in multis offendimus omnes, ſic intelligitur, quòd omnes quidem offendimus, ſed vnus grauius alius leuius.

QVAEST. CXVII.

AN virtutes in vno homine ſuſcipiant augumentum vel decrementum.

Epiſ. 29. RESPON. Puto verius eſſe ſacriſque litteris congruentius, quod ſuſcipiant augumentum, & decrementum, quia ita ſunt animæ intentiones: vt corporis membra, non quod videantur locis, ſed quod ſentiantur affectibus, & aliud illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, & tenebroſo inumbratur obſtaculo, profectò ita vt quiſque illuſtratione piæ charitatis affectus eſt, in alio actu magis, in alio minus, in alio nihil, ſic poteſt dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis, aliam minus habere virtutem. Nam & maior eſt, in iſto charitas, quàm in illo,

rectè

rectè possumus dicere, & aliqua in isto, nulla in illo, quantum pertinet ad charitatem, quę pietas est, & in ipso vero homine; quòd maiorem habuit pudicitiam, quàm patientiam, & maiorem hodie, quàm heri si proficit, & adhuc nòn habeat continentiam, & habeat non paruam misericordiam. Et vt generaliter breuiterq; complectar, quam de virtute habeam notionem, quòd ad rectè viuendum attinet: virtus est, charitas, qua id quod diligendum est, diligitur: hæc in aliis maior, in alijs minor, in alijs nulla est. Plenissima vero, quæ iam non possit augeri, quamdiu hic homo viuit est in nemine, quandiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quàm debet, ex vitio est, ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet: ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens, propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, &c. Et propter illudmet vitium necesse est, vt dicamus quotidie Dimitte nobis debita nostra, etiam si quotidie profecerimus.

QVAEST. CVIII.

AN votum castitatis a coniugatis factum teneat, & sit obligatorium.

RESPON. Armentari, quia vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet: Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior, quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris, quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses non peior. Modo autem tantũ, (quod absit.) miserior si fidẽ Deo fregeris, quanto beatior si persolueris. Imple ergo factis, qđ vouisti. Vna sola causa esse posset, qua te id quod vouisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua coniunx hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt a coniugatis nisi ex consensu, & voluntate communi. Esi præpropere factum fuerit, magis est, corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vetat vsurpare alienum. Tuum non est vouere castitatem sine consensu vxoris.

Epi. 45. ad Arment. 33. cau. q. 5.

vxoris. Dicente Apostolo. 1. Cor. 7. vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, similiter nec mulier, sed vir.

QVAEST. CXIX.

Epis. 46. et 47. ad Valent. AN homo per solum liberum arbitrium, sine Dei gratia possit bene, & sanctè siue meritorie operari, vel tãtùm gratia habeat locum in homine & non liberum arbitrium?

RESPON. Mihi indicauerunt quòd plures vestrum sentiunt quòd liberũ arbitrium adiuuatur per Dei gratiam, vt recta sapiamus atque faciamus, vt cum venerit dominus reddere vnicuique secundum opera sua inueniat opera nostra bona, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Hoc qui sentiunt, bene sentiunt. Nam *Ioan. 3.* in euangelio Io. c. 3. sic habetur, quòd non venit Christus, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Deinde dicit Paulus quòd iudicabit mundum in fine, quando venturus est. Si igitur non esset Dei gratia, quomodo saluaretur mundus? Et si non esset liberum arbitrium, quomodo iudicaretur mundus? Datur ergo vtrumque. Ex quo dico, quòd bona opera & piæ orationes, & recta fides nullo modo in nobis esse possunt, nisi hæc ac- *Iac. 1.* ceperimus ab illo, de quo dicit Apostolus Iacobus. Omne datũ optimum desursum est. Nec ideo quisquàm dicat meritis operũ suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum, quod dicunt hæretici pelliagiani gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est. Non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodo iudicabit Deus mundum? sed misericordia & gratia Dei conuertit hominem, de *Ps. 58.* qua Psal. dicit: Deus meus misericordia eius præueniet me, vt iustificetur impius, hoc est ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando iudicabitur mundus: iudicabitur igitur homo secundùm opera sua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, soli paruuli, qui nondum habent opera propria si non sunt baptizati, secundum originale peccatum peribunt, cœteri vero qui vsi sunt libero arbi. & originali peccato insuper addiderunt, nisi per gratiam Dei fuerint liberati, damnabuntur, & iudicium reportabunt, boni vero, qui bene operati sunt, non solum secundum suæ bonæ voluntatis me-

rita præmium consequentur, sed etiã ipsam bonam voluntatẽ per Dei gratiam consequuti sunt. Fides igitur chatolica, & sana neque liberum arbi. negat siue in vitam malam siue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei, valeat aliquid siue vt ex malo conuertatur in bonũ, siue vt in bono perseueranter proficiat, siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam nõ timeat ne deficiat.

QVAEST. CXX.

AN dicta vel scripta Episcoporum ecclesiæ catholicæ sint tam firmiter tenenda, vt in nullis credamus posse errare. *Dist. 9. c. noli frater.*

RESPON. Noli frater contra diuina testimonia velle colligere calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorũ sicut Hylarij Cypriani, & Agripini primo quia hoc genus litterarum idest scriptorum Episcoporum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur eorum. scripta tamquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quàm veritas postulat, & præcipue cum integritas litterarum suarum aliquando ab inuidiosis, & mendacibus confringatur, & sic nõ possit cuiuslibet Episcopi doctrina custodiri integra quemadmodum scriptura canonica. *Epis. 48.*

QVAEST. CXXI.

AN baptizatus ab hęreticis sit rebaptizandus.

RESPON. Et si qui baptismo Ioãnis baptizati erant, denuo baptizarentur, baptismo Christi; non tamen qui ab hæretici baptizati sunt, Christi baptismo rebaptizãdi sunt: quia sacramẽta Christiana non faciũt hęreticum, sed praua dissensio. Ex catholica enim ecclesia sunt omnia sacramenta. Hæretici enim sunt nobiscum in sacramento baptismi, licet in multis aliis non sint nobiscum, videlicet in vnitate ecclesię. Et ideo si q̃s esset baptizatus baptismo Donati uel alterius hęretici, & non baptismo Christi, vtique talis esset baptizandus baptismo Christi, sed cũ & baptismus hęreticorum, & nostri, sit baptismus Christi, ideo talis baptizatus non est rebaptizãdus, quia nihil interest inter baptismum Christi quem dat Apostolus, siue quilibet alius catholicus, & inter baptismum Christi quem dat hæreticus, & ideo baptizati Io. baptismo ba- *Epis. 48.*

ptizabantur Christi baptismo, quia multum interest inter baptismum, Ioan. & baptismum Christi, sunt enim duo, & non vnum tantum.

QVAEST. CXXII.

Confusio quot modis dicitur, & quæ est quæ amplectenda sit a nobis.

Epi. ead. RESPON. Ecclesiastici 4. dicitur quod est confusio adducēs peccatum, & confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque prauam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diù errasse seipso iudice teneatur, confusio autem adducit gratiam, & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur. Et hanc confusionem suscipiunt vere pœnitentes, qui volunt potius erubescere corrigendo errorem, quàm erubescere permanēdo in errore.

QVAEST. CXXIII.

De pœni. d. 1. c. neminem. An requiratur pęnitentia si ad veritatem quis ab errore reddire posset.

Epi. ead. RESPON. Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu paruo peccato, ad correctionem sine pœnitentia posse transire.

QVAEST. CXXIIII.

An resurrectio corporum nostrorum in fine mundi, sit fienda vt conueniens resurrectioni Lazari, an Christi? Si Christi quomodo erit conueniens, cum ille natus sit sine semine virili nos vero minime, si Lazari, nec sic erit conueniens, quia corpus eius nondum corruptum erat, nostrum vero ex multis iam seculis corruptum, & marcidum erit.

Epis. 49. in solutione 1. q. Rom. 6. RESPON. Conueniens vtique potius erit nostra resurrectio, Christi resurrectioni quàm Lazari, quia Lazarus ita resurrexit, vt etiam moreretur, Christus vero minime, quia resurgens ex mortuis iam non moritur. Ita & nos, resurgemus nunquam morituri,

ri, sed in æternum cum illo regnaturi. Et ideo non, est attendenda resurrectionis conuenientia ad natiuitatem, sed potius ad mortem. Et si Christus non est natus, siue conceptus vti nos: Mortuus tamen est vti nos. Primus Adam non est natus vti nos, mortuus tamen est, vti nos. Diuersa ergo natiuitas non facit diuersitatem mortis, sic nec facit diuersitatem resurrectionis. Videmus, enim multa animalia nasci ex putredine, quæ postmodum viuunt, & moriuntur, vti illa quæ coitu generata sunt: ita non est absurdum vt similiter resurgant corpora, quæ dissimiliter orta sunt. Et sicut Christus post resurrectionem comedit, non necessitate idest, quòd indigeret cibo, sed potestate, ita & nos. Nam futuræ resurrectionis corpus imperfectæ fęlicitatis esset, si cibos sumere non posset, etiam imperfectæ fęlicitatis esset si cibis indigeret. Quod vero corpus Christi non sensit corruptionem, & ideo cito resurrexit, nostra autem corpora, iã multo tempore putrida, & annihilata, hoc nihil facit ad potentiam Dei, vt possint resurgere, tam enim potens est Deus resurgere facere corpus corruptum, & annihilatũ, quàm non corruptum.

QVAEST. CXXV.

SI Christus est ipse solus via salutis, quid dicemus de his, qui ante eum fuerunt quomodo habuerunt ipsi salutem?

RESPON. Possumus ad gentiles sic respondere. Dij ante sacra eorum sui semper ne fuerunt? vtique non: vnde erat salus eorum qui præcesserunt institutionem sacramẽtorum? Dicent forsam, quòd alio modo purgabantur, & saluabantur ante institutionem sacrorum, post vero institutionem nisi sacris deorum: Ita & melius nos christiani dicere possumus, ꝙ qui præcesserunt natiuitatem Christi, saluabantur in fide Christi venturi, sicuti enim nos christiani credimus in filium Dei apud patrem manentem, & quòd in carne iam venerit, ita & illi antiqui credebant, & apud patrem manentem, & in carne venturum, & si volebat coli Deus noster ab illis antiquis, alijs institutis, quàm nunc, hoc nihil interest per diuersa temporum locorumque congruentiam, si quod colitur sanctum est, sicut nihil interest per diuersa linguarum auditorũque congruentiam, quàm diuersis sonis dicatur, si quod dicitur verum est, licet enim sacramenta antiquorum, & nostra essent alia & alia,

Epist. 49 in solut. ad q. 2.

alia, res tamen demonstrata per illa vna est, & sic etiam vna salus sua, & nostra. Deus enim qui sua prouidentia ordinauit tempora, quid cui tempori sit opportunum dedit. Et ideo hoc non est admirandum, cum præter grediatur humanum consilium.

QVAEST. CXXVI.

Matth. 7

VNde prouenit quòd Deus punit æternaliter pro peccato commisso temporaliter; cum Christus dicat. In qua mensura mensi fueritis in ea remetietur vobis, cum mensura peccatoris sit temporanea, ita deberet esse, & remensura idest pœna pro peccato data.

Epist. 49 in solut. ad q. 4.

RESPON. In ipso quidem animo, vbi appetitus voluntatis hominum est. humanorum mensura factorũ continuo pœna sequitur culpam ideo cum dixisset in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, sequutus adiunxit. Et qua mensura mensi fueritis metietur vobis, in voluntate quippe propria metitur bonus homo bona facta, & in ea metietur ei beatitudo. Itemque in mala voluntate propria metitur malus homo mala opera & in ea metietur ei miseria, quoniam ibi quisque bonus est cum bene vult, ibi etiam malus, cum male vult. Ac per hoc ibi etiam fit vel beatus vel miser, hoc est in ipso suæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritorumque mensura est. Ex qualitatibus quippe uoluntatum, non ex temporũ spatijs, siue rectè facta siue peccata metiuntur, quia igitur voluit voluntas habere æternam peccati perfruitionẽ, æternam etiam vindictæ inueniet seueritatem, voluntas quippe ipsa punitur siue animi supplicio siue corporis, vt quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis.

QVAEST. CXXVII.

23. q. 4. c. si ecclesia.

AN ecclesia debeat reges postulare vt condant leges contra impietates suorum subditorum, cum hoc non fecerint Apostoli suo tempore?

Epist. 50 ad Bonif.

RESPON. Tempore Apostolorum nondum imperatores, & reges in Christum crediderant, & maxime in principio,

eorum prædicationis. Et ideo tunc temporis non poterat ecclesia postulare, vt reges conderent leges iustas, & sic defenderent ecclesiam, immo tunc in regibus adimplebatur illud propheticum. Quare fremuerunt gentes, &c. Quando autem adimpletum est, quòd postmodum in eodem Psal. sequitur & nunc reges intelligite, &c. Tunc prohibuerunt reges religiosa seruitute, quæ sunt contra iussa domini, aliter non seruirent domino in timore, nisi talia prohiberent. Aliter enim debent seruire domino, vt homines, aliter vt reges, vt homines seruiunt domino fideliter viuendo, vt reges verò seruiunt leges iustas constituendo, & prohibentes contraria legi Dei, sic seruiuit Ezechias, sic seruiuit Iosias, sic seruiuit rex niniuitarum, compellendo populum ad placandum Deum, sic seruiuit Darius, sic seruiuit Nabucodonosor: postquam ergo impletũ est, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi. Nemo dicere audeat, quòd ad regem non pertineat curare, vnde oppugnetur ecclesia, & quis sit in suo regno sacrilegus, vel religiosus: Debent enim curare, vt Deus suus sit honoratus, sequitur ergo, quòd ecclesia, & Domini temporales possunt coercere malefactores, & præcipuè hæreticos pœnis temporalibus, vt animæ eorum liberentur: sicut fecit Dominus Sauli, vt faceret eum magnum prædicatorem ecclesiæ, prius prostrauit eum, & cecitate percussit.

Psal. 2. *4. Re. 18* *4. Re. 22.* *Ionæ 3.* *Dan. 14.* *Dan. 3.*

QVAEST. CXXVIII.

AN tota ecclesia militans sit sine aliqua ruga, & macula, id est si aliqui fideles adulti possint dicere se esse sine aliquo peccato.

RESPON. Paulus dicit, ꝙ Christus tradidit semetipsum pro ecclesia mundãs eã lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiã, non habentem maculã, aut rugã, dicit vt exhiberet, scilicet in futurũ. i. in die Iudicij: tunc. n. erit sine ruga, & macula, & mors erit absorpta. Modo autem non inuenitur aliquis iustus, ꝑter infantes baptizatos, qui possit dicere, ego sum sine aliquo peccato dũ est in hac vita, quia si inueniretur quispiam, qui hoc auderet dicere, vtique talis contemneret Christum, qui docuit nos quottidie dicere, Dimitte nobis debita nostra, & veraciter dicere: Contemneret & Ioannem dicentem. Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, &c. inquantum ergo viget in nobis, qđ ex Deo nati sumus, ex fide viuẽtes, iusti sumus, inquantũ

Epi. ead. *Eph. 5.*

autem reliquias mortalitatis ex Adam trahimus, sine peccato non
1. Io. 3. sumus. Et illud enim verum est: Qui natus est ex Deo non peccat. Et illud verum est, si dixerimus, quia peccatū nō habemus, &c.

QVAEST. CXXIX.

Dist. 50. c. vt constitueretur. Epi. ead.

AN de rigore ecclesiæ, possit aliquis, in aliquo magno crimine inuolutus, licet fecerit pœnitentiam de tali crimine post pœnitentiam suscipi ad clericatum si non est clericus, vel si est clericus reddire ad ministerium clericatus.

RESPON. Licet enim Dauid Rex Israel post pœnitentiā peccati adulterij, &c. permanserit in honore regalis dignitatis, & Petrus post pœnitentiam negationis factæ permanserit in dignitate Apostolatus, tamen ecclesia, quæ in terra potest soluere, & ligare, & vtrunque in cœlo erit ratum, & firmum constituit ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgētiæ, sed rigore factum est disciplinæ, ne multi si ad hos honores
23. q. 4. cap. ipsa pietas. admitterentur, fictam pœnitentiam facerent, rigor ergo ecclesiæ hoc constituit, vt humilitas in talibus pœnitentibus seruaretur, & vera pœnitentia esset, quæ non spe honoris, sed tantum veniæ a Deo impetrandæ. Quando vero cognoscit ecclesia, magnam vtilitatem animarum, in admittendo tales pœnitentes ad honores ecclesiasticos: tunc demittit hunc rigorem, ne aliquando ex tali rigore fierent scissuræ, & magnæ strages in populis.

QVAEST. CXXX.

CVm heretici peccauerint in S.S. & multi alij, qui loquuntur, & operantur aduersus S.S. quare quærimus eos, vt redeant ad vnitatem ecclesiæ, & ad pœnitentiam peccatorum, cum peccatū in S.S. non possit remitti neque in hoc seculo, neque in futuro. Di-
Mat. 12. cente hoc Domino.
Epi. ead. RESPON. Si ad simplicem intellectum horum verborum attenderemus. opporteret confiteri, quòd pauci essent, qui saluarentur, quia multi inueniuntur, qui peccant in S.S. intelligendum ergo est, quòd non omne peccatum in S.S. sit irremissibile, sed tātum modo aliquod peccatum, nā multi Iudæi peccauerant in S. S.

& tamen conuersi sunt, & saluati, sic & multi christiani peccauerunt in S. S. & tamen pœnitentiam agentes, saluati sunt, quia nō peccauerunt in illo peccato in S.S. quod omnino est irremisibile. Nam cum Dominus dixisset. Si non venissem peccatum non haberent, vtique non omne peccatum intelligi voluit, cū essent pleni peccatis alijs, sed aliquod proprium peccatum, idest non credere in eum: hoc non haberent si non venisset ad eos. Ita cum dicit, qui peccauerit in S.S. &c. non intelligitur de omni peccato in S.S. sed de duritia cordis, vsque ad finem huius vitæ qua homo recusat in vnitate corporis Christi, quod viuificat S. S. remissionem accipere peccatorum. Dono enim S. S. remittuntur peccata. Qui ergo huic dono gratiæ Dei resistit, vel repugnat vsque in finem huius vitæ, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, hoc.s. tam grande peccatum, vt eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cum de corpore exierit.

QVAEST. CXXXI.

AN in hac vita sit virtus vera & sancta sine Dei dilectione.

RESPON. In hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est: Id eligere prudentia est: Nullis inde auerti molestijs, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est: Quid autem eligamus, quid pręcipuè diligamus, nisi id quo nihil melius inuenimus? Hoc est Deus, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel ęquamus, nosipsos diligere nescimus: quia nemo diligit seipsum, nisi diligendo Deum: Quando enim Dominus dedit præcepta dilectionis tantum duo posuit, videlicet, Diligere Deum & proximum, non dedit, vt diligamus nosipsos, quia in dilectione Dei, ilectio nostri includitur, in eo enim vnusquisque diligit seipsum, quod diligit Deum. *Epis. 52. ad Mac.*

QVAEST. CXXXII.

QVIS est proximus, qui nobis præcipitur, vt diligatur tamquam nos ipsi?

RESPON. Proximus sanè hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt om- *Epi. ead.*

nes homines: Nam si pecunię ratio socios facit quanto magis ratio naturę, non negociandi, sed nascendi lege communis? Hinc & ille comicus (sicut luculentis ingenijs non desit resplendentia veritatis.) cum ab vno sene alteri seni dictum componeret. Tantum ne ab re tua est ocij tibi, aliena vt cures, ea quę nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit. Homo sum, humani nihil a me alienum puto: cui sententię ferunt etiam theatra tota, plena stultis indoctisque applausisse. Ita quippe omnium affectum naturaliter attingit societas humanorum animorum, vt nullus ibi hominum, nisi cuiuslibet hominis proximum se esse sentiret. Debet ergo vnusquisque sicut seipsum diligere proximum,
23. q. 4. ca. debet. id est, vt quem potuerit hominem, vel beneficentię consolatione, vel informatione doctrinę, vel disciplinę coercitione adducat ad colendum Deum.

QVAEST. CXXXIII.

AN liceat religioso, sub specie religionis Christianę, reum vinctum petere, vt donetur ei vita.

Epis. 54. ad Mac. RESPON. Cum omnia peccata veniabiliora videantur, cum is qui reus est correctionem promittit, ideo quantum facultas datur pro peccatis omnibus intercedimus. Non enim approbamus culpas quas corrigi volumus, nec impunitum esse, quod perperam committitur, quia placeat nobis tale quid: sed hominem miserantes, detestamur flagitium, vt quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus inemendatum interire vitiosum: Diligimus namque hominem & improbamus vitium in eo. Non
23. q. 5. c. non est iniquitatis. est igitur iniquitatis, sed potius humanitatis societate deuinctus, qui propterea est criminis persecutor, vt sit hoīs liberator. Morum porro corrigendorum, nullus alius, q̃ in hac vita locus: nam post hanc quisq; id habebit, quòd in hac sibimet, conquisierit. Ideo compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, vt ea finita non possint finire supplicium. Non est igitur dubitandum, hoc officium videlicet petere pro reis vitam, ex religione descēdere, cū Deus totaliter bonus ipse pluat super bonos & malos, & Christus doceat nos diligere inimicos, & benefacere persequentibus nos. Et vt inquit
Rom. 2. Apostolus cum dominus patientiam habeat, super peccatores, vt

ad

ad pęnitentiã, eos adducat. Et tamen multi non agunt pęnitentiã, licet Deus perseueret in patientia, quanto magis nos in eos qui correctionem promittunt, & vtrum faciant, quod promittũt incerti summus, misericordes esse debemus? Et si in sancta ecclesia post primam solemnem pęnitentiã factam, non amplius concedatur locus talis pęnitentiæ, sed tantum semel conceditur, ne medicina vilis minus vtilis esset ægrotis; quæ tanto magis salubris est; quanto minus contemptibilis fuerit. Tamen si quis post illam solemnem pœnitentiam iterum in peccata decidat, & denuo reuertatur ad dominum petens iterum veniam suorum peccatorum, Deus adhuc parcit, quia semper patienter expectat, vt conuerttatur peccator. Quales igitur oportet nos homines esse erga homines, qui hanc vitam nostram sine peccato esse non dicimus? *De pœn. dist. 3. c. in tantũ, & quamuis.*

QVAEST. CXXXIIII.

AN Ioseph putauerit Mariam concepisse de adulterio.

RESPON. Ioseph cum Mariam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit, quia hoc fecit. Sed quia iustus erat, nolebat eam diffamare, sed occulte dimittere. *Epi. ead.*

QVAEST. CXXXV.

AN teneamur restituere aliena, & nisi quis restituat, dimittatur ei peccatum, & veram pœnitentiam de suo peccato faciat.

RESPON. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cũ reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur, si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed vt dixi, cum restitui potest. Plerũque.n. qui aufert, amittit, siue alios patiẽdo malos, siue ipse male viuendo, nec aliud habet vnde restituat. Huic certè non possumus dicere, redde, quod abstulisti, nisi cum habere credimus, & negare. Vbi quidem si aliquos sustinet repente cruciatus, dum existimatur habere, quod reddat, nulla est iniquitas: quia & si non est, vnde luat ablatam pecuniam, merito tamẽ, dum eam per molestias corporales reddibere compellitur peccati quo male ablata est pœnas luit, pro talibus etiam licet intercedere quando luunt pęnas, non vt aliena non re- *Epi. ead. 14. q. 6. ca. 1. De vsuris.*

restituant, sed ne frustra homo in hominem sæuiat, ille præsertim, qui iam remisit culpam, sed quærit pecuniam, ex quo dico, quando intercedimus pro talibus, non enim intercedimus, ut quod scelere abstulerunt sceleris impunitate possideant, sed vt remissa iniuria, quod iniuriose abstulerunt reddant, si tamen habēt, quod abstulerunt, vel aliud vnde restituant. Quid dicemus de iudicibus, de testibus, de procuratoribus, & iurisperitis, qui accipiūt pecuniam, vt agant causas litium, tales tenentur ne restituere? Dicimus quòd procurator qui iustum dedit patrocinium, & iurisperitus, qui verum vendidit consilium non tenentur restituere pecuniam sibi datam, iuste, & non superflue vel extorte acceptam, nec possunt repetere, qui dederunt. Iudex autem, & testis cum ille nō possit vendere iustum iudicium nec iste verum testimonium, debent restituere pecuniam datam, quoniam male ablata est, cū nec iudicium, nec testimonium sint res venales. Et ideo qui his dedit pecuniam, potest eam repetere iuste maxime si non dedit eam animo corrumpendi iudicem, sed tantum vt ius & quietem sibi conseruet. Ratio quare procurator, & iurisperitus possit vendere iustum patrocinium, & verum consilium, iudex vero & testis nō possint vendere iustum iudicium, & verum testimonium est, quia illi ex vna parte tantum consistunt. Isti inter vtramque partem ad examina adhibentur, officiales vero licet ad vtramque partē possint esse, possunt tamen suscipere pecuniam datam secundum tollerabilem consuetudinem ab vno quoque partium cum amouentur ad exercendum suum officium, quid etiam dicemus de his aduocatis, qui causam iniquam defendunt, nunquid debēt reddere pecuniam pro tali iniusta causa susceptam. Dicimus quòd si iustitia sincerius consulatur, iustius dicitur aduocato. Redde, quod accepisti, quando contra virtutem stetisti, iniquitati affuisti, iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti.

11. q. 3. c. non licet.

QVAEST. CXXXVI.

LAtro in cruce cum Christo pendens, in quo Paradiso, illo die, fuit cū Christo? Dixit ei. n. Christus. Hodie mecū eris in Paradiso, & tamen illo die anima Christi descendit in infernum ad liberādum patres & corpus positum fuit in sepulchro, aut infernus fuit Paradisus, aut sepulchrū, q̄a in his locis fuit Christus, illo die.

RESPON. Christus est Deus & homo si secundum hominem tantùm, volumus Christum dixis se latronem esse secum in Paradiso illo die. Tunc dicemus nomine Paradisi intellexisse sinũ Abraę, vbi sancti Patres requiescebant, & illo die iuit ad eos liberãdos, & sic latro fuit secum in Paradiso, si autẽ demus sensum multo expeditiorem. Dicemus quòd secundum id, quod Deus erat Christus dixit hodie mecum eris in Paradiso, licet illo die Christus homo secundùm carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipse Christus vbique semper est vbicunque ergo sit Paradisus, quisquis, beatorum ibi est cum illo, ibi est, qui vbique est. Nam, & si vbique sit Christus, vt Deus nõ tamen vt corpus, licet nunquam separemus Deum, cum dicimus Christum filium hominis, nec separemus hominẽ, cum dicimus Christum filium Dei, sicut ergo potuit rectè dici. Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret ita rectè dici potuit: Hodie mecum eris in Paradiso, cum iuxta humanam humilitatem, per carnem in sepulchro, per animam in inferno illo die futurus esset, iuxta vero diuinam immutabilitatem nunquã de Paradiso, quia vbique est semper recessisset. *Epi. 57. ad Dard.*

QVAEST. CXXXVII.

SI Deus vbique est, cum non habitet in reprobis. Dicente Paulo. Quisquis spiritum Christi non habet, hic non est eius quo modo intelligitur? *Rom. 8.*

RESPON. Deus est per cuncta diffusus, ipso dicente per Hyeremiam Prophetam. 23, Cœlum, & terram ego impleo, sed sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa ita vt in dimidio mũdi corpore, sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atq; ita per totum totus, sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & in cœlo, & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus, si enim anima in corpore constituta, non solum nullas angustias, verum etiam quandam laptitudinem inuenit, non corporalium locorum, sed spiritualium gaudiorum cum sit quod ait Apostolus. Nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis Spiritus S. est, quem habetis a Deo, nec dici nisi stultissime *Hier. 23. Epi. eâd. 1. Cor. 6.*

me

me potest, non habere locum in nostro corpore Spiritum. S. quod totum nostra anima impleuerit, quanto stultius dicitur illis angustijs impediri alicubi Trinitatẽ, vt pater & F. & Spiritus S. vbique simul esse non possint? vbique ergo Deus est per diuinitatis præsentiam etiam in reprobis, sed non est per inhabitationis gratiam, propter enim hanc habitationem, non dicimus Pater noster, qui es vbique, sed qui es in cœlis. i. in Angelis, qui in cœlis habitant. Quõ ergo verum supra diximus, quòd Deus vbique sit totus, quando in alijs est amplius, in alijs minus, cum alij alijs sanctiores sint habentes abundantius habitatorem Deum, sed non est negligenter intuendum, quod diximus in seipso esse vbique totum, vbique enim est, quia nulli parti rerum absens est, nusquã enim est absens, in seipso autem est, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine eis esse nõ possit, ideo Deus non si minus capitur ab illo cui præsens est, ideo ipse minor est. Totus enim in seipso est, nec in quibus est, ita est, vt indigeat eis, tamquam non possit esse nisi in eis. Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat; & totus est quamuis, eum ille non habeat, ita & illi in quo non habitat totus est presens, quamuis eum non ex toto capiat.

QVAEST. CXXXVIII.

AN pueri in matrum vteribus possint habere Dei gratiam, sapientiam diuinam, & sic habere in se inhabitantem Deum, sicuti qui renati sunt ex aqua & spiritu.

Epi. ead. RESPON. Scire autem diuina paruulos, qui nec humana nouerint adhuc si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur iniuriam; quando id loquẽdo suademus, vbi omnes vires officiumque sermonis facillime superat euidentia veritatis. Et si de paruulis in vtero matrum vagientibus loqui volumus. Dicimus quòd excepto illo angulari lapide, idest Christo nõ video quomodo edificentur homines in domum Dei, ad habẽdum in se inhabitantem domnium, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati. Quamlibet itaque sentẽtiam de prægnantibus, immo de hominibus habeamus intra materna viscera constitutis, vtrum existimemus eos, nec ne donari posse aliquo sanctificationis modo, cum habeamus Ioannem Baptistam & Hyeremiam in vtero alterum exultasse gaudio, alterum sanctificatum

catum esse. Dicimus, quòd illa sanctificatio qua efficimur, & singuli templa Dei, & in vnum omnes templum Dei, non est nisi renatorũ, quod nisi nati homines esse non possunt. Nullus autem vitã in qua natus est bene finiet, nisi renatus antequam finiat. Et vere natum hominem nó diximus, nisi cum ex vtero matris exierit, quia inquit Christus, nisi quis renatus fuerit, & hoc renasci est, secunda natiuitas, igitur prima est ex corpore exire, ideo dixit Mattheus de prima natiuitate cum natus esset Iesus in Bethelem &c. Si igitur homo regenerari per gratiã spiritus iñ vtero posset, quoniã adhuc restat illi adhuc nasci, sequeretur hoc inconueniens, quòd renasceretur homo, antequam nasceretur, quod fieri nullo modo potest, proinde in compagem corporis Christi tamquam in viuam structuram templi Dei, quæ est eius ecclesia nati homines non ex operibus iustitiæ, quæ fecerunt, sed renascendo per gratiam transferuntur tamquam de massa ruinæ ad ædificij firmamentum. Præter hoc enim edificium, quod beatificandum construitur ad æternam habitationem Dei, vita hominis omnis infelix & mors est potius appellanda, quàm vita. Quisquis ergo inhabitabitur a Deo, ne ira Dei maneat super eum, ab hoc corpore, ab hoc templo, ab hac ciuitate non erit alienus, omnis autem non renatus alienus est. sacramentum porro regenerationis nostræ manifestum esse voluit manifestatus mediator. Non enim audemus fideles temporis nostri præferre amicis Dei, per quos nobis ista prophetata sunt. nam Abraam Isaac, & Iacob, quorum se Dominum particulariter vult dici. circuncisi sunt, signo fidei manifesto, vt saluarentur, quare & baptismo correspondente circuncisioni, nostri fideles debẽt manifestari filij Dei, & effici, vt saluentur, cum nec qui fuerunt ante circuncisionem potuerint saluari sine fide. Quamobrem Deus, qui vbique præsens est, & vbique totus, non in omnibus habitat, sed in eis tantum, quos efficit beatissimum templum suum, vel beatissima templa sua. eruens eos a potestate tenebrarum, & transferens in regnum filij charitatis suæ, quod incipit a regeneratione.

QVAEST. CXXXIX.

AN qui non sunt prædestinati, vel non vocati secundum propositum saluari possint. *Epist. 59. ad Pau.*

RESPON. Non sunt in vocatione secundum propositum, & sine

ſine pœnitentia, qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiam ſi aliquantum ambulant, non perſeuerant vſque in finem, & vtique potuerunt rapi; ne malitia mutaret intellectum eorum, ſi ad illam prædeſtinationem, & vocationẽ, quæ ſecundum propoſitum, & ſine pœnitentia eſt, pertinerent. At ne quiſquàm præſumptor, ita de occultis iudicet alienis, vt dicat, ideo non rapti ſunt ex hac vita, antequam eſſent fidei deſertores, quia in eadẽ vita non fideliter ambulabant, & hoc in eorum cordibus nouerat dominus, quamuis hominibus aliter appareret, quid dicturus eſt de infantulis paruulis, qui plerique accepto in illa ætate chriſtianæ gratiæ ſacramento, cum ſine dubio pertinerent ad vitam æternam, ſi continuo ex hac vita emigrarent, ſinuntur creſcere, & nonnulli etiam apoſtatæ fiunt. Vnde? niſi quia non pertinent ad illam prædeſtinationem, & ſecundum propoſitum, & ſine pœnitentia vocationem. Cur autem ad eam alij pertineant, alij non pertineant occulta cauſa eſſe poteſt, iniuſta nõ poteſt. Nunquid enim iniquitas apud deũ? Abſit.

QVAEST. CXL.

AN quiſpiam poſſit occidere ſeipſum, vel alium quemlibet, licet qui occiditur velit, & imperet vt occidatur, cum etiam nõ valeat viuere?

Epi. 61. ad Dulcitium. RESPON. Non licet occidere ſeipſum, cũ dicat Eccl. Qui ſibi nequam eſt, cui bonus? & Leuit. dicitur. Diliges proximum tamq̃ teipſum. Et occidere proximum non licet, etiam volens, & parẽs, *Eccl. 61.* & viuere non valens, quando occidens nullam habet poteſtatem *Leui. 19.* nec aliquę leges iubent. Et hoc indicat ſcriptura. Vbi rex Dauid, *2. Reg. 1.* regis Saulis interfectorem iuſſit occidi, quia occiderat regem licet non valeret viuere, & etiam imperaſſet vt occideretur, quia omnis, qui ſine vlla legitimę poteſtatis auctoritate hominem occidit homicida eſt, ita & qui ſeipſum occidit.

QVAEST. CXLI.

AN quis poſt votum continentiæ ducens vxorem neſcientem, de voto viri teneatur eam dimittere.

Epiſt. 70 ad Boniſ. RESPON. Nos nouimus nos teſtes ſumus, quòd omnes actus publicos, quibus occupatus eras relinquere cupiebas, & te in ociũ

ſanctum

sanctum conferre, atque in ea vita viuere in qua serui Dei monachi viuebant, cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti idest vxorem duxisti. Si coniugem non haberes, Dicerem tibi quòd & Tubanis diximus, vt in castitate continenter viueres, sed vt te ad istam vitam nō exhorter, coniux est impedimento, sine cuius consensu, continenter viuere tibi non licet, quia & si tu eā post illa verba Tubunēsia ducere non debueras, illa tamen nihil eorum sciens, innocenter tibi, & simpliciter nupsit.

QVAEST. CXLII.

AN liceat mulieribus, & etiam omnibus christianis fucari in facie varijs pigmentis, & coloribus vt rubicundiores vel candidiores appareant.

RESPON. Fucari autem pigmentis quo vel rubicundior vel candidior appareat adulterina fallacia est, quia non dubito etiam ipsos maritos, se nolle decipi, quibus solis permittendę sunt fœminę ornari, secundùm veniam non secundum imperium, loquor. Nam verus ornatus maxime christianorum, & christianarum non tantùm nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pōpa sed mores boni sunt, execranda autem superstitio ligaturarum, in quib. etiam inaures virorum, in summis ex vna parte auriculis suspensę deputentur non ad placendum hominibus, sed ad seruiēdum demonibus adhibetur. Nam dicit Apostolus. Nolo vos socios fieri demoniorum. Et iterum quæ conuenientia Christi ad Belial. Quid enim cum eis agendum sit, si soluere inaures timēt, & corpus Christi cum signo dyaboli accipere non timent? *Epis.73. ad Pcssi.*

QVAEST. CXLIII.

AN hæretico reuertenti ad pœnitentiam debeat credi se vere pœnitere, nisi reuelet in hæresi quos scit immersos?

RESPON. Victorino iam Manicheo petenti pœnitentię locū, tunc credatur, si & alios quos illic nouit esse manifestauerit vobis non solum in Malliana, sed in ipsa omnino prouincia. *Epis.74. ad Deut.*

QVAEST. CXLIIII.

AN excommunicatio sit pœna animæ, & an peccato vnius, sit promulganda super multos?

Epi. 75. ad Auxil. RESPON. Cum Ezechiel Propheta dicat Anima quę peccauerit ipsa morietur, scire vellem, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti vxor, aut pro domini
Ezec. 18 seruus. Neque, enim hæc corporalis est pœna qua legimus quosdã contemptores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos, tunc quidem ad terrorẽ viuentium mortalia corpora perimenbantur, quandoque vtique mo
Mat. 16. ritura. Spiritalis autem pœna qua fit quod scriptum, est. Quæ ligaueritis in terra erunt ligata, & in cęlo, animas obligat, de quibus dictum, est. Anima patris mea est, & anima filij mea, est. Et ideo si quis ex me quærat, si anathematizauerit episcopus vnũ pro peccato alterius, recte fiat, quid ei respondeam non inuenio, nunquã hoc facere ausus sum, cum de quorundam facinoribus immaniter aduersus ecclesiam perpetratis per mouerer.

QVAEST. CXLV.

QVando Diuina scriptura nihil certi statuit super aliqua re. An mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sint.

Epis. 86. RESPON. In his, enim rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina. Mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.

QVAEST. CXLVI.

AN Ieiunium sit præceptum, ex sacris litteris.

Epi. ead. RESPON. Ego in Euãgelicis, & Apostolis litteris, totoque instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens. Video præceptum esse Ieiunium. Quibus autem diebus non opporteat ieiunare, & quibus opporteat præcepto domini, vel Apostolorum non inuenio definitum.

QVÆST. CXLVII.

AN beata Virgo orauerit, eo modo quo docuit Chriſtus in oratione Dominicali, ſi orauit, ergo dicebat Dimitte nobis debita noſtra, & ſic habebat peccata, ſi non habebat peccata, nec talem orationem vtique facere debebat.

RESPON. Auguſtinus hic non definit, an Virgo Maria ſic orauerit, vel non, ſed tamen talia dicit, omnibus enim neceſſaria eſt oratio Dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, ideſt Apoſtolis ſuis dominus dedit, vt vnuſquiſque Deo dicat Dimitte nobis debita noſtra &c. Cui enim hęc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hic ſine peccato viuere pronunciandus eſt. Quales ſi aliquos futuros dominus pręuideret, meliores vtique quàm extiterunt eius Apoſtoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti ſibi peccata quibus in baptiſmo fuerant omnia iam dimiſſa. *Epiſ. 89. ad Hilarium.*

QVÆST. CXLVIII.

AN liberum arbitrium valeat ad ſalutem ſine Dei gratia.

RESPON. Illud quod quidam dicunt, ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica pręcepta implenda, ſine Dei gratia, & S. S. dono, ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum. Valet namque liberum arbitrium ad bona, ſi diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petẽdo, & faciendo, deſertum vero diuino adiutorio, qualibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit iuſtitię ſoliditatem, ſed inflationem impię ſuperbię, & exitioſum tumorem. Iubet ergo Deus, licet ſine gratia, pręcepta implere non poſſumus, vt facere iuſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adiutoriũ gratię poſcere nouerimus, & ſi quid facere potuerimus operis boni. ei qui adiuuat, non ſimus ingrati. Neque enim voluntatis arbitrium, ideo tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit Adiutor meus eſto, confitetur ſe velle implere, quod iuſſit, ſed ab eo, qui iuſſit adiutorium poſcere, vt poſſit. *Epiſt. ea.*

QVÆST. CXLIX.

AN sit licitum verum iurare, & tale iuramentum frequentare?

Epi. ead. RESPON. Iurationem caue quantum potes. Melius quippe est, nec verum iurare, quàm iurandi consuetudine, & in periurium sæpe cadere & semper periurio propinquare, sunt enim aliqui prorsus ignorantes, quid sit iurare, putant enim se non iurare, quando in ore habent. Scit Deus, & Testis est Deus, & Testem Deum inuoco in animam meam, quia non dicitur, per Deum, & etiam quia talia inueniuntur in Apostolo Paulo: Sed dico, quòd in Græcis codicibus reperitur, quòd omnino hæc est iuratio, qua
1. Corin. 15. vtitur Apostolus. 1. Cor. 15. quando dicit quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro: sed non ideo, quia in suis litteris, iurauit Apostolus vir in firmitate firmissimus, Ludus nobis debet esse iuratio. Multo enim tutius, vt di xi quantum ad nos attinet, nunquàm iuramus, vt sit in ore nostro est est, non nõ sicut Dominus monet. Non quia peccatum est verum iurare, sed quia grauissimum peccatum est falsum iurare, quo citius cadit, qui consueuit iurare.

QVÆST. CL.

AN in his quæ sunt fidei, ad iudicium Sedis Apostolicæ Romanæ sit referendum etiam dum celebratur Concilium, & an Episcopus Romanus fit Pastor vniuersalis totius ecclesiæ, cui incũbat onus omnium ecclesiarum, suo loco, & tempore.

Epis. 90, 91. RESPON. Concilium Cartgaginense, & Concilium Mileuitanum in quo Aug. fuit, non audent determinare contra Pelagiũ, & Cælestium, (qui nullum locum gratiæ relinquentes libero arbi. totum dabant) nisi prius consulant Sedem Romanam, & ad iudicium suum se remittunt, sic patres Concilij Carthaginensis scribunt in epistola 90. ad Innocentium Papam. Hoc itaque gestum domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ medio charitatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam peruersitate etiam corrigenda. Et in fine Epistolæ, sic dicitur: quæcunq; autem alia ab eis obijciuntur, non dubitamus venerationem tuam cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in oriente in eadem causa

con-

confecta dicuntur, Id iudicaturam, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus: ora pro nobis domine beatissime Papa. Et in 91. Epistola ad hos respondens Innocentius sic scribit, in requirendis de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maximè a vero iustoque & catholico tractari Concilio, antiquę traditionis exempla seruantes, & ecclesiasticæ memores disciplinę. Vestræ religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quàm antea cum pronunciaretis vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, (cum omnes hoc loco positi, ipsũ sequi desideremus Apostolum) debeatur, a quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tam mala iam dãnare nouimus, quàm probare laudanda. Et patres Concilij Mileuitani in quo affuit Aug. sic in epistola 92. ad Innocentium scribunt. Quia te dominus gratiæ suę pręcipuè munere in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiose, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Quibus ipse Innocentius in ępistola 93. respondens sic inquit: Inter cæteras Romanæ ecclesiæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diuersorum consulta fideli, ac modica disceptatione tractamus, frater & coepiscopus noster Iulius, dilectionis vestræ litteras, quas ex Mileuitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, & paulò inferius sic ait, diligenter ergo & congruè Apostolico consultis honori, honori inquam illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Verum hęc missa facio, neque. n. hoc vestram credo latere prudentiam. Quid etiam actione firmastis, nisi scientes, quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? pręsertim quotiens fidei ratio ventilatur. Arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum 1. sui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vostra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus ecclesijs in commune prodesse.

QVÆST. CLI.

AN in hac vita inueniatur homo sine aliquo peccato.

Epist. 95. ad Inno. RESPON. Et si nõ inuenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adiutorium gratiæ, & spiritus Dei, quod vt fiat conandum atque poscendum est, tollerabiliter in id quisquam fallitur: nec diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda & optanda affirmare, etiã si quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certè laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quòd nullus in ecclesia Dei fideliũ reperitur in quolibet profectu, excellentia atque iustitia, qui sibi audeat dicere, non necessariam præcationem orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & veritas in eo non sit, qnamuis iam sine querela viuat.

QVÆST. CLII.

AN tota Trinitas, idest Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus insimul operẽtur in creatura, quod est dicere an opera Trinitatis sint indiuisa ad extra.

Epi. 102 ad Euodium. RESPON. Nihil putetur in Sancta Trinitate, temporibus locisve distare, sed hæc tria æqualia esse, & coæterna, & omnino esse vna natura: Non a patre aliam & a filio aliam, & a Spiritu Sancto aliam conditam esse creaturã, sed omnia & singula, quæ creata sunt, & creantur Trinitate creante subsistere; nec quemquam liberari à Patre sine Filio, & Spiritu Sancto, aut a Filio sine Patre, & Spiritu Sancto, aut à Spiritu Sancto sine Patre, & Filio, sed a tota Trinitate. Et si in scripturis diuinis nominentur diuisim, vt pater in voce, qua sonuit, Tu es Flius meus dilectus, & Filius in homine quem suscepit ex Virgine, & Spiritus Sanctus in specie columbæ, hoc fit, vt insinuetur Trinitas, licet tamen sit inseparabilis Trinitas. Nam licet enuncientur separatim, tamen nec vocem patris, nec animam filij & carnem, nec columbam Spiritu Sancto esse factam, nisi eadem cooperante Trinitate.

QVAEST.

QVAEST. CLIII.

AN gratia quæ impium iustificat, detur meritis vel gratuito, sic & fides.

RESPON. Gratia, enim est, qua iustificatur impius, idest fit iustus qui prius erat impius. Et ideo percipiendæ huius gratiæ merita nulla precedunt, quoniam meritis impij non gratia, sed pœna debetur. Nec ista esset gratia si non daretur gratuita, sed debita redderetur, Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus meritò fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur vt ipsam fidem vnde omnis iustitia sumit initiũ propter quod dicitur ad ecclesiam in canticis, venies & pertransies ab initio fidei, non humano tribuamus arbitrio, nec vllis præcedẽtibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur si gratiam verã idest sine meritis cogitamus, sic enim inquit Apostolus. Deus vnicuique partitur mensuram fidei. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiũt homine: Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Et cum fides, & gratia sint sine meritis, sed tantùm ex dono Dei. Vnde prouenit quòd duo idem verbum Dei audiunt, idem miraculum in conspectu amborum fit, & tamen vnus credit, & alter non? Hoc enim est altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat, neque enim propterea ista sunt iniusta quia occulta.

Epi. 105 ad Sixtũ *Luc. 18.* *Rom. 12.* *Rom. 14.*

QVAEST. CLIIII.

AN vita æterna detur nobis ex præcedentibus meritis?

RESPON. Ipsa vita æterna quæ vtique in fine sine fine habebitur, meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur,

Epi. ead. & Enchiridion. cap. 17.

non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt, & ipsa merita quibus datur. Quod vita
Rom. 6. æterna vocetur gratia, audi Apostolum, stipendium peccati mors est inquit, gratia autem Dei vita æterna. Potuisset quidem dicere etiam stipendium iustitiæ vita æterna, vt sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tamquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere iustitiæ diceret fidei,
Abac. 2 quoniam iustus ex fide viuit. Vnde etiam, & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis, nusquam porro dicta est merces iustitia vel fides, quia iustitiæ vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operāti, hoc militanti stipendium, sed Apostolus nolens nos in elationem extollere, inquit stipēdium, peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iustitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non a contrario retulit dicens, stipendium iustitiæ vita æterna, sed gratia, inquit, Dei vita ęterna. Et hęc ne præter mediatorem aliqua alia via quæreretur, adiecit in Christo Iesu domino nostro, tamquam diceret, Audito quod stipendium peccati mors sit, quid te disponis extollere? & contrariam morti vitam æternam tamquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita ęterna vera iustitia est. Si autem vera iustitia, est ex te non est, de sursum est, descendens a patre luminum vt haberes eam: si enim habes eam,
1. Cor. 4. profecto accepisti. Quid enim habes quod non accepisti? Quapropter o homo si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium, sed tibi gratia est, cui gratia est, & ipsa iustitia. Nam de plenitudine eius accepimus non solum gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque in finem viuimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie postea sine fine viuamus. Hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus inuenit.

QVÆST. CLV.

CVm omnia bona a gratia Dei deriuentur, quæro an bona opera nostra sint frustatoria.

Epi. 106 ad Paul. Rom. 2. RESPON. Homo in domino glorietur, & non ex operibus, non quia opera bona ista pia cogitatione frustrātur cum Deus reddat vnicuique secundùm opera eius sitque gloria & honor, &

pax

pax omni operanti bonum: Sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia, quoniam fides quę per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus vnicuique partiretur mensuram fidei.

QVAEST. CLVI.

AN Adam si non peccasset mortuus fuisset, & an gratia Dei detur ad singulos actus.

RESPON. Determinatum est contra pellagium, quòd si Adã non peccasset, nec moriturus erat. Et quòd gratia Dei, & adiutorium etiam ad singulos actus datur, & quòd infantes nuper nati non sunt in illo statu, in quo fuit Adam ante præuaricationem, & quòd diuites christiani qui bene viuunt, & bene vtuntur diuitijs, possunt saluari, vt vult Apostolus si viuunt, vt ipse ibi docet. *Epi. ead.* *1.Tim.6*

QVAEST. CLVII.

AN pro incredulis sit orandum, vt fidem Deo auxiliante recipiant? Et ideo hoc quærimus, quia quidam pelagiani, vt Vitalis erat, dicunt, quòd tantum est veritas infidelibus prędicanda, postmodum, vt consentiant veritati orationes nihil valere, sed consentire vel non ita nostrum est, vt si velimus fiat, si autem nolimus, non fit. Et ideo licet infidelis audiat Dei verbum, non est orandũ pro eo, vt Deus auxilietur ad credendum, quod est dicere gratiam Dei non dari ad singulos actus.

RESPON. Sed hæc opinio, est contra orationes ecclesiæ quæ orat pro infidelib. vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro cathecumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, vt in eo quòd esse cœperunt eius munere perseuerent, est etiam cõtra diuum Cyprianũ, qui exponẽs, illud Dominicæ orationis, Fiat volũtas tua, dicit ꝙ ibi Christus docet orare pro infidelib. inimicis ecclesię, secundùm illud domini præceptum orate pro inimicis. Dicit enim Fiat voluntas tua sicut in cęlo idest in fidelibus ita & in terra idest in infidelibus qui terra nuncupantur, quia terreni hominis imaginem portant, est contra etiam diuinam scripturam, Apostolus enim sic dicit, oramus ad Deum, ne quid faciatis mali, si *Epi.107 ad Vitalem.* *Mat.5.* *2.Cor. 13.*

igitur orandus est Deus, vtique orandus quia ab ipso est quod petimus. Et sic concluditur quòd ad singulos actus in adultis est necessaria gratia Dei, ideo dicit Apostolus, Deus est, qui dat velle, & perficere & Psal. A domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet, non dicit voluit, sed volet, non igitur quia voluit dirigũtur, sed quia diriguntur volet. Dicit iterum Psal. Animam volũtariam segregans Deus hæreditati tuæ quia, & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, & lex Dei atque doctrina quamuis sancta, & iusta, & bona, tamen occidit si non viuificet spiritus, per quem fit, non vt audiendo sed vt obediendo, neque vt lectione, sed vt dilectione teneatur. Qua propter vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, non quia velle non debemus, & currere; sed quia ipse in nobis, & velle operatur, & currere, oremus ergo vt voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, & natura sanetur.

Psal. 36

Psal. 67.

QVAEST. CLVIII.

AN electi sciant se esse de numero electorum, & si non sciũt quare sic fit, & quare miscentur non electi, cum electis: non perseueraturi, cum perseueraturis.

Epist. ea. RESPON. Fideles, enim pro seipsis orant, vt perseuerent in eo quod esse cœperunt, quia vtile est omnibus vel pœne omnibus propter humilitatem saluberrimã, vt quales futuri sint scire non possint. Ad hoc dicitur. Qui videtur stare, videat ne cadat, propter enim huius timoris vtilitatem, ne alta sapiamus, & pie viuere incipientes, tamquam, securi. Quidam non perseueraturi perseueraturis Dei permisione, vel prouisione, ac dispositione miscentur, quib. cadentib. territi cũ timore & tremore gradiamur viam iustam, donec ex hac vita, quæ tentatio est super terram, transeamus ad aliam, vbi iam non sit elatio comprimenda, nec contra eius suggestiones tentationesque luctandum. Aliam rationem pro nunc non inuenio, quare Deus non rapit eos qui cadunt, antequã cadant, idest. dum sunt gratia, sicut dicitur Sapientiæ, quòd iustus raptus est ne malitia mutaret intellectum eius: Si quis aliam rationem probabiliorem inuenerit, manifestet, & erit mihi grata.

1. Corin. 10.

Sapiẽ. 4.

QVAEST.

QVAEST. CCLIX.

AN Deus iudicet morientem modo secundùm voluntatem futurã ab ipsomet Deo prȩuisam, vt verbi gratia quidam paruuli a parentibus portantur ad baptizandum & moriuntur antequàm baptizentur, quidam vero suscipiunt baptismum, quare Deus vult illos mori sine baptismo, & alios non. Dicunt quidam, quòd Deus prȩuidit vtrorumque voluntatem futuram, & sic iudicat eos secundum voluntatem futuram, quia primi eorum debebant male tractare baptismum, ideo non sinit eos baptizari, &c.

RESPON. Scimus paruulos, secũdum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos, quibus respondentibus pro illis, & renunciare dyabolo dicuntur, & credere in Deũ, vnde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam domini dicentis. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Vnde & ipsi sicut dixi, si in illa parua ætate moriuntur, vtique secundum ea quæ per corpus gesserunt, idest tempore quo in corpore fuerũt, quãdo per corda & ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt, non secundum ea quæ si diu hic viuerent, gesturi fuerãt, iudicantur: Ideo quomodo dicitur propterea quibusdam non dari, quibusdam morituris paruulis Dei gratia dari, quia eorũ futuras prȩuidet voluntates, quas habituri essent si viuerent, cum secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ gesturus esset, si diutius fuisset in corpore, vnusquisque recipiat siue bonum siue malum, sicut Apostolus definit. Quomodo enim homines secundum voluntates suas futuras iudicantur, cum dicat scriptura fœlices mortui qui in domino moriuntur? certe si iudicarentur secundùm ea quȩ gesturi essent si victuri essent prolixius, fœlicitas eorum sine dubio non esset secura, & certa, cum quod acturi essent an bene, an male ignoretur, & sic nõ esset gaudendum de his, qui in fide recta, & bona defuncti sunt, nec dolendũ de his, qui in infidelitate defuncti sunt. ergo concludatur quòd execrandus est error quo putatur quòd homines secundum suas futuras, quȩ morientium non sunt futurȩ, iudicandi sunt voluntates.

Epist. ea. *Mar. 16.* *2. Cor. 5.* *Apo. 14*

QVAEST.

QVAEST. CLX.

AN baptizatus solo baptismo sanguinis saluet si in eo moritur.
Epi. 108 ad Seleucianam. RESPON. Pertinere ad regnum cœlorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum antequam baptizarentur occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est.

QVAEST. CLXI.

AN Apostoli baptismo Christi fuerint baptizati.
Epi. ead. RESPON. Quando Apostoli fuerint baptizati, non inuenitur scriptum, sed non omnia quæ facta sunt etiam scripta inueniuntur: Verumtamen facta esse ex cœteris documentis probãtur: Scriptum est, quando baptizatus est Apostolus Paulus, & non est scriptum quando alij Apostoli sunt baptizati. Verumtamen etiam ipsos babtizatos esse intelligere debemus, quemadmodum scriptũ est, quando baptizatæ sunt plebes ecclesiarum in Hyerosolima, & in Samaria, quando autem baptizatæ sunt plebes gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est vtique scriptum, & tamen etiam ipsas baptizatas vtique minime dubitamus propter illam
Ioan. 4. domini sententiam. Nisi quis renatus fuerit &c. Dicimus ergo ꝙ
Ioan. 4. discipuli Domini, vt habetur, quãdo exierunt ab Hyerosolimis cũ domino in Iudęam terram & illic morabãtur cum eo, baptizabant ex impositione sui magistri, & ideo intelligimus eos iam fuisse ba-
Io. 13. ptizatos, siue baptismo Ioãnis, sicut nõnulli arbitrantur, siue quod magis credibile est baptismo Christi. Et hoc patet ex Ioãne, vbi dr̃ Petro qui lotus est non indiget nisi vt lauet pedes, sed est mundus totus, vbi intelligitur, quòd iam Petrus baptizatus fuerat.

QVAEST. CLXII.

AN in adultis hominibus requiratur pœnitentia ante baptismum, & etiam post baptismum si peccauerint.
Epi. ead. RESPON. Agunt enim homines ante baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis, ita tamen vt etiam baptizentur, sicut scriptum est. Loquente Petro ad iudęos, & dicente: Agite pę
Act. 2. nitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini,

Iesu

Iesu Christi,& dimittentur vobis peccata vestra. Agunt etiam ho mines pœnitentiam si post baptismum ita peccauerint,vt excõmu nicari,& postea reconciliari mereantur: Sicut agunt in omnibus ecclesijs illi, qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pę nitentia loquutus est Apostolus. Vbi ait,Ne iterum cum venero, humiliet me Deus &c. neque enim scribebat ista, nisi eis qui iam baptizati fuerant. Habemus etiam Simonem Magum post baptismum peccasse,& a Petro admonitus est,vt pęnitentiam ageret de tali peccato.Fideles etiam humiles quotidie sunt pœnitentes. dum tundunt pectora dicentes. Dimitte nobis debita nostra.

De conf. dis.4.ca. Agunt & homines. 2. Corin. 12.

Act.8.

QVAEST. CLXIII.

AN de more licite possit episcopus eligere sibi successorem antequam moriatur. *Epi.110*

RESPON. Scio post obitus episcoporum, per ambitiosos aut cõtentiosos solere ecclesias perturbari,& quod sæpe expertus sum & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat huic prospicere ciuitati. Sicuti modo occurrit in Mileuitana ecclesia, vbi episcopus Seuerus designauerat successorem sine populi consensu, & ideo timebatur perturbatio populi; sed Deus adiuuit, vt cum pace acciperent quem reliquerat successorem. Ego vero in conspectu cleri,& totius populi maioris partis, volũtatem meam, quam credo Dei esse, profero: presbyterum Eradium mihi successorem volo,& vt voluit Aug. sic factum est. A populo acclamatum est. Deo gratias, Christo laudes, dictum est, vigiesterties. Exaudi Christe, Augustino vita, dictum est. Sexsies decies. Te patrem, te episcopum, dictum est octies. Cumque reticeretur, Aug. dixit. Nolo de Eradio fieri, quod de me factum est. Nam adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum,& sedi cum illo; quod Cõcilio Nicęno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit ergo pręsbyter, vt est, quando Deus voluerit futurus episcopus.

Epi.111 & 112. ad Fortunianum, & Paul.

QVAEST. CLXIIII.

AN Deus videri possit oculis corporeis in hac & futura vita.

RESPON. Deum enim nemo vidit vnquam Io. 1 c. Vnde

Sanctus

Sanctus Hyeronimus ait. Videre Deum ſicuti eſt in natura ſua oculus hominis non poteſt. Nō ſolum homo, nec Angeli, nec Throni, nec Poteſtates, nec Dominationes; nec omne nomen, quod nominatur. Neq; enim creatura poteſt aſpicere creatorem ſuum.

Mat. 18. His verbis oſtenditur quòd neque in futuro ſeculo videri poteſt, cum nec Angeli quibus ęquabimur, videant. Et ſi dicatur quòd Angeli ſemper vident faciem patris, & Apoſtolus, quòd tunc videbimus facie ad faciem: per faciem, intelligere debemus interioris hominis faciem ideſt mentē, conſpicitur enim mente, oculis enim mentis videri poteſt, cum ſit inuiſibilis oculis corporis, licet enim ſe demonſtrauerit patribus antiquis ſub aliqua ſpecie corporali,

Super Lucam. c. 1. non tamen ſecundum propriam naturam, vt Ambroſius teſtatur, Deum ea ſpecie videri, quam voluntas ſua elegerit, non natura formauerit, vt & illud verum ſit Deum nemo vidit vnquam, dicit

1. *Io.* 1. etiam Apoſtolus. Regi autem ſeculorum inuiſibili incorruptibili, ſoli Deo, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Vnde non audeo iſta diſtinguere, vt dicā, incorruptibili quidē in ſecula ſeculorum, inuiſibili autem non in ſecula ſeculorum, ſed tantùm in hoc ſeculo. Verum quia nec iſta teſtimonia falſa eſſe poſſunt, beati mundo

Mat. 5. corde quoniam ipſi Deum videbunt. Et ſcimus quia cum appar-

1. *Io.* 5. uerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Negare nō poſſumus filios Dei viſuros Deum, ſed ſicut videntur inuiſibilia, vnde autem inuiſibilia videntur niſi oculis cordis? Et ſi dicatur, quòd ſcriptura attribuit Deo membra corporalia, intelligenda ſunt ſpiritualiter, ſicut ergo cū alas Deo attributas audimus, protectionem intelligimus, cum manus operationem, cum pedes præſentationem, cum oculos, viſionem qua cognoſcitur, cum audimus faciem, iuſtitiam qua innoteſcit. Et ſiquid aliud eadem ſcriptura commemorat, puto ſpiritualiter intelligendum. Vnde ego dico quòd Deus totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt; Totus manus eſt quia omnia operatur: Totus pes eſt, quia vbiq; operatur: Ergo oculos non habet? Sed qui dixit. Qui plantauit aurem non audiet, qui finxit oculos non conſiderat? membra tulit, efficientias dedit.

Et bene apparuiſſe dicitur multotiens in ſcriptura Deum ipſum & etiam Angelos, quia ſcriptura diuina tenere conſueuit, vt quod non poteſt videri, apparere dicatur. Sic habes. Apparuit

Gen. 18. Deus Abraæ, nam qui ante non præſentitur, ſed repentino videtur

aſpectu,

aspectu, apparere memoratur. Visus est ergo dominus Esayæ, & Stephano, & quibus voluit, & eo modo quo voluit, non secundum plenitudinem diuinitatis, quia Deum nemo vidit vnquam, quia eam quæ in Deo habitat, plenitudinē diuinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis cōprehendit. Vnde Ambr. qñ dixit apparuisse Deū illis patrib. antiquis. Dixit ab eis ea specie videri quā voluntas elegerit, nō natura formauerit, potuit dicere nō natura mōstrauerit, sed maluit dicere formauerit, ne ipsam speciem in qua Deus elegit apparere, de sua natura formare putaretur. Et ex hoc vtriq; cōuinceret conuertibilis esse mutabilisq; substātiæ: quod ipse Deus a fide piorū auerterit: Inuisibilis est igitur natura Deus, & nō videtur in loco, sed mundo corde, nec tactu tenetur, nec sentitur incessu, ideo cum loqueretur cum Moyse facie ad faciem. Nihilominus hac visione Moyses non quietabatur, sed dicebat: si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Quid ergo? ille nō erat ipse? Si non esset ipse, non ei diceret. Ostende mihi temetipsum, ipse ergo erat, in ea specie qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Quomodo autem sancti in resurrectione videant Deum oculis corporis gloriosi, an non, determinare difficillimum est, quia si vident oculis talis corporis, oporteret quòd corpus in resurrectione fieret spirituale, & sic & oculi essent spirituales, quia oculis corporalib. non potest videri. Tene ergo sententiam diui Ambrosij, & meam, in resurrectione non facile est Deū videre, nisi his, qui mundo sunt corde, quia beati mūdo corde Deum videbunt, Vnde epilogādo dicimus, ꝙ si q̄ris vtrū possit Deus videri: Resp. potest, si q̄ris, vnde sciam? Resp. quia in veracissima scriptura legitur, beati mundo corde quoniā ipsi Deū videbunt, & cœtera talia. Si quæris quomodo dictus sit inuisibilis, si videri potest? Respondeo inuisibilem esse natura, & plenitudinem suæ diuinitatis quisquam nec oculis corporis vidit, nec ipsa mente aliquando comprehendit, videri autem cum vult, sicut vult; plurimis enim visus est non sicuti est, sed quali specie illi placuit apparere. Si quæris quomodo eum vidit Caim sceleratus, & dyabolus quando venit cum Angelis vt coram illo assisteret, si tantum mundo corde vident Deum? Respondeo quòd non est consequens, vt etiam videant Deum, qui voces ab eo factas aliquando audiunt, si quæris, vtrum sicuti est aliquando possit videri. Respondeo

Exo. 33. *Gen. 4.* *Iob. 1. 2.*

deo filijs hoc esse promissum, de quibus dictum est scimus, quia cũ apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est: Si quæris. Vnde eum videbimus? Respondeo, vnde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales: Sicut enim videntur ista visibilia, Deũ nemo vidit vnquam, nec videri potest, quoniam lucem habitat inaccesibilẽ, & est natura inuisibilis, sicut incorruptibilis.

QVÆST. CLXV.

IRa quid sit inquirendum, est a nobis.

RESPON. Ira est quantum mea fert opinio. turbulentus appetitus auferendi ea quæ facilitatem actionis impediunt, itaque plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumq́ue collidimus atque frangimus. Et cuique instrumẽto quilibet ex quo difficultatem se pati arbitratur. Hac autem assiduitate irascendi fel crescere etiam medici affirmãt: cremento aũt fellis, rursus & facile ac prope nullis existentibus causis irascimur, ita quod suo motu animus fecit in corpore ad eum rursus commouendum valebit.

Epi. 115 ad Nebridium.

QVÆST. CLXVI.

AN mores qui in aliquibus ecclesijs seruantur, sint ab omnibus seruandi? & si non, qui sunt seruandi ab omnibus, & qui a quibusdam.

RESPON. Illa quę non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarũ obseruãtur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd domini passio, & resurrectio, & si quid aliud tale occurrerit, qđ seruatur ab vniuersa quocumque se diffundit ecclesia. Alia vero quę per loca terrarum, regionesq́ue variantur, sicuti est, quòd alij ieiunant sabbato, alij vero nõ. Alij quotidie communicant corpori, & sanguini dominico alij certis diebus accipiunt, & si quid aliud huiusmodi animaduerti, potest totũ hoc genus rerum, liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla melior est in his, graui prudentiq; christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam ad quamcunque deuenerit, sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, eius morem serua: si cuique nõ vis esse scandalo, nec quemquam tibi.

Epi. 118 ad Ianuarium. dist. 12. cap. Illa.

QVAEST.

QVÆST. CLXVII.

AN recipientes Eucharistiam quotidie bene faciant,& qui non recipiunt nisi certis diebus an & ipsi bene faciant.

RESPON. Dixerit aliquis non quotidię accipiendam Eucharistiam. Quęsieris quare? Quoniam eligendi sunt inquit dies quibus purius homo continentiusque viuit quò ad tantum sacramentum dignius accedat. Alius dicit econtrario quando peccatum est maximum, debet authoritate episcopi ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam,non enim eo tempore accipiendum est quo quispiam agere pœnitentiam debet de suo peccato, cœterum si peccata tanta non sunt,vt excommunicandus quisquam homo iudicetur,non se debet a quotidiana medicina dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisquã dirimit litem qui monet, vt præcipue in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus,& sanguinem domini,si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerint inter se,aut quisquam eorum se alteri pręposuit,Zachęus,& ille Centurio,cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit dominum. Alter dicit. Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificauerunt, diuerso & quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri. Ambo misericordiam consecuti sunt. *Epi.ead.* *Luc. 19.* *Matt. 8.*

QVÆST. CLXVIII.

QVare anniuersarius dies celebrandę dominicæ passionis non ad eundem redeat anni diem,sicut dies qua traditur natus Christus. Et si hoc fit propter sabbatum & lunam, quid sibi velit in hac re obseruatio sabbati,& lunę.

RESPON. Dies Natalis domini, non in sacramento celebratur,sed tãtum in memoriam reuocatur per ipsum, quòd natus sit, ac per hoc nihil opus erit,nisi reuolutum anni diem, quo ipsa res acta est,festa deuotione significari, sacramentum est autem in alia celebratione,cum rei gestæ ita rememoratio fit,vt aliquid etiam significari intelligatur,quod sanctè accipiendum est. Pascha enim *Epi. 119 ad Ianuarium. ca. 1.2.*

agimus non solum vt rememoremur rem gestam, idest quòd Christus sit mortuus,& resurrexit, sed etiam vt sacramenti significationem non omittamus, significat enim transitum de hac vita mortali ad aliam vitam immortalem. Pascha enim hebraice latine dicitur transitus. Hic transitus a nobis modo agitur per fidem, quæ nobis est in remissionem peccatorum. Hæc igitur innouatio vitę nostræ, est quidam transitus de morte ad vitam, cui primo fit per fidem, vt in spe gaudeamus,& in tribulatione patiẽtes simus: Propter hanc ergo nouitatem vitæ primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus, est. Nam & ipse dicitur mensis nouorum. Quia vero in toto tempore seculi, nunc tertium tẽpus apparuit, idest tempus gratiæ, ideo resurrectio domini triduana est. Hoc ergo & in lunari numero significatur, quia enim septenarius in scripturis mystyce sumitur. Ideo in tertio septenario, idest in tertia hebdomada lunæ, pascha cœlebratur. i. qui dies occurerit, a quarta decima in vicesimam primam.

QVÆST. CLXIX.

QVadragesima nostra. Vnde habet authoritatem,& quare iuncta est tempori dominicæ pasionibus.

Epi. ead. cap. 15. RESPON. Quadragesima sanè ieiuniorum habet authoritatem,& in veteribus libris, ex ieiunio Moysi,& Helyę,& ex euangelio, quia totidem diebus dominus ieiunauit, demonstrans euangelium non dissentire a lege,& prophetis. In persona quippe Moysi lex. in persona Helyæ Prophetæ accipiuntur, in qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur nisi confini atque contiguæ dominicæ passioni? Quia in ea significatur hęc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius in quo est perfectio. beatitudinis nostræ, sicut in octonario quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura quæ septenario figuratur, adheret creatori, in quo declaratur vnitas trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntianda, quia mundus, & a quatuor ventis delimatur,& quatuor elementis erigitur,& quatuor anni tẽporum vicibus variatur. Decem autem quaterni in 40. consumũtur, quadragenarius autem partibus suis computatus, addit ipsum

denarium

denarium,& fiunt. 50. tamquam merces laboris,& continentiæ. Vnde non frustra dominus post resurrectionem 40. diebus cum discipulis suis conuersatus est,& postquam ascendit in cœlum 10. diebus interpositis misit Spiritum.S. & fiunt. 50. & figurant post laborem, quietem,& mercedem, ideo sunt dies letitię,& non ieiunij, & halleluia cantatur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum.

QVAEST. CLXX.

QVare dicũtur filij promissionis in Isaac maxime illi qui deputantur gratiæ noui testamenti.

RESPON. Multum est,& nimis longum, diligenter enucleare, cur filij promissionis pertinentes ad Isaac, noui testamenti gratiæ deputentur, breuiter tamen attingam. Non omnia Deus quæ prædicit, promittit prædicit enim etiam illa quæ ipse non facit, quia est omnium præscius futurorum, prędicit ergo,& peccata hominum quæ potuit pręscire, non facere, promittit autem quę ipse facturus est, nec ea mala sed bona. Quis enim promittit mala? Quamuis itaque mala inferat, mala non peccata sed supplicia, minatur tamen ea potius quàm promittat. Omnia largitur,& præscit, sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur. Filij ergo promissionis, filij sunt beneficij. Hæc est gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis.

Epi. 120 ad Hono. cap. 19.

QVAEST. CLXXI.

CVm oramus quid orare debemus?

RESPON. Propheta in Psal. 26. dicebat. Vnam petij a domino hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitę meę, vt contempler delectationem, Dei & visitem templum eius. Propter enim hanc adipiscendam vitam,& inhabitationem in domo domini ipsa vera vita nos orare docuit, non in multiloquio tamquã eo fiat vt exaudiamur, quò loquaciores summus cũ eũ oramus. Sed quid est, ꝙ hortatur nos semp orare, si non in multiloquio exaudimur? Dr̃, ꝙ aliud est multus sermo, aliud diuturnus affectus, vult.n. lõgum affectum, sed breuẽ loquutionẽ. Absit enim ab oratione multa loquutio, sed non desit multa præca

Epi. 121 ad Probam.

tio, si feruens perseuerat intentio. Nã multum loqui est in orãdo rẽ neccessariam sumperfluis agere verbis. Multum autem precari est ad eum quem precamur, diuturna, & pia cordis exercitatione pulsare. Quid est etiam quòd vult Deus vt eum oremus, si scit quid nobis necessarium sit antequam eũ petamus? nisi intelligamus, ꝙ Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere quod preparat dare.

QVAEST. CLXXII.

QVare iusti in hoc mundo, etiam si non merentur propter peccata tribulationes, affliguntur tamen cum peccatoribus.

Epi. 122 ad Victoriam. RESPON. Quantamlibet enim iustitiam seruemus, quamtamlibet domino obedientiam exhibeamus, nunquid meliores esse possumus multis sanctis viris veteris testamenti? Vt illis tribus pueris in camino ignis positis, qui omnes in tribulatione positi, precantes dñm; dicebant Deum iustũ, qui puniebat eos propter eorum peccata, lege Danielem. 3. & c. 9. Et postea dicitur Prouer. 3. Quem enim diligit dominus corripit. Flagellat autem omnem filium quem recipit. Vnde & Apostolus si nosmetipsos iudicaremus a domino non vtique iudicaremur, cum iudicamur autem a *Hebr. 12* domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

QVAEST. CLXXIII.

AN ab aliquibus sanctis fiant miracula, & ab aliquibus non, & in aliquo loco sancto fiant curationes, & mirabilia, & in alio loco sancto non, & si hoc verum est. Vnde prouenit, quòd hic vbi sunt multæ reliquię sanctorum non fiunt mirabilia, & in alio loco vbi sunt alię reliquiæ fiunt multa mirabilia.

Epi. 137 ad Eccl. Hippon. RESPON. Et si Deus sit vbique, & nullo includatur loco, qui condidit omnia, & eum a veris adoratoribus in spiritu, & veritatẽ oportet adorari, verumtamen ad ista quę hominibus visibiliter nota sunt quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hec miracula fiant, in alijs non fiant? Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam sanctorum vbi mirabiliter, & terribiliter demones confitentur, furem quendam, quia ad eum locum

venerat

venerat vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri
furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid non & Aphrica san
ctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic
scimus talia fieri. Sicut enim quod Apostolus dicit. Non omnes *1. Corin.*
sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationẽ *12.*
spirituum, ita nec in omnib. memorijs sanctorum ista fieri voluit
ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.

QVAEST. CLXXIIII.

AN Christus in cœlo habeat ossa, & sanguinem, & liniamenta, & vestimenta, & corpus suum sit spiritus, an spirituale, & per consequens etiam nostrum in resurrectione.

RESPON. Ego proinde domini corpus ita in cœlo esse credo
vt erat in terra, quando ascendit in cœlum. Dixit enim discipulis *Epi. 146*
suis de sua resurrectione dubitantib. videte manus meas, & pedes, *ad Con-*
palpate & videte quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me *sen. li. 24*
videtis habere. Et licet habeat carnem, & sanguinem, est tamen
incorruptibilis ex diuina potentia, quia valet diuina potentia
de ista visibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus
auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet etiam
membra mortalia formæ liniamentis manentibus, corruptione vero
mortalitatis emortua, stabili vigore firmare, vt absit labes, absit
effigies, absit motio, absit fatigatio, absit vescendi potestas,
absit esuriendi necessitas, & remaneat corpus verum, sed non
animale spirituale autem sic: quoniam, vt dicit Apostolus seminatur *1. Corin.*
corpus animale surget corpus spirituale, non dicit surget *15.*
spiritus, contra aliquos qui volunt, quòd in resurrectione corpus
fiat spiritus, nam sicut corpus animale, non est anima, ita corpus
spirituale non est spiritus, & sic Apostolus est contra eos.

QVAEST. CLXXV.

AN officium dyaconi, presbyteri, & sit graue & periculosum, & laboriosum.

RESPON. Nihil in hac vita video, & maxime hoc tempore *Epi. 148*
facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, *ad Vale-*
aut diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur, *riũ epis.*
sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. item

nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius periculosius episcopi, aut persbyteri, aut diaconi offitio, sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo noster imperator iubet.

QVAEST. CLXXVI.

Epi.151

QVid sit pulchritudo corporis inquiritur.

RESPON. Pulchritudo corporis est congruentia partiũ cum quadam coloris suauitate.

QVAEST. CLXXVII.

AN extra ecclesiam chatolicam possit quis saluari licet bene viuat.

Epi.152 ad Donatianos. cau. 23. q.4. cap. si quis.

RESPON. Quisquàm ergo ab hac catholica ecclesia fuerit separatus, quamtũlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia in ea vnusquisque suum onus portabit.

QVAEST. CLXXVIII.

AN liceat iurare per Deos falsos, & si quis iurauerit per eos, sit peccatum seruare iuramentum, vel saltem vti fide eius qui iurauerit, & facere sibi iurare per Deos falsos.

Epi.154 ad Publicolam. cau. 22. q.1. cap. Mouet, capit. sed quæritur

RESPON. Qui enim iurat per Deos falsos, & fidem non seruat iuramenti, bis peccat, & quia iurauit per quos non debuit, & quia contra pollicitam fidem fecit, si autem quis vtitur fide eius qui iurauerit per Deos falsos, & quòd vtatur ad licitam & bonam rem, non peccat, quia nõ peccato eius se sociat quod per demonia iurauit, sed bono pacto eius quod fidẽ seruauit, verumtamen sine vlla dubitatione minus malum est per Deũ falsum iurare veraciter quàm per Deum verum fallaciter quãto enim ꝑ quod iuratur magis, est sanctum, tanto magis, est pœnale periurium. Facere autem iurare sibi per Deos falsos, non iudico peccatum: cum dicitur, ꝙ

Gen. 26. Isaac, & Abimelec iurauerunt sibi mutuo, vtique Isaac, per Deum suum,

ſuum,& Abimelech per ſuũ,& ratio hoc vult,& permittit pro pace ſeruanda, licet enim vti pace eorum cum quibus viuimus in terris. Alioquin oporteret exire de terra.

QVAEST. CLXXIX.

AN christianus peccet ſi permittit idolatram ſummere aliquid de luco, de area de torculari ad ſacrificia demoniorum peragenda, vel peccet vtendo fonte, quo vtitur idolatra.

RESPON. Cum quis ſumit aliquid ad ſacrificium idolorum peragendum, peccat chriſtianus ſi permittit ſumere, quando prohibendi poteſtatẽ habet. Quod ſi non ſcit factum nec cõperit, aut prohibendi poteſtatem non habuit, non peccat, & etiam poteſt vti reliquis fructibus mundis, vnde illa ſublata ſunt, quæ ad illa ſacrificia dicata ſunt, ſicut etiam vti poſſumus fontibus, vnde idolatræ hauriunt aquam pro ſuis ſacrificijs peragendis, quemadmodum, & aere in quẽ vadit fumus illorum ſacrificiorum vtimur. *Epi.ead. cau. 22. q.2.c.51 de Area.*

QVAEST. CLXXX.

AN ille peccet qui facit malum putans facere bonum.

RESPON. Si quis autem putauerit bonum eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, vtique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod malum fit. *Epi.ead.*

QVAEST. CLXXXI.

AN ſit dicendus hæreticus qui pertinaciter non affirmat falſam ſententiam.

RESPON. Qui ſententiam ſuam quamuis falſam, atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendit pręſertim quam non audacia præſumptionis ſuę pepererit, ſed a ſeductis atque in errorem lapſis parentibus accepit, quærit autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi paratus cum inuenerit, nequaquam eſt inter hæreticos deputandus. *Epi.162 ad Donatiſtas.*

QVAEST. CLXXXII.

AN Principatus ecclesiæ Christi sit Romæ, & etiam aliàs sibi fuerit.

Epi. ead. RESPON. In Romana ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, & sunt verba formalia Aug.

QVAEST. CLXXXIII.

AN liceat in defensione fidei aliquando vti verbis, quę non inueniuntur in sacra scriptura.

Epi. 178 In altercatione inter August. & Pascentium. RESPON. Græci in Concilio tractantes vnitatem Trinitatis, posuerunt hoc nomen, Homusion, quod significat vnitatem substantiæ Trinitatis, & tamen non inuenitur in sacra Scriptura, inuenitur tamen res, idest æqualitas substantialis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti per alia nomina: Dummodo ipsa res inueniatur in ipsa Scriptura, potest exprimi ab vnoquoque per suę linguæ vocabula, licet talia vocabula non inueniantur in ipsa Scriptura.

QVAEST. CLXXXIIII.

AN liceat fugere persecutiones: sic enim Matth. dicitur cum persequentur vos in vna ciuitate fugite in aliam.

Mat. 10. Epi. 180 ad Honoratum. RESPON. Faciant serui Christi ministri verbi, & sacramenti eius, quod præcepit, siue permisit dominus. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam spetialiter a persecutoribus quærritur, vt ab aliis, qui non ita requiruntur non deserat ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt: Cum autem omnium, idest episcoporũ, & clericorum est commune periculum, hi qui alijs indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur totus populus fugiat Christianus: Et si non potest fugere, nec illi fugiant, quibus pertinet supplere necessitatem ecclesiasticam: sed cum populo pariter viuant, & pariter sufferant: & hoc dicitur præcipuè pastorib. animarum, qui non debent derelinquere populum indigẽtem ministerio eorum: sed cum eo ad bonum & malum debent permanere. Fuerunt tamen quidam episcopi de Hyspania, qui fugerunt:

sed

ſed plebes ſuæ prius fugam arripuerant, & ſic fuit licitum eis: & quia maior pars populi fugerat, & conſumptus fuerat, & quia cũ illis paucis, qui remanſerant multi eccleſiaſtici cum illis remanſerant, vt ſubuenirent in neceſſitatibus ſacramentorum; vnde ſic cõcluditur, licere miniſtris Chriſti fugere, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit cui miniſtretur, aut etiam fuerit, & poteſt impleri per alios miniſterium. Sic fecit Apoſtolus Paulus, quando ſubmiſſus eſt in ſporta, fugit e Damaſco: ſed non defuerant intus, qui ſupplerent miniſterium eccleſiæ: Sic ſanctus Athanaſius Alexandrinus epiſcopus fugit; quia ſolus quærebatur, ſed ſua eccleſia nõ fuit deſerta: cum multi alij miniſtri eſſent: Cum autem plebs manet & miniſtri fugiunt, & miniſterium ſubtrahitur a populo, tunc mercenarij ſunt, & non paſtores, quia fugiunt, cum vident lupum venientem.

QVAEST. CLXXXV.

AN coniugati poſſint vouere continentiam ſine conſenſu alterius partis, vtpote vxor ſine mariti conſenſu, & maritus ſine vxoris conſenſu, & an vxor poſſit diſpenſare facultates domus quo modo voluerit ſine conſenſu mariti? & an poſt votum vtriuſque, poſſint redire ad concubitum.

RESPON. Continentia quam ſuſcepiſti marito tuo nondum volente, non ſecundum ſanam doctrinam ſuſcepiſti, quia inquit Paulus. 1. Corin. 7. Vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter econuerſo. Poſtquam vero tibi conſenſit, vt continenter viueres, & tecum ipſe ſimiliter continenter viuere determinauit, non amplius ad concubitum viri reddire debes, ſed quod pari conſenſu vouiſtis, perſeueranter vſque in finem Deo reddere debetis. Et etiam dico tibi, quòd licet tuus maritus vouerit tecũ continentiam, non propter hoc deſtitit tuus eſſe maritus. Ideo nihil de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacunque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis, ſine arbitrio eius diſpenſare debes, quia non licet mulieri coniugatæ dicere. Facio quod volo de meo, cum & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc eſt viri ſui. Ideo Sara vocabat Abraam dominum ſuum. & ideo ſi vxor vellet eleemoſynam magnam facere deberet cum conſilio viri ſui facere.

Epi. 199 ad Ediciam.

33. q. 5. cap. quod Deo.

QVAEST. CLXXXVI.

AN verus christianus possit dici seu nominari Iudęus, vel Israelita.

Epi. 200 ad Aselicum. RESPON. Christianus quidem, dici potest Iudeus, non carnaliter, sed spiritualiter intelligendo, & hoc aperit Paulus: vbi dicit, circuncisio quidem prodest &c. vsque in finem capituli: Sed *Rom. 2.* aduertendum est, quòd Christianus non debet tali nomine nominari multum, ne propter ambuiguitatem vocabuli, quam non discernit quotidiana loquutio, illud profiteri videatur, quod inimicum est nomini christiano, idest legem Moysi secundum litteram, cum custodiat secundum spiritũ, & sit Iudæus spiritu, & nõ carne.

QVAEST. CLXXXVII.

AN malefaciens possit cogi ad benefaciendum, cum nemo inuitus saluetur: & si quispiam vult perire, suę hoc voluntati relinquitur.

Epi. 204 ad Donatum hær. RESPON. Attendendum est, quod dicit Apostolus. 1. Tim. 3. Qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat: & tamen coguntur multi ad suscipiendum hoc onus boni operis, inuitis ipsis. Quanto magis, qui sunt in errore pernicioso, & in mala vita trahendi sunt, & perducendi ad veritatem, vel cognoscendam, vel eligendam, non solum, vt honorem habeant, sed ne pereant? Dices; dedit dominus liberum arbitrium, ideo nec ad bonum cogi debemus: Si sic est. Quare coguntur illi ad episcopatum suscipiendum? Attende ergo quod considera e non vis. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, vt mala voluntas hominis dirigatur. Nemo enim damnatur, nisi merito prauæ volũtatis, nec quisquam saluatur, nisi habuerit bonam voluntatem. Et ideo vbi est amor, operatur vt suus frater non permaneat in mala voluntate: Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare dominus toties flagellauit populum Israel, vt prohiberet à malo? Prostrauit Paulum, ne persequeretur ecclesiam? Monetur pater *Eccl. 30.* in ecclesiastico, vt percutiat filium prauum ad corrigendum? Quare *Prou. 23* corripiuntur pastores, & dicitur eis, errantem ouem nõ reuocastis, perditam non inquisistis?

QVAEST. CLXXXVIII.

AN, Sancti in cœlo pręmientur ex bonis operibus in hoc mundo factis.

RESPON. Nulli itaque dubium est intra patris mansiones Diuum Hieronymum vnam ex maioribus, & sublimioribus sedibus obtinere. Cum enim homo ibidem secundum opera pręmietur: & iste perfectioris penè vitæ extiterit, clarè patet ipsum vnum maioribus ciuibus cœlestis Hierusalem fore. *Epi. 205 ad Cyrillum.*

QVAEST. CLXXXIX.

AN sit recurrendum ad intercessionem sanctorum, vt orent pro nobis ad emendationem nostrę malæ vitę.

RESPON. Augustinus sic rogat Diuum Hieronymum iã carne exutum: sed quęso tui seruuli, quamquam vilissimi quem dilexisti in mundo nimia charitatis affectione, recorderis, vt tuis interuentionibus, a peccatis emender, tua gubernatione, recto calle, inoffenso pede procedam, tuis defensionibus assiduis ab inimicis mihi continue insidiantibus protegar, tuoque sancto ductu salutis portum attingam. *Epi. ead.*

QVAEST. CXC.

AN beati quędam velle pręsumant, quę obtinere nequeant.

RESPON. Hieronymus iam beatus sic inquit ad Augustinum in visione eum alloquens in die tamen, & non in nocte: Vnum Augustine noueris, quòd sanctorum animæ ita in illa ęterna gloria in Deo sunt solidatę, & firmatę, quòd nulla sibi inest alia voluntas nisi Dei, quòd nil velle aliud possunt, nisi quę Deus vult: Ideo quæ volunt obtinere possunt: Etenim quęcunque volunt, & & Deus vult & adimplet. Nemo quippe nostrum suis fraudatur desiderijs, quia nil pręter Deum aliquis nostrum optat: quoniam vero semper vt volumus Deum habemus, nostra semper desideria sunt plenissimè adimpleta. *Epi. ead.*

QVAEST. CXCI.

AN paruuli indigeant baptismo, pro salute acquirenda, quod est dicere an contrahant peccatum ex Adam, quo mediante in-

digeant

digeant lauacro baptiſmi. Nam arguit ſic, Pelagius. Si Adę peccatum etiam non peccantibus nocet, ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt, & hoc eſt falſiſſimum, & apud Pelagium, & apud nos, quia inquit Dominus. Qui non crediderit condemnabitur.

Mar. 16

Epi. 16. in calce tom. 2.

RESPON. Clarè patet ex illo argumento Pelagij concedi non poſſe prodeſſe non credentibus iuſtitiam Chriſti, & tamen paruuli admittuntur ad baptiſmum, ergo aliquid eis prodeſt, cum & paruuli baptizati ſint in numero credentium. Vnde licet ſua argumenta contra veritatem poſita, non valeam refellere, video tamen his eſſe inhærendum, quæ in ſcripturis ſunt apertiſſima, vt ex his reuelentur obſcura. Nam in ſcripturis lucidiſſime apparet pręter Chriſti ſocietatem non poſſe quemquam ad vitam ęternam peruęnire, nec diuino iudicio iniuſte aliquem ab illa vita, & ſalute ſeparari. Vnde fit conſequens, vt quoniam nihil agitur aliud quando paruuli baptizātur, niſi vt incorporentur eccleſię, ideſt Chriſti corpori, membriſque ſocientur, manifeſtum ſit eos ad damnationē, niſi eis conſultum fuerit, pertinere. Non autem damnari poſſent, ſi peccatum vtique non haberent: peccatum actuale non poſſunt habere, cum nondum habeant vſum rationis, reſtat, vt originale habeant, quod negat ſchola Pelagij.

QVAEST. CXCII.

AN paruuli poſſint baptizari ante octauum diem, cum circunciſio in illo veteri populo, quę loco baptiſmi dabatur, ante octauum diem non daretur.

Epi. ead.

Io. 10.

RESPON. Sancto Concilio viſum eſt nulli hominum nato, miſericordiam Dei, & gratiam eſſe denegandam: quia Dominus dicit. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Et ideo quantum in nobis eſt ſi fieri potuerit nulla anima perdenda eſt; ideo & ante octauum diem ſi neceſſitas fuerit, baptizandus eſt puer, etiam ſtatim vt natus eſt, & non eſt ſtandum cerimonię circūciſionis, cum circunciſio eſſet vmbra futuri, & non vt intelligeremus ēt baptiſmū octauo die, ex quo natus eſt homo, dari oportere, data eſt: ſed nos in Chriſti reſurrectione ſpiritualiter circūcidi, q̄ tertio quidē poſt diē paſſionis, in diebus hebdomadarū, quibus tępora prouoluuntur, octauo hoc eſt poſt ſabbatū primo die a mortuis

tuis resurrexit, sed dices vt etiam in q. superiori. 189. dictum est. Qui nascuntur ex patre, & matre baptizatis, non indigent baptismo, vt mundentur a peccato originali, quod iam in parentibus est deletum, ideo non possunt transmittere quod non habent in suos filios. Ad hęc dicitur quòd exemplis, est respondendum vt respõsio capiatur, te qui interrogas me, quomodo peccatum quod mundatur per baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati, & ego interrogo, quomodo præputium quod per circũcisionem aufertur maneat in eis quos genuerint circuncisi? quomodo etiam palea quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu, qui de purgato tritico nascitur? interrogo etiam quare non nascantur christiani de christianis, & tamen nullus dicit christianum nasci de christiano, sed fieri debere? Fatendum igitur, est quòd sicut de christianis, non christianus, & de consecratis non consecratus nascitur, ita & de mundatis parentibus nõ mundatus nascitur. Quia sicuti generatio non facit christianum, se regeneratio, ita a peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur, sed iterum dices, concedo quidem respectu carnis quæ est ex traduce, in qua carne, est mortalis seminis vitium, indigere paruulos mundatione, sed anima cum non sit ex traduce (vt admittimus, quia nõdum decisum est an sit ex traduce vel non) sed a Deo immediate creata, & tamen ipsa sola pœnam meretur, vnde est, vt hodie creata, tam antiquum peccatum portet alienum? Hæc sunt Pelagij verba. Ideo sic respondeo, si anima non est ex traduce. Ergo quę ista iustitia est vt recens creata, & ab omni delicto prorsus immunis, & libera passiones carnis, diuersósque cruciatus, & quod est horribilius etiam demonum incursus, in paruulis sustinere cogantur? Neque enim aliquid horum caro sic patitur, vt non ibi anima potius, quæ viuit, ac sentit luat pœnas, hoc enim si iustum ostenditur, sic etiam ostendi potest, qua iustitia in carne quoque peccati, subeat originale peccatum, baptismatis sacramento, & gratiæ miseratione mundandum: Si autem illud ostendi non potest, neq; hoc posse arbitror. Aut ergo vtrũque occultũ feramus, & nos homines esse meminerimus, aut aliàs aliud de anima opus, si necesse videbitur, cautela sobria disputãdo moliamur, sed pro nunc stemus in sententia Apost. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, dicit in omnes ergo &c. *Rom. 5.*

TOMVS

TOMVS TERTIVS OPERVM DIVI AVGVSTINI.

QVÆST. CXCIII.

FRVI quod sit, & etiam vti.

Lib. 1. de doc. christian. cap. 4.

RESPON. Frui enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam, & vti est, quod in vsum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, (si tamen amandum est). Nam vsus illicitus potius abusio vel abusus est.

QVAEST. CXCIIII.

AN omnes nationes Deum quem colunt, credant esse quod melius est.

Lib. eod. cap. 7.

RESPON. Nam cum ille vnus cogitatur Deorum Deus, ab his etiam qui alios, & suspiciantur, & vocant & colunt Deos, siue in cœlo, siue in terra, ita cogitatur, vt aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illa cogitatio conetur attingere. Vnde verum est, quod hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.

QVÆST. CXCV.

AN homo frui vel vti debeat seipso, & alio homine.

Lib. eod. cap. 22. Hier. 17

RESPON. Præceptum nobis est, vt diligamus inuicem, vnde videtur mihi quòd homo sit diligendus propter aliud. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata: Sed cum scriptum sit: Maleditus qui spem ponit in homine, ideo fruendum non est homine, sed nec etiam sei pso, quia nemo seipsum propter seipsum debet diligere, sed propter illud quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo cum tota vita sua peragitur in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.

QVAEST.

QVÆST. CXCVI.

QVot sunt ea quæ vere sunt diligenda,& sine scrupulo possunt diligi si eo modo diliguntur quo eis conuenit.

RESPON. Quatuor sunt enim quæ diligenda sunt. Vnum quod supra nos est, idest Deus, alter quod nos summus, tertium quod iuxta nos est, idest proximus, quartum quod infra nos est, idest corpus nostrum. De secundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quamtumlibet enim homo excidat a veritate, manet illi dilectio sui,& corporis sui, sed aduertendum est, quomodo debeat fieri hæc dilectio. Deus est diligendus toto corde, & tota anima,& mente,& omnis peccator inquantum peccator non est diligendus,& omnis homo inquantum homo est diligendus propter Deum. Deus vero propter seipsum, & si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet eum diligere, quàm seipsum, item amplius alius homo diligendus est, quàm corpus nostrũ, quia pp Deum oĩa ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, ꝗ nõ potest corpus, quia corpus per aĩam viuit, qua fruimur Deo: Omnes hoĩes ęque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consule, qui constrictius pro rerum opportunitatibus tibi quasi quadam sorte iungũtur, vnde si dare velles elemosynam alicui, sed ecce occurrunt duo æque indigentes, & æquè a te parentela vel alia propinquitate separati, nihil iustius faceres, quam vt sorte eligeres cui dandum esset, quod vtrique non posses, sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit. *Eod. lib. cap. 23. & c. 27.*

QVÆST. CXCVII.

AN teneamur diligere Angelos ratione huius præcepti diliges proximum tuum sicut teipsum,& omnes homines.

RESPON. Cum ille sit proximus (vt innuit dominus quando respondit petenti & quis est meus proximus) cui vel exhibẽdũ est officiũ misericordiæ si indiget, vel exhibendũ esset si indigeret, vel a quo nobis præbẽdum est offitium misericordiæ, manifestum est hoc præcepto omnem hominem proximum esse deputandum, *Eod. lib. cap. 29.*

quia

quia erga neminem operandum est malum, patet etiam hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam Sanctos Angelos contineri, a quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quanta in multis diuinarum scripturarum locis animaduertere facile est.

QVAEST. CXCVIII.

De doc. Christiana. lib. 1. c. 32.

AN Deus diligat nos, & si diligit, an fruatur vel vtatur nobis? RESPON. Diligit enim nos Deus, & multum nobis eius dilectionem commendat scriptura, in tali tamen dilectione non fruitur nobis, quia nostro non eget bono, vtitur tamen nobis, non sic vt nos. Nam nos res quibus vtimur ad id referimus vt Dei bonitate perfruamur, Deus verò ad suam bonitatẽ, & vtilitatem nostram vsum nostrum refert.

QVÆST. CXCIX.

Lib. eod. cap. 38.

QVæ differentia est inter temporalia, & æterna. RESPON. Inter temporalia, quippe atque æterna hoc interest, quòd temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum aduenerit. Non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas. Aeternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Nulli enim desideranti conceditur, plus de illo existimare quàm in se habet, vt ei vilescat cum minus inuenerit, sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perueniens inuenturus est.

QVAEST. CC.

De doct. Christiana lib. 2. cap. 8. Dist. 19. cap. in canonicis.

LIbri canonici quibus fides debetur, qui sunt? RESPON. In canonicis autem scripturis ecclesiarum catholicarum, quàm plurium authoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur indagator veritatis, suum modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur ecclesijs catholicis, præponat eis quas quædã non accipiunt. Et eis q̃ non accipiuntur ab omnib. præponat eas quas plures grauioresq; accipiunt,

cipiunt, eis quas pauciores minorisq; authoritatis ecclesiæ tenent. Si autem aliquas inuenerit a pluribus, aliquas alias a grauioribus haberi, quamquam hoc inueniri non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Totus enim canon scripturarum hic, est. Quinque libri Moysi, Iesus Naue vnus, liber iudicum vnus, liber Ruth unus qui magis ad regnorũ principia videtur pertinere. Deinde quatuor regum & duo Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi a latere adiunctis simulque pergentibus. Hæc est, historia, quæ sibimet annexa tempora continet ordinemque rerũ: sunt aliæ tamquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudit, & Macabeorum libri duo, & Hesdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salamonis tres, Prouerbiorum, & Cantici Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, videlicet Sapientia, & Ecclesiasticus de quadam similitudine Salamonis esse dicuntur, & si non scripserit eos. Qui tamen quoniam in authoritate, recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Qui vero propriè Prophetæ appellati sunt. 12. sunt, videlicet Oseæ, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum. Esayas, Hyeremias, Daniel, & Ezechiel, hi sunt libri authoritatis veteris scripturę. Libri vero noui testamenti quatuor Euangelia; quatuordecim epistolæ Pauli, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudę, & vna Iacobi, Acta Apostolorum, & Apocalipsis, in his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti quęrunt voluntatem Dei.

QVÆST. CCI.

AN sacra scriptura vtatur tropis, idest modis omnibus loquutionis, & quibus regulis vtendum sit, vt sacra scriptura intelligatur propter tales tropos.

RESPON. Sciant autem litterati modis omnibus locutionis quos grãmatici gręco nomine tropos vocant, Authores sacræ scripturæ vsos fuisse, & horum cognitio aliquantum adiuuat ad intelligentiam sacræ scriptutæ, istorum troporum non solum ex communi *De doct. Christiana. cap. 3 lib. 9.*

muni

exempla omnium, ſed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur, ſicut Allegoria, Aenigma, Parabola; his etiam tropis vtuntur multi in communi loquela, nam vſque ad illos peruenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores ſunt, quia contra quę dicuntur ſignificant, ſicuti eſt quæ appellatur Ironia, vel Antiphraſis, ſed Ironia pronuntiatione indicat quid velit intelligi, vti cum dicimus homini mala facienti, res bonas facis. Antiphraſis verò vt contraria ſignificet, non ex pronuntiatione efficitur, ſed aut verba habet ſua, quorum origo contraria eſt, ſicut appellatur lucus, quod minime lucet, aut conſueuit aliquid ita dici, quamuis dicatur etiam non econtrario, veluti cum quærimus accipere quod ibi non eſt, & reſpondetur nobis, abundat. Aut adiunctis verbis facimus vt a contrario intelligatur quod loquimur, veluti ſi dicamus, caue illum, quia bonus homo eſt. Et ideo cum ſtudemus ſacræ ſcripturæ animaduertendum eſt, ne his tropis aliquid dicatur vt bene intelligatur. Fuit enim quidā Donatiſta qui contra donatiſtas ſcripſit, nomine Ticonius, hic dedit ſeptem regulas, quibus multa obſcura, & occulta in ſcriptura ſtudenti patefiunt obſeruanti tamen has regulas. Prima regula ſic vocatur. De domino, & eius corpore, in qua ſcientes aliquādo capitis & corporis ideſt Chriſti, & eccleſiæ vnam perſonam nobis intimari, neque enim fruſtra dictum eſt fidelibus ab Apoſt. Ergo ſemem Abraæ eſtis, cum ſit vnum ſemem Abraæ quod eſt, Chriſtus, non hæſitemus quando a capite ad corpus, & a corpore ad caput tranſitur, & tamen non receditur ab vna eademque perſona. Vna enim perſona loquitur dicens, ſicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento, & tamen quid horum duorum capiti, ideſt Chriſto quid corpori, ideſt eccleſiæ conuenit intelligendū eſt. Secunda regula ſic debet vocari de domini corpore vero atque permixto, aut vero atque ſimulato, & hoc propter hypocritas, qui licet ſint permixti in eccleſia, & ſint corpus ſimulatum, non tamen in æternum habent eſſe cum Chriſto, nec nunc cum illo eſſe dicendi ſunt. Hæc regula poteſt vocari de permixta eccleſia, & lectorem certe requirit vigilantem, quādo ſcriptura cum ad alios iam loquatur, tamquam ad eoſipſos ad quos loquebatur, videtur loqui, vel de ipſis cum de alijs iam loquatur, tamquam vnū ſit vtrorumque corpus, propter temporalem cōmixtionem, & cōmunionem ſacramentorum. Ad hoc pertinet quod dicitur in cā-

ticis

1. Regula.

Gal. 3.

2. Regula.

Can. 1.

ticis cãticorum: Fusca sum,& speciosa, vt tabernacula cedar, specio sa vt pelles Salomonis. Non enim ait fusca fui vt tabernacula cedar, nec speciosa fui vt pelles Salamonis, sed sum, & vtrumque se esse dixit propter temporalem vnitatem in vna ecclesia vbi sunt ma li,& boni. Tabernacula enim cœdar ad hysmaelẽ pertinent, qui non hæres erit cum filio liberę: itaque cum Deus dicat de bona par te per Esayam Prophetam. Ducam cœcos in viam quam nesciũt, & semitas quas non nouerunt calcabunt, & faciam illis tenebras in lucem,&c. Mox de alia parte malorum quæ per mixta est, dicit ipsi autem conuersi sunt retrorsum, quamuis alij iam significẽtur his verbis, sed quoniam nunc in vno sunt, tamquam de ipsis loqui tur, de quibus loquebatur, nõ tamen semper in vno erunt: Ipse est, quippe ille seruus commemoratus in euangelio cuius dominus cum venerit diuidet eum,& partem eius cum hypocritis ponet. *Esa. 42.* *Mar. 24*

Tertia Regula vocatur de spiritu, & litera, potest etiam dici de gra tia & mandato. Hęc autem magis mihi videtur magna quæstio, quàm regula, quæ soluendis quæstionibus adhibenda, est ideo ad quartam regulam veniamus. *3. Regula.*

Quarta regula vocatur de specie & genere, per speciem intelligitur pars, per genus, totum, cuius pars est, id quod vocatur species, sicut vnaqueque ciuitas pars est, vtique vniuersitatis gentium, hanc ille Ticonius vocat speciem genus autem omnes gentes, eadem vero ratio est, si non de vnaqueque ciuitate, sed de vnaquaque prouincia, vel gente, vel regno tale aliquid in diuinis reperiatur eloquijs. Non solum enim verbigra tia de hierosolima, vel de aliqua gentium ciuitate dicitur aliquid in scripturis sanctis quod modum eius excedat, & conueniat potius omnibus gentibus, verum etiam de iudea de egipto,& quacunque alia gente, in qua sunt plurimę ciuitates, non tamen totus orbis, sed pars eius est, dicitur quod transeat eius modum, & congruit potius vniuerso cuius hæc pars, est. Fit hoc etiam de hominibus sicut ea quæ de Salamone dicuntur, excedunt eius modum, & potius ad Christum vel ecclesiam, cuius ille pars est relata clarescunt. Hæc species semper exceditur, sępe enim talia dicũtur, quæ vel ei quoque, vel ei fortasse tantummodo apertissime congruant, sed cum a specie, transitur ad genus quasi adhuc de specie loquente scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quæratur in spe cie quod inuenire melius & certius in genere potest, sicuti est illud quod ait Ezechiel Propheta. Domus Israel habitauit in ter- *4. Regula.* *Psal. 71.* *Ezec. 36*

ra, & polluerunt illam in via sua, in idolis suis, & in peccatis suis, & effudi iram meam super eos, & dispersi illos inter nationes &c. Facile est inquam hoc intelligere de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus videte Israel secundum carnem, quia hæc omnia carnalis populus Israel fecit & passus est, & q̃dã alia quę sequuntur eidẽ populo intelliguntur conuenire, sed cum cœperit dicere, & sanctificabo nomem meum sanctum quod polluistis inter nationes, & scient gentes, quia ego sum dominus, iam intentus debet esse qui legit, quemadmodum species excedatur, & adiũgatur genus, quia hoc prophetatum est de nouo testamento, in quo non vna gens, tantum est, sed omnes gentes, quę patribus promissę sunt. & sic clare patet quòd scriptura saltat de parte in totum aliquando. Quinta regula a Ticonio vocatur de temporibus, qua regula plerumque inueniri vel coniici possit latens in scripturis sanctis quantitas temporum. Duob. aũt modis vigere dicit hanc regulã, aut tropo synecdoche, aut legitimis numeris. Tropus synecdoche, aut a parte totũ, aut a toto parte facit intelligi, sicut Luc. dicit post dies octo, & Mat. dicit post sex, ex hoc tropo, cõuincitur ambos verũ dixisse, accipiẽdo partẽ nouissimã diei, ex quo id p̃dixit Christus futurũ, & partẽ primã diei, quo ostendit id impletũ, idest illius diei qñ se transfigurauit, sic etiam soluitur quęstio de tribus diebus, & noctibus ante Christi resurrectionem, accipiendo partem pro toto. Legitimos autem numeros dicit, quos eminentius diuina scriptura commendat, sicut septenarium, vel denarium, vel duodenarium, & quicumque alij sint, quos legendo studiosi libenter agnoscunt, plerumque enim huiusmodi numeri pro vniuerso tempore ponuntur, sicut septies in die laudem dixi tibi nihil est aliud, quam semper laus eius in ore meo. Animaduertenda ergo est significatio numerorum. Sexta regula a Ticonio vocatur recapitulatio, & est inuenta propter obscuritatem scripturarum: Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quę prætermissa fuerant, latenter narratio reuocetur. Quod nisi ex hac regula intelligatur erratur sicut vbi dicitur, & plantauit dominus Deus Paradisum in Edem ad Orientem, & posuit ibi hominem quem formauit, & produxit adhuc de terra omne lignum speciosum & bonum in escam ita videtur dictum, tamquam id factum sit posteaquam factum posuit Deus hominem in Paradisum cum breuiter vtroque commemora

1. Corin. 10. — *5. Regula.* — *Luc. 9.* — *Mat. 17.* — *6. Regula.* — *Gen. 2.*

to, ideſt quòd plantauit Deus Paradiſum, & poſuit ibi hominem quem formauit, recapitulando redeat, & dicat quòd prętermiſerat, quomodo videlicet Paradiſus fuerit plantatus, de pulchris, & ſuauibus fructibus, & de ligno vitæ &c. Septima regula iſtius Ticonij dicitur de dyabolo & eius corpore. Eſt & ipſe caput impiorum. Sicut in prima regula, quam vocat de domino, & eius corpore, vigilandum eſt, vt intelligatur, cum de vna eademque perſona ſcriptura loquitur; Quid capiti conueniat, quid corpori. Sic etiā in iſta nouiſſima, aliquando in dyabolum dicitur, quod non in ipſo, ſed potius in eius corpore poſſit agnoſci, ſcriptum eſt enim. Quomodo cecidit Lucifer, &c. Vtique de Dyabolo intelliguntur, cum vero dicit in ſequentibus, contritus eſt in terra, qui mittit ad omnes gentes, non totum ipſi capiti congruit, quia ſi dyabolus contritus eſt, in terra, vtique in corpore ſuo, quod eſt in terra, quod contritum eſt, vt Paulus quem proijcit ventus a facie terrę. Hæ autem omnes regulę excepta tertia, aliud ex alio faciunt intelligi, quod eſt, proprium tropicę locutionis quę latius patet, quàm vt poſſit, vt mihi videtur, ab aliquo vniuerſa comprehendi. Nam vbicumque velut aliud dicitur, vt aliud intelligatur, & ſi nomē ipſius tropi in loquendi arte non inuenitur, tropica locutio eſt. Quæ cum fit vbi fieri ſolet, ſine labore ſequitur intellectus, cum vero vbi non ſolet laboratur vt intelligatur, ab alijs magis, ab alijs minus, ſicut magis minusvè dona Dei ſunt in ingenijs hominum, vel adiutoria tribuuntur.

7. Regula. *Eſa. 14.*

QVÆST. CCII.

QVid debet facere prædicator verbi Dei, dum actualiter prædicat, circa doctrinam, & modum docendi.

RESPON. Debet diuinarū ſcripturarum tractator, & doctor, & defēſor rectæ fidei, & bona docere, & mala de docere, atq; in hoc opere ſermonis cōciliare auerſos, remiſſos erigere, neſciētib. quid agatur, quid expectare debeant intimare? Vbi autem beneuolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipſe fecerit, cœtera peragenda ſunt, ſicut cauſa poſtulat. Si docendi ſunt qui audiunt, narratione faciendum eſt, ſi tamen indigeat, vt res de qua agitur, innoteſcat, vt autem quæ dubia ſunt certa fiant; documentis adhibitis ratiocinandum eſt: ſi vero qui audiūt monendi ſunt potius quam

De doct. Christiana li. 2. cap. 4.

docendi, vt in eo quod iam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum quas veras eſſe fatentur accomodent, maioribus dicendi viribus, opus eſt, ibi obſecrationes, & increpationes, concitationes, & cœrcitiones, & quæcumque alia valent ad commouendos, animos ſunt neceſſaria, ſed aduertendum eſt, quòd debet prædicator potius dicere ſapienter quàm eloquenter, ſi vtrum que non poteſt, ad vtilitatem audientium attendendum eſt, ſunt qui eloquentia inſipienti abundant, ij tanto magis cauendi ſunt, quanto magis delectatur auditor in his quæ non proſunt, ſapienter autem dicit homo tanto magis, vel minus quanto inſcripturis ſanctis magis minuſue profecit. Non dico in legendo eas vel memoriæ mandando, ſed intelligendo bene, & diligenter. Oporteret; enim vt quidquid docet prædicator, ſciret, & probare per ſcripturas, quia probando delectat, qui minus poteſt delectare dicendo. Et etiam ſi poteſt ſapienter, & eloquenter dicere, plus proderit, ſi autem non poteſt, ſaltem ſapienter dicat. Nam ſi bene intelligat authores diuinarum ſcripturarum, non poterit dicere niſi eloquenter, cum ſint pleni eloquētia, non illa iuuenili, ſed ſenili, quæ tales authores decet. Nam non eſſet eloquentia niſi perſonæ congruetet eloquenti, ſunt enim duæ eloquentiæ vna quę magis ætatem iuuenilem decet, & eſt ventoſa, Altera quæ viros, ſumma authoritate digniſſimos planeque diuinos decet, & eſt humilis, ſed quanto humilior tanto altius non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit. Et tali eloquentia loquuti ſunt ſancti, ſcriptores.

Is.n.erit eloquens, qui vt doceat poterit parua ſubmiſſæ vt delectet modica temparate, vt flectat magna granditer dicere. Hæc autem tria, ſicut a Cicerone in illo de oratore dicta ſunt, in cauſis forenſibus poſſet oſtendere, in quibus parua ſunt vbi de rebus peccuniarijs iudicandum eſt. Magna vero ſunt, vbi de capite hominum iudicandum eſt. Modica vero, vbi nihil horum iudicandum eſt, nihilque agitur vt agat ſiue decernat, ſed tantummodo vt delectetur auditor. Inter vtrumque quaſi media, & ob hoc modica, hoc eſt moderata dixerunt; Modicis, enim modus nomem impoſuit. Nam modica pro paruis abuſiue, non proprie dicimus. In eccleſiaſticis vero quæſtionibus, non inueniuntur hæc tria, ideſt parua, modica, & magna, quia omnia, ſunt magna, cum ibi, agatur de ſalute æterna.

De

na. De Deo & charitate, quæ omnia ſunt magna. Et tamen iuxta modum dicendi magnas res, ideſt granditer, nō omnia ſunt dicenda, ſed doctor ſacrarum rerum, cum aliquid docet, debet ſubmiſsè dicere, cum aliquid vituperat ſiue laudat, temperatè, cum verò aliquid agendum eſt, & ad eos loquitur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea, quæ magna ſunt, granditer dicere debet, & ad flectendos animos congruenter, & aliquando de vna eademq; re magna, & ſubmiſſe dicitur, ſi docetur, & temperate ſi prædicatur, & granditer, ſi auerſus animus, vt conuertatur impellitur.

QVÆST. CCIII.

AN hæreticus, & ſchiſmaticus pertineat ad eccleſiam catholicā, & ſi non, quare hoc?

RESPON. Hæreticus cum ſit ille, qui de Deo falſa ſentit, & ideo ipſam fidem violat. Schiſmaticus verò, qui diſciſſionib. iniquis a fraterna charitate diſcordat, quamuis non diſcordet in his, quæ ſunt fidei catholicæ. Quapropter, nec hæreticus pertinet ad eccleſiam catholicam, quia non diligit Deum, nec ſchiſmaticus quoniam non diligit proximum. *De fid. & ſimb. lo. c. 1.*

QVÆST. CCIIII.

AN homo a ſeipſo poſſit eſſe ſapiens.

RESP. Sicut autem nemo a ſeipſo eſſe poteſt, ita etiam nemo a ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, ſed ab illo illuſtrante de quo ſcriptū eſt: omnis ſapientia a Deo eſt. Hominis autem ſapientia pietas eſt, ſic enim habetur in Iob, quòd ipſa ſapientia dixerit homini, ecce pietas eſt ſapientia, quam Græci vocant Dei cultum, qui fide ſpe, & charitate fit. *Enchi. c. 1. Eccl. 1. Iob 28*

QVÆST. CCV.

QVæ ſunt illa, quæ defendenda ſunt ratione, & quæ tantum credenda.

RESPON. Hęc ſunt defendēda ratione, q̄ vel a ſenſibus corporis inchoata, vel ab intelligentia mentis inuenta: Quæ autem nec corporeo ſenſu experti ſumus, nec mente aſſequi valuimus, aut valemus, eis ſine vlla dubitatione credenda ſunt teſtibus, a quibus *Enchir. ad Lau. cap. 4.*

ea, quę diuina vocari iam meruit scriptura confecta est, qui ea siue per corpus, siue per animum diuinitus adiuti, vel videre, vel etiam prævidere potuerunt.

QVAEST. CCVI.

AN quidquid creditur speretur, & quomodo fides a spe distinguatur.

Eod. lib. cap. 8. RESPON. Quod non creditur sperari non potest. Creditur tamen quod non speratur: Fideles enim credunt pœnas impiorum, nec sperant tamen, est itaque fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona & non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium & futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præterijt, Credimus sedere ad dexteram patris, quod nunc est; Credimus venturum adiudicandum, quod futurum est. Item fides & suarum rerum & alienarum est. Nam & se credit aliquando cœpisse esse, nec fuisse vtique sempiternum; & alia atque alia, nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verũ etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur, quæ cum ita sint propter has causas, distinguenda erit fides a spe sicut vocabulo, ita & rationabili differentia, nam quod attinet ad nõ videre, siue quæ creduntur, siue quę sperantur, fidei speique commune est. Fides enim est earum, quæ non videntur rerum, & spes quæ videtur non est spes. Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quàm sperantur, spes vero sine amore esse non potest, & fides quæ per dilectionem operatur sine spe esse non potest, perinde nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neq; vtrunq; sine fide, ergo fides sine amore nihil prodest.

QVAEST. CCVII.

QVid sit proprium erroris, idest quid sit verè, & propriè errare.

Enchi. ca. 17. RESPON. Quamuis enim error quanta possumus cura cauendus sit, non solum in maioribus verum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens, vt continuo erret quisquis aliquid nescit: sed quisquis se

existimat scire, quod nescit, pro vero quippe falsum, quod est erroris proprium. Vnde dico, quòd nihil aliud est errare, quàm verũ putare, quod falsum est, & falsum quod verum est, vel certum pro incerto.

QVAEST. CCVIII.

AN liceat homini iusto aliquando mentiri.

RESPON. Nonnulli enim eo vsque progrediuntur, vt & peierare, & de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumq; opus esse contendant. Mihi autem videtur peccatum esse quidem omne mendacium: sed multum interesse quo animo, & quibus de rebus quisque mentiatur. Plus enim peccat, qui non consulendi, sed voluntate nocendi mentitur: Nec tantum nocet, qui viatorẽ in mentiendo in iter diuersum mittit: quantum is, qui viam vitæ mendacio fallente deprauat. Nemo sanè mentiens iudicãdus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur: Non itaque mendacij, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita, pro veris habet. Potiusque econtrario quantum in ipso est, mentitur ille, qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet: quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse, quod dicit, nec vllo modo liber est a mẽdacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autẽ voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est, qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciẽs gerit, nesciens verum esse, quod dicit. Et ideo dicimus, quòd tollerabilius est, mentiri in his, quæ a religione seiuncta sunt, quàm in his, sine quorum notitia, vel fide Deus coli non potest. Porro autem omne mendaciũ ideo dicendum est peccatum, quia homo non solum quando scit ipse quid verum sit, sed etiam si quando errat, & fallitur, sicut homo: hoc debet loqui quod animo gerit, siue illud verum sit, siue putetur, & non sit, omnis autem qui mentitur, ea contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. & vtique verba propterea sunt instituta non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quę in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod in-

Ench. ca. 18. & 19.

stituta sunt, peccatum est. Nec ideo vllum mendacium putandũ est, non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui palam datur sentit commodum, & diues cui clam tollitur non sentit incommodũ: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua nisi adhoc ei consentiatur appareat amando moritura, & si vixerit pœnitendo purganda, nec ideo peccatum tale negabitur adulterium. Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est; sed veniale, quod beneuolentia excusat, & ideo fallacia damnat. Plurimum quippe ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum, sed in eorum tali profectu, meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur beneuolentia, non fallacia: quæ vt agnoscatur satis est, non vt etiam prædicetur, maximè in hæredibus testamenti noui, quibus dicitur: Sit in ore vestro est est, non non, quod enim amplius est, a malo est.

Matth. 5

QVAEST. CCIX.

AN voluntas hominis præparetur à Deo, vt velit, & adiuuetur, vt exequatur, quod velit.

Enchir. cap. 32. Phil. 2. Rom. 9.

RESPON. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere, & operari pro bona voluntate, & alio loco: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; cum proculdubio si homo eius ætatis est, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit; nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Et cum nemo Christianus audeat dicere, non miserentis est Dei, sed volentis hominis, restat, vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui voluntatem hominis bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam, præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrunque legitur in sanctis eloquiis. Et misericordia eius præueniet me:

Psal. 58 Psal. 22

Et misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit, vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris vtique nolentibus pie viuere, nisi vt Deus in

illis

lis operetur, vt velint? Item cur admonemur petere, vt accipiamus, nisi vt ab illo fiat, quod volumus a quo factum est, vt velimus? oramus ergo pro inimicis nostris, vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit & nos, oramus autem pro nobis, vt misericordia eius subsequatur nos.

QVAEST. CCX.

QVomodo Christus dicatur natus de Spirito Sancto cum non genuerit eum Spiritus Sanctus. Et etiam quare solus Spiritus Sanctus nominatur in factione humanitatis Christi, cum opera Trinitatis sint inseparabilia.

RESPON. Cum vna sola persona Trinitatis nominatur in aliquo opere, vniuersa operari Trinitas intelligitur, vnde si in creatione vel factione hominis Iesu Christi tantum Spiritus Sanctus nominatur, nihilo minus tota Trinitas intelligitur: Sed maius dubiũ est, quomodo dicatur. Natus ex Spiritu Sancto, cum Spiritus S. non genuerit eum, nec filius sit Spiritus Sancti aliquo modo, & tamen dicitur natus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & tamen non sic de Spiritu Sancto, vt de Patre, sicut natus est ex Maria Virgine, vt de matre. Ad hęc ergo dicendum est, quòd non est concedendum, quidquid de aliqua re nascitur; continuo eiusdem rei filium nuncupandum, nam aliter ab homine nascitur homo filius, aliter capillus, & pediculus, quorum nihil est filius, sed veniamus ad honestiora exempla. Certè qui nascuntur ex aqua & Spiritu Sancto non aquę filios eos ritè dixerit quispiã, sed planè dicuntur filij Dei patris, & matris ecclesiæ. sic ergo de Spiritu Sancto natus est filius Dei patris, non Spiritus S. Vnde sicut non omne, quod dicitur filius, est natum ab eo de quo dicitur filius: sicut sunt filij adoptiui, & filij Gehennę, ita etiã non omne, quod nascitur ab aliquo dr̃ eius filius a quo natus est. Et ideo Christus natus est de Spiritu Sancto non sicut filius, ex Maria verò natus est, sicut filius. *Ench. ca. 38. et 39*

QVAEST. CCXI.

AN peccatum Adę possit diuidi in plura peccata, vt sit vnum in re & plura in potentia, imò & in actu. *Ench. ca. 45.*

RESPON. Peccatum Adæ de quo dicit D. Paulus: Peccatum *Rom. 5.*

per

per vnum hominem in hunc mundum intrauit, potest vtique intelligi plura esse peccata si diuidatur in singula membra, nam superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit, & homicidiũ, quia semetipsum præcipitauit in mortẽ. Et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum quia cibum prohibitum vsurpans est. & Auaritia quia plusquam illi sufficere debuit appetiuit. Et si quid aliud in hoc vero admisso diligenti consideratione inueniri potest.

QVAEST. CCXII.

Ench. ca. 46.

AN peccator post baptismum, pœnitendo possit sanari.

RESPON. Per baptismum soluitur in homine quidquid peccati est cum quo nascitur: Peccata verò quæ postea male agendo committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus.

QVAEST. CCXIII.

Ench. ca. 49.

AN baptismus Ioannis regeneraret eum suscipientes.

RESPON. Non enim renascebantur, qui baptismate Ioãnis baptizabantur a quo & ipse Christus baptizatus est, sed quodam precursorio illius ministerio, qui dicebat, parate viam Domino. huic vni in quo solo renasci poterant parabantur. Huius enim baptismus est, non in aqua tantum, sicut fuit Ioannis, verum etiã in Spiritu Sancto, vt de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit. De quo Christus regeneratus, regeneratione non eguit.

QVAEST. CCXIIII.

QVare Christus est baptizatus: cum maculas abluendas nõ haberet & quare mortuus est, cum non haberet, quod mors puniret.

Ench. ca. 49.

RESPON. In aqua voluit baptizari a Ioãne, nõ vt eius iniquitas vlla dilueretur: sed vt magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus, quod ablueret, sicut mors nihil qđ puniret inuenit: vt diabolus veritate iustitiæ, non violentia potesta-

tis

tis oppressus, & victus, quoniã ipsum sine vllo peccati merito iniquissime occiderat per ipsum iustissime amitteret quos peccati merito detinebat. Vtrunq; igitur ab illo, idest & baptismus & mors, certè dispensationis causa, non miseranda necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est: vt vnus peccatum tolleret mundi, sicut vnus peccatum misit in mundum, hoc est in vniuersum genus humanum. Vnde sciendum est, quòd sacri baptismatis in cruce Christi grande misterium commendatum est eo modo, vt intelligamus, nihil aliud esse in Christo, baptismum, nisi mortis Christi similitudinem, nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: vt quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.

QVAEST. CCXV.

CVm Christus sit venturus ad iudicandum viuos & mortuos, quomodo intelliguntur illi viui & mortui.

RESPON. Duobus autem modis accipi potest, quòd viuos, & mortuos iudicabit, siue vt viuos intelligamus, quos hic nondũ mortuos, sed adhuc in ista carne viuentes inuenturus est eius aduẽtus, Mortuos autem, qui de corpore priusquam veniat exiere, vel exituri sunt, siue viuos iustos mortuos autem iniustos, quoniam iusti quoque iudicabuntur. *Ench. ca. 55.*

QVAEST. CCXVI.

AN Christus sit mortuus pro Angelis.

RESPON. Non enim pro Angelis mortuus est Christus, sed ideo etiam pro Angelis fit quidquid hominum per eius mortẽ redimitur, & liberatur a malo, quoniam cum eis quodãmodo redit in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Propter, quod ait Apostolus instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris. In *Ench. ca. 61.* *Ephes. 1.*

ipso

ipso quippe instaurantur, quę in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur, instaurātur autem quę in terris sunt, cum ipsi homiaes, qui prædestinati sunt ad ęternam vitam à corruptionis vetustate renouantur.

QVAEST. CCXVII.

AN omne peccatum sit crimem, & etiam econuerso, & si potest homo esse sine peccato.

RESPON. Neque enim quia peccatum est, omne crimem,
Ench.ca. ideo crimem est etiam omne peccatum, & ideo sancti homines
65. dum sunt in hac vita possunt quidem esse sine crimine, non autem sine peccato, quia inquit Io. si dixerimus, quia peccatum non ha-
1.Io.1. bemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est.

QVAEST. CCXVIII.

QVare pœnitentibus in ecclesia datur pœnitentia ad tempus, ab his qui presunt ecclesię cum aliquando tantus sit dolor peccati, vt contritio sufficiat pro pœna?

Eod. lib. RESPON. In actione pœnitentię per criminibus commissis
cap. 65. nō tam consideranda est mensura temporis quā doloris, cum scriptum sit cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per vrba vel quęcumque alia signa procedit, tamen coram Deo, est notus, cui dicitur, Gemitus meus a
Psal.37. non est absconditus, recte constituuntur ab his qui eccclesię pr sunt tempora pœnitentię, vt fiat etiam satis ecclesię, in qua r mittuntur ipsa peccata. Extra eam quippe non remittuntur, ip namque proprię Sipitum. S. pignus accepit sine quo non remittu tur vlla peccata, ita vt quibus dimittuntur consequantur vita æternam.

QVAEST. CCXIX.

AN quęlibet fides christiana saluet eam habentem.

Eod. lib. RESPON. Sunt quidam, qui putant saluari. Licet no
cap. 65. sint pręcisi ab ecclesia vel hęresi, vel schismate, tamē male viuunt, ...

bonis

bonis operibus vel elemosynis non redimunt sua peccata. Dico quòd falluntur, quia tantum saluabuntur, ex fide quę per dilectionem bene operatur, vt dicit Paulus, in Christo enim Iesu neque pręputium aliquid valet, sed fides quę bene per dilectionem operatur si autem male, & non bene operatur, proculdubio secundum Iacobum apostolum mortua est in semetipsa.

Gal. 5.

Iaco. 2.

QVÆST. CCXX.

AN detur purgatorium post hanc vitam secundum doctrinam Augustini.

RESPON. Post hanc vitam esse illum ignem de quo Apostolus ait vniuscuiuque opus quale sit ignis probabit, & probationē talem fieri per illum ignem incredibile non est, & vtrum ita sit quęri potest. Et aut inueniri aut latere nonnullos fideles per ignē quēdam purgatorium, quanto magis minus ve bona pereuntia in hac vita dilexerunt, tanto tardius citiusque saluari, illos videlicet, qui pœnitētes ex hac vita decesserunt, & nō illos de quibus dictum est quod regnum Dei non possidebunt, tales enim per illum ignem non possunt saluari.

Eod. lib. capi. 69.

1. Cor. 3.

1. Cor. 6.

QVÆST. CCXXI.

INter elemosynas quę est maior? Nam multa sunt genera elemosinarum.

RESPON. Multa sunt genera elemosynarum, quę cum facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis peccata, sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnū est erga eū esse beneuolum, siue etiam beneficum qui tibi mali nihil fecerit, illud multo grandius, & magnificentissimę bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis faciasque cū possis, memor domini tui qui pro persequtorib. orauit, & etiā admonit dicens diligite inimicos vestros.

Eod. lib. c. 73.

Mat. 5.

QVAEST. CCXXII.

AN dimittantur peccata illis, qui dicunt dimitte nobis debita nostra &c. licet suis debitoribus actualiter non dimiserint

sed

ſed tantum ſunt parati dimittere, cum rogabuntur ab illis, vt eis dimittant?

Ench. ca. 79. RESPON. Diligite inimicos veros benefacite his qui oderũt vos, & orate pro perſequentibus vos, ſed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum, ad hunc affectum orando Deum, ſecumque agendo, luctandoque perducere, tamen quia hoc tam magnum bonum tante multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dominica dicitur. Dimitte nobis debita &c. proculdubio verba ſponſionibus huius implẽtur, ſi homo, qui nõ dum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam ſibi roganti, vult vtique dimitti, cum orat, & dicit, ſicut & nos dimittimus &c. ideſt ſic dimitte nobis debita noſtra, rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris nos rogantibus, iam vero qui eum in quem peccauit hominem rogat, non eſt adhuc deputandus inimicus, vt eum diligere ſit difficile ſicut difficile erat, quando inimicitias exercebat. Quiſquis autem roganti, & peccati ſui pœnitenti, non ex corde dimittit, nullo modo *Mat. 6.* exiſtimet a domino ſua peccata dimitti, quoniam veritas non poteſt mentiri quæ dicit. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis pater cœleſtis peccata veſtra, ſi autem nõ dimiſeritis hominibus, nec pater cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra.

QVAEST. CCXXIII.

QVot ſunt peccatorum cauſę?

Eod. lib. cap. 81. RESPON. Duabus ex cauſis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus aut non faciendo quod debere fieri iam videmus

QVAEST. CCXXIIII.

AN fœtus abortiui habeant reſurgere, & monſtra ſi reſurgent ſit monſtruoſa, & qui conſumpti ſunt a beſtijs, vel cõmeſti ab hominibus & ſic in aliorum ſubſtantiam conuerſi, & qui fuerunt macri, vel pingues omnes iſti quomodo reſurgent.

QVAEST.

RESPON. Fœtus abhortiui, qui iam formati sunt, & iam inceperunt viuere, si dixerimus eos resurrecturos tolerari vt cumque potest, quia ex quo incipit homo viuere, ex illo vtiq; iam mori potest, & id resurgit quod mortuum est, quádo autem homo incipiat in vtero viuere an inueniri possit ab homine ignoro. De fœtibus vero informibus quis est, etiam qui audeat negare resurrecturos, cum forsan in resurrectione instaurabitur, quod in vtero fuerat vitiatum, & integrabitur id quod defuit, ne turpetur natura. Monstra vero quæ nascuntur, & viuunt, resurgent quidem, sed non sic monstruosa, sed emendata correctaque natura. Absit enim vt vnũ hominem duplicem an non potius duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur resurrecturos existimemus, ita cœtera quæcũque hominum monstra, siue in multis partibus corporis, siue etiã in vna sint monstra, ad humanę naturæ figurã resurrectione reuocabuntur, si duo debebant esse corpora tunc erunt duo, si vnum, vnum, sed reformatum figurę humanæ, in resurrectione etiam redibit homo, in illã terrenam materiem, de qua creata est caro eius in illam dico quæ primitus vt homo fieret, cresceret viueret, animauit, licet sua caro sit conuersa in puluerem aut in elementa, aut in substãtiam aliorum animalium, eo quia ab eis comesta est, itaq; ipsa terrena materies, quæ discedente anima fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum species, formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt redire neccesse sit. Alioquin si capillis capitis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si vnguibus quod totiens dempsit exectio, immoderata & indecens, cogitantibus & ideo resurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas, sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerẽ, aut cõfunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materię quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quę particula materię, cui membro statuę redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret, ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili, & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad ad vngues, an quidquid eorum perierat, mutetur in carnẽ, & in partes alias corporis

Ench. ca. 85. 86. 87. 88. 89.

poris reuocetur, curante artificis prouidentia, nequid indecens fiat. Nec illud est consequens, vt ideo diuersa sit statura reuiuiscentium singulorum, quia fuerat diuersa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiscant, sed si hoc est in consilio creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas, & discernibilis similitudo seruetur, in cœteris autem corporis bonis, æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in vtroque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuit suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari, si autem in corporibus resurgentium rationabilis inequalitas erit, sicut est, vocum quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod & hominem reddat equalem angelicis cœtibus, & nihil inconueniẽs eorum ingerat sensibus, indecorum quippe aliquid ibi nõ erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.

QVAEST. CCXXV.

AN a voluntate Dei tam sit malum veluti est bonum, & si sic an iuste hoc fiat.

Ench. c. 95. & c. 100. 101

RESPOND. Non enim fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum facere bene etiam sinendo fieri quęcumque fiunt male non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profecto bonum est oẽ quod iustũ est. Quãuis ergo ea q̃ mala sunt inquantũ mala sunt, non sint bona, tñ vt non solum bona sed ẽt sint, & mala, bonum est. Nã nisi esset hoc bonũ, vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotentem bono. Cui proculdubio quam facile est, quod vult facere tam facile, est quod non vult esse non sinere propterea namque magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius vt miro & ineffabili modo, non fiat pręter eius voluntatem peccatũ quod ẽt cõtra eius fit voluntatem, quia nõ fieret, si non sineret, nec vtiq; nolẽs sinit, sed volens. Nec sineret bonus Deus fieri mala nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Aliquando autem bona voluntate hunc vult aliquid Deus non vult etiam ipse bona multo amplius certiusque bona voluntate. Nam voluntas Dei mala esse nunquam potest, vt verbi gratia, si bonus filius velit patrem suum viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus

ſus fieri poteſt, vt hoc velit homo mala voluntate, quod Deus vult bona, velut ſi malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult, quod non vult Deus, iſtę vero id vult, quod vult Deus, ſed non ſicut Deus, ideſt non bona voluntate, velut Deus, vnde potius voluntati Dei conſonat pietas boni filij, qui vult patrem viuere, quod non vult Deus, quàm impietas mali filij qui vult patrem mori, quod vult Deus. Tantum intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem, ſuam quiſque referat voluntatem, vt aut approbetur aut improbetur? Nam Deus quaſdam voluntates ſuas vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas, ſicut per iudęos maleuolos, bona voluntate patris occiſus eſt Chriſtus pro nobis, ſicuti etiam occiſi ſunt martyres per tyrannos malos, bona Dei voluntate.

QVÆST. CCXXVI.

AN liberum arbitrium, ſit verę liberum, quando non poteſt niſi ad bonum vt erit in patria cœleſti.

RESPON. Homo in patria cœleſti ſic erit, vt male velle non poſſit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato. *Eod. li. c. 105.*

QVAEST. CCXXVII.

AN Miſſę, & eleemoſynæ, & cœtera bona opera proſint defunctis.

RESPON. Neque enim negandum eſt defunctorum animas, pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynę in eccleſia fiũt, ſed eis hęc proſunt, qui cum viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent meruerunt, eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt vero talis in bono, vt iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cum hęc vita trãſierit, adiuuari. Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ, qua *Eod. lib. cap. 109 & 110*

2.Cor.5. dictum est, omnes enim astabimus ante tribunal Christi, &c. quia etiam meritum sibi quisque cum in corpore viueret comparauit, vt ei possent, ista prodesse. Non enim omnibus prosunt, & quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosinarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde malis, propitiationes sunt, pro valde malis, & si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt: vt sit plena remissio, aut certe tollerabilior fiat ipsa damnatio.

QVAEST. CCXXVIII.

ANimæ cum exierint a corpore, vbi habitant donec iudicium vltimum veniat.

Eod. lib. 108. RESPON. Tempus autem, quòd inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet: Sicut vnaquaque digna est, vel requie, vel erumna, pro eo, quòd sortita est in carne cum viueret.

QVAEST. CCXXIX.

AN inter beatos, vnus sit alio beatior, & inter damnatos vnus alio miserior.

Eod. lib. cap. 111 RESPON. In beatitudine beati, alius alio præstabilius. In miseria vero damnati alius alio tollerabilius permanebunt.

QVÆST. CCXXX.

CHaritas quantum sit necessaria ad salutem.

Eod. lib. cap. 117 1. Corin. 13. RESPON. Iam porro charitas quam duabus istis fide ac spe, maiorem dixit Apostolus, quanto in quocunque maior est, tanto melior est in quo est. Cum enim quæritur, vtrum quisquã sit homo bonus, non quæritur quid credat aut speret, sed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & sperat, qui vero non amat, inaniter credit etiam si sunt vera quæ credit,

inaniter ſperat etiam ſi ad veram fœlicitatem doceantur pertinere: quę ſperat, niſi & hoc credat, ac ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet. Quamuis enim ſperare ſine amore non poſſit. fieri tamen poteſt, vt id non amet, ſine quo ad id quod ſperat non poteſt peruenire. Tamquam ſi ſperet vitam ęternam, quamuis non habeat, & non amet iuſtitiam, ſine qua nemo ad illam peruenit. Omnia enim præcepta diuina referuntur ad charitatē. Quod vero ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit: quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur.

QVAEST. CCXXXI.

CVm Trinitas diuina ſit inſeparabilis quantum ad eſſentiam, quomodo non eſt incarnatus Pater, & Spiritus Sanctus, vti & filius?

RESPON. Pater, & filius, & Spiritus Sanctus non ſunt tres Dij, ſed vnus Deus, quamuis pater filium genuerit. & ideo filius non ſit, qui pater eſt, & filiusque à patre ſit genitus, & ideo non ſit pater, qui filius eſt; Spiritusque Sanctus, nec pater, nec filius ſit, ſed tantum patris, & filij ſpiritus, patri, & filio etiam ipſe coęqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem, non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine Maria, & ſub pontio Pilato crucifixam, & ſepultam, ſed tantummodo filium. Nec eandem Trinitatem deſcendiſſe in ſpecie Columbæ ſuper baptiſmum, aut ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes in linguis igneis, ſed tantummodo Spiritum Sanctum. Nec eandem Trinitatem dixiſſe de cœlo: Tu es filius meus, ſed pater tantummodo quamuis pater & filius, et Spiritus Sanctus, ſicut inſeparabiliter ſunt, ita inſeparabiliter operentur. Hæc eſt enim fides catholica. *De Trin. lib. 1. c. 4.*

QVAEST. CCXXXII.

MErces fidei chriſtianæ poſt hanc vitam, quæ eſt. *Eod. lib. cap. 8.*

RESPON. Contemplatio quippe merces eſt fidei, cui mercedi per fidem corda mundātur, ſicut ſcriptum eſt, fide mundans *Act. 15.*

corda eorum. Probatur autem quòd illi contemplationi corda mũ-
Mat. 5. dentur, illa maxime ſententia, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

QVAEST. CCXXXIII.

IN iudicio finali quis erit iudex, & ſi Chriſtus, in qua poteſtate iudicabit an diuina vel humana.

De Trin. li. 1. c. 14. RESPON. Quapropter filius hominis iudicaturus eſt, nec tamen ex humana poteſtate, ſed ex ea qua filius Dei eſt. Et rurſus filius Dei iudicaturus eſt, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus eſt, æqualis patri, ſed in ea qua filius hominis eſt, ita vtrumque dici poteſt, & filius hominis iudicabit & nõ filius hominis iudicabit. *Mat. 25.* Quia filius hominis iudicabit, vt verum ſit, quod dicitur cum venerit filius hominis, tunc congregabuntur &c. Et non filius hominis iudicabit, vt verum ſit quod ait. Ego non iudicabo. Vnde ſecundum formam ſerui qua apparebit in iudicio, nec pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, ſecundum autem formam Dei & pater iudicabit cum illo, cum dicat. *Ib. 12. Ioan. 8.* Eſt qui quærat, & iudicet vnde cum dicitur pater non iudicat quemquam ſic intelligitur, patrem nemo videbit in iudicio viuorum, & mortuorum, ſed omnes filium, quia & filius hominis eſt, vt poſſit, & ab impijs videri cum & illi videbunt in quem pupugerunt.

QVAEST. CCXXXIIII.

QVOT ſunt ea quæ in errore hominum difficillime tollerantur.

De Trin. lib. 2. in proœm. RESPOND. Duo ſunt quæ in errore hominum difficille tollerantur, præſumptio, priuſquam veritas pateat, & cum iam patuerit, præſumptę defenſio falſitatis, a quibus duobus vitijs nimis inimicis veritatis, ſpero Dei miſericordia defendi.

QVAE-

QVAEST. CCXXXV.

AN reprehensio sit magis desideranda, quàm laudatio, siue adulatio.

Resp. Magisq; optabo a quolibet reprehendi, q̃ siue ab errante siue ab ambulante laudari. Nullus enim reprehensor formidãdus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergo inimicus insultat, ferendus est. Amicus autem si errat docendus est, si docet audiendus. Laudator vero, & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. *Eo. loco.*

QVAEST. CCXXXVI.

AN à Spiritu Sancto, sic assumpta forma Columbæ, & ignis, quando descendit super Christum baptizatum, & super Apostolos in die Pentecostes, sicuti à filio Dei sit assumpta caro & forma serui.

Respon. Non enim sic assumpta est creatura, in qua apparuit Spiritus Sanctus, sicut assumpta est caro illa, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque enim Columbam beatificauit spiritus vel illum ignem, sibique & personæ suæ, in vnitatem habitumque coniunxit in ęternum, sed apparuerunt ista: sicut oportunè apparere debuerunt: creatura seruiente creatori, & ad nutum eius incommutabiliter in seipso permanentis, ad eum significandum & demonstrandum, sicut & significari, & demonstrari, mortalibus oportebat, mutata atque conuersa, proinde quamquam illa Columba Spiritus dicta sit. Mat. 3. & de illo igne cum diceretur: Vise sunt illis linguæ diuisę &c. Act. 2. vt per illum ignem spiritum demonstratum ostenderet, sicut per Columbam, non tamen ita possumus dicere Spiritum Sanctum, & Deum & Columbam, aut & Deum, & ignem: Sicut dicimus Filium & Deum & hominem, nec sicut dicimus filium agnum Dei, & vidit Ioannes in Apocalipsi, quia illa visio prophetica, non oculis corporeis exhibita est, sed in Spiritu per spiritales imagines corporum: Columbam vero, & ignem oculis corporeis viderunt. Licet de igne sit difficultas an Spiritu visus sit. Nec etiam sicut dicimus filium petram, vt Paulus 1. Corinth. 10. nominat, ita possumus

De Trin. lib. 2. c. 6 — *Mat. 3.* — *Act. 2.* — *Apoc. 5.* — *1. Cor. 10.*

dicere Spiritum Columbam, vel ignem. Illa enim petra iam erat in creatura, & per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem significabat, sicut ille lapis quem Iacob posuit ad caput Genes. 26. etiam vnctionem assumpsit ad significandum dominum: sicut Isaac Christus erat, cum ad se immolandum ligna portabat. Accessit istis actio quædam significatiua iam existentibus, non autem sicut illa Columba & ignis, ad hæc tantummodo significanda repente extiterunt. Magis ista similia mihi videntur flammę illi quæ in rubo apparuit Moysi: & illi columnæ, quàm populus in eremo sequebatur. Ad hoc enim corporalis rerum illarum species extitit, vt aliquid significaret & præteriret, propter has ergo corporales formas, quæ ad eum significandum, & sicut humanis sensibus oportebat demonstrandum temporaliter extiterunt, missus etiam dicitur Spiritus Sanctus, non tamen minor patre dictus est, sicut filius propter formam serui, quia illa forma serui inhęsit ad vnitatem personæ, illę vero corporales species, ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, & esse postea destiterunt.

Gen. 26. Exo. 3. Exo. 13. Exo. 39.

QVAEST. CCXXXVII.

AN Deus vtatur omnibus creaturis, prout vult, & sic non fiat a creatura aliquid sine sua voluntate.

De Tri. lib. 3. c. 4

RESPON. Deus se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritalibus, deinde corporalibus per cũcta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ: siue incorporeis, siue corporeis rebus, siue rationalibus, siue irrationalibus spiritib. siue bonis per eius gratiam, siue malis per propriã voluntatem, sed quemadmodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur. Ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus irrationalis, per spiritum vitæ rationalem: & spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator, per spiritum vitæ rationalem pium & iustum, & ille per ipsum Deum, ac sic vniuersa creatura per creatorem suum: Ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque instituta est, ac per hoc voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum & motionum. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, qđ non de interiore inuisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiã

præ-

præmiorum, atque pœnarum gratiarum & retributionum, in ista totius creatura amplissima quadam in mensaque republica.

QVAEST. CCXXXVIII.

IN Sacramento altaris, quomodo conficitur corpus & Christi sanguis, & de qua materia.

RESPON. Corpus Christi & sanguinem illud tantum dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & præce mistica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tã magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei: cum hæc omnia, quę per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur mouens primitus inuisibilia ministrorum, siue animas hominum, siue occultorum spirituum, sibi subditas seruitutes. *Eod. lib.*

QVAEST. CCXXXIX.

AN potestas, quam habent demones ad miracula magica facienda sit à Deo, & quare Deus permittit talia miracula fieri, sicut magi Pharaonis fecerunt.

RESPON. Magi Pharaonis cum peruenerunt ad cinifes defecerunt, & ideo dixerunt. Digitus Dei est hic, & quare defecerunt? Vt daretur intelligi, quòd magicę artes, quæ valorem quem habent, ab aereis potestatibus, siue Angelis transgressoribus habent, nihil valerent, nisi data desuper potestate. Datur autem ad fallendos fallaces, sicut in Aegyptios, & in ipsos etiam magos data est, vt in eorũ spirituum seductione viderentur admirandi a quibus fiebant à Dei veritate damnandi, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis scripturę authoritate sunt prodita, vel ad exercendam, probãdam, manifestandamque iustorum patientiam. Nec ideo putandum est istis transgressoribus Angelis, ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam: sed Deo potius, à quo hęc potestas datur, quantum in sublimi, & spiritali sede incommutabilis iudicat. Nec sanè creatores illi mali Angeli dicendi sunt, quia per illos magi resistentes famulo Dei. ranas & serpentes fecerunt. Non enim *Eod. lib. c. 7. Exo. 7. 8*

ipsi eas creauerunt. Omnium quippe rerum, quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent. Alia enim sunt nobis manifesta in fructibus, & animantibus. Alia vero illa occulta istorum semina seminum. Vnde iubente creatore produxit aqua prima natatilia, & volatilia. Et terra prima sui generis germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc huiuscemodi fœtus ita producti
Gen. 1.
sunt, vt in eis quæ producta sunt: vis illa consumpta sit: sed plerunque desunt temperamentorum occasiones, quib. erumpant, & species suas peragant. Ecce enim breuissimus surculus semen est: nã conuenienter mandatus terræ arborem facit, semen huius surculi est granum eiusdem generis, & visibile quidem, semen vero huius grani, oculis videri non potest, ratione tamen conijci potest: quia nisi talis vis esset in elementis istis, non plerunque nascerentur ex terra, quæ ibi seminata sunt. Dicimus ergo quòd sicut nõ dicimus parentes creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quãuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur. Ita non solum malos: sed nec bonos Angelos, phas est putare creatores, si per subtilitatẽ sui sensus, & corporis, semina rerũ istarum, nobis occultiora nouerunt, & ea per cõgruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Quapropter ita non possum dicere Angelos malos magicis artibus euocatos. creatores fuisse ranarum atq; serpentium, sicut non possum dicere homines malos creatores esse segetis, quàm per eorum operam video exortam, & ita mali Angeli pro subtilitate sui sensus in occultiorib. elementorũ seminibus norunt. vnde ranæ serpentesq; nascantur, & hæc per certas & notas tẽperationum opportunitates occultis motibus adhibẽda faciunt creari, nõ creãt.

QVÆST. CCXL.

AN Deus antiquis patribus apparuerit in persona propria, an per Angelos Domini personam repræsentantes.

Iod. li. c. RESPON. Loquitur ex persona Dei Angelus Domini dicens.
10. 11. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, & non est mi-
Exo. 3. rum, cum & homo aliquando loquitur in persona Domini: sicut in
Psal. 80. Psal. dicitur. Audi populus meus & loquar Israel, & testificabor

tibi,

tibi, Deus Deus tuus ego ſum. Et quòd fuerit Angelus, qui Moyſi apparuerit demonſtrat San. Stephanus, ſic dicens. Viri fratres, & patres, audite inquit. Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri noſtro, cum eſſet in Meſopotamia. Ne quis autem arbitraretur tunc Deū gloriæ, per id quod in ſeipſo eſt, cuiuſquā oculis apparuiſſe mortalium, in conſequentibus dicit, quòd Moyſi Angelus apparuerit in igne flammæ rubi, qui Angelus dixit, ego ſum Deus patrum tuorū &c. Et ſi quiſpiam dixerit Moyſi apparuiſſe per Angelū, & Abrahę per ſeipſum, dicimus, quòd in Gen. Cum dixiſſet apparuiſſe Deum ad illicem Mambre ſibi ſtatim ſubiunxit, quòd vidit tres viros, qui intelliguntur per tres Angelos, vt ſic oſtendatur, quòd & Abrahæ per Angelos viſus eſt Dominus, nam & Gen. cum Dominus præciperet Abrahæ, vt immolaret filium, & cum vellet eſtendere manū ad occidendum puerum. Angelus Domini vocauit Abraham, ut nō occideret filium, & iſte Angelus dum vellet laudare Abraham. Dixit, nunc cognoui, quia tu times Deum, & nō pepercisti filio tuo propter me. Ecce Deus eſt, qui præcipit, vt occidat filium, & tamē poſtmodum dicitur, quòd eſt Angelus, qui vocat Abraham, & eū laudat de obediētia, quòd propter ſe non pepercerit filio, ad denotandum, quòd Deus loquebatur per Angelum, & iſtę apparitiones Dei per Angelos erant, per Angelos ergo tunc loquebatur Dominus per Angelos filius Dei, mediator Dei & hominum, futurus ex ſemine Abrahę. ſuum diſponebat aduentum, vt inueniret, a quibus reciperetur confitentes reos, quos lex non impleta fecerat trāſgreſſores. In iſtis apparitionibus Dei per Angelos, erat vtique & pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & aliquando pater, aliquando filius, aliquando Spiritus Sanctus. Aliquando ſine vlla diſtinctione perſonæ, Deus per illos figurabatur. vnde iam clare patet, quòd cum Deus apparere dicebatur, voces illę, ac ſpecies corporales, per Angelos factæ ſunt, ſiue ipſis loquentibus, vel agentibus aliquid ex perſona Dei, ſicut etiam ſolebant Prophetæ, ſiue aſſumentibus ex creatura, quod ipſi non eſſent, vbi Deus figuratè demonſtraretur hominibus.

Act. 7.
Gen. 8.
Gen. 22.

QVAEST. CCXLI.

CHriſtus quot diebus in vtero Virginis fuit. Includendo diem Conceptionis, & Natiuitatis.

De Trin. lib. 4. c. 5

RESPON. Octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur quo & paſſus

& passus, ita monumento nouo quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec ante, nec postea, congruit vterus Virginis quo conceptus est. Vbi nullus seminatus est mortalium. Natus autem traditur octauo Kal. Ianuarij. Ab illo ergo die vsque ad istum computati ducenti septuaginta & sex reperiuntur dies, qui sunt nouem menses, & sex dies, & tamquam decem menses pariẽtibus fœminis computantur.

QVAEST. CCXLII.

DIes vnde sumit initium an a nocte, an à luce. Dies videlicet 24. horarum.

RESPON. Tertius enim dies passionis dominicæ, quando
Eod. lib. c. 6. dicitur quòd fuit dominus in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus incipit a nocte, cum nox vsque ad diluculum quo resurrectio domini declarata est, ad tertium diem pertineat, quia Deus, qui dixit de tenebris lucem clarescere vt per gratiam noui testamẽ
2. Cor, 4. Ephe. 5. ti, & participationem resurrectionis Christi audiremus, fuistis aliquando tenebrę, nunc autem lux in domino, Insinuat nobis quodammodo, quòd a nocte dies summat initium, sicut enim primi dies, propter futurum hominis lapsum, a luce in noctem, ita isti ꝓpter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur. Ab hora igitur mortis vsque ad diluculum resurrectionis, horæ sunt 40. Vt etiam ipsa hora nona connumeretur. A vespere autem sepulturę vsque ad diluculum resurrectionis. 36. horę sunt.

QVÆST. CCXLIII.

IN omni sacrificio cum offertur, quot sunt ea quæ considerari debent.

RESPON. Quatuor considerantur in sacrificio omni, cui of-
Eod. lib. cap. 14. feratur, a quo offeratur, qđ offeratur, pro quib. offeratur. Idẽ ipse vnus verusq; mediator, per sacrificiũ pacis recõciliãs nos Deo, vnũ cum illo maneret cui offerebat vnum in se faceret pro quibus offerebat, vnus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat.

QVAEST. CCXLIIII.

Eod. lib. cap. 17. FVtura quot modis præsciuntur, scire inquirimus,

RESPOND. Aliqui experimento præteritorum. Futura

conijciunt,

conijciunt sicut medici multa præuidendo, etiã litteris mandauerunt, quæ ipsi experta notauerunt, sicuti etiam agricolæ, & nautæ, ex experimento multa prænunciãt futura, Aliqui vero prænunciãt futura, quia iam ventura præsenserint, & ab eis longe sunt visa, vt verbi gratia, quidam videt a longe de vertice montis aliquem venientem, & proxime in campo habitantibus ante nuntiet. Et hoc modo aereæ potestates facientes, pro acuto sensu suo, quo longe vident a multis diuinare creduntur. Aliquando vero futura ab Angelis sanctis nuntiantur, sicuti eis Deus per verbum suum, sapiẽtiamque inodicat. Aliquando ab hominibus, qui, in tantum mentes eorum euehuntur a Spiritu S. vt non tantum per Angelos, sed per seipsos futurorum instantes causas in ipsa summa rerum arce conspiciant. Audiunt enim ista, & aereæ potestates, siue Angelis ea nuntiantibus, siue hominibus, & tantum audiunt quantũ opus esse ille iudicat, cui subiecta sunt omnia. Multa etiam prędicuntur, instinctu quodam impulso spiritu nescientium, sicut Cayphas nesciuit, quid dixit, sed cum esset pontifex, prophetauit. *Ioã. 11.*

QVAESTI. CCXLV.

AN Spiritus. S. procedat a patre, & a filio.

RESPON. Non possumus dicere, quòd Spiritus. S. & a filio non procedat. Neque enim frustra idem spiritus, & patris, & filij spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, cũ sufflans in facie discipulorum ait, Accipite Spiritum. S. Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus. S. fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a patre, sed & a filio procedere Spiritum. S. *Eod. lib. cap. 20.* *Io. 20.*

QVÆST. CCXLVI.

AN Deus diligat quę diligit temporaliter, idest noua dilectione incipiat diligere quod prius non diligebat.

RESPON. Deus absit vt temporaliter aliquando diligat, quasi noua dilectione, quæ in illo ante non erat, apud quem nec pręterita transierunt, & futura iam facta sunt, itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sic vt prędestinauit. Sed *De Trin. li. 5. c. vl.*

cum

cum conuertuntur & inueniunt illum tunc incipere ab eo diligi dicuntur, vt eo modo dicatur quod potest humano affectu capi, quòd dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur, & placidus bonis, illi mutantur, non ipse. Sicut lux infirmis aspera firmis lenis est, ipsorum. s. mutatione non sua.

QVAEST. CCXLVII.

QVare in superbeatissima Trinitate, sicuti dicimus tres personas esse patrem, & filium & Spiritum. S. nõ etiam dicimus tres Deos, nam pater est persona, filius est persona, & etiam Spiritus. S. & sic tres personæ sunt, & non vna tantum. Dicimus etiam pater est Deus, filius est Deus, & etiam Spiritus. S. & tamen non cõcludimus ergo tres Dij, sicut cõcludimus ergo tres personę, sed tãtum dicimus ergo vnus Deus.

De Trin. li. 7. c. 4. RESPON. Licet scriptura sacra non dicat nos debere dicere tres personas, non tamen contradicit. Quemadmodum contradicit, ne dicantur pater, & filius & Spiritus. S. tres Dij, sed vult, vt dicãtur vnus Deus, sic enim inquit. *Deut. 6.* Audi Israel dominus Deus tuus vnus est, sed dices. Cur non licet etiam dicere tres essentias, cum nec in hoc licet scriptura non dicat, nec etiam contradicit ergo eadem ratione pater, & Fil. & S. S. possent dici tres essentiæ, cum tñ sit vna essentia, ideo clarius & melius respondetur. Et dicitur, quòd propter aduersarios hæreticos, partita sunt hæc vocabula neccessitate loquendi, ab catholica ecclesia, & ideo ipsa timuitdicere tres essentias, & tres Deos, ne intelligeretur in illa summa æqualitate Trinitatis, vlla diuersitas substantiæ. Rursus, non esse tria quędam non poterat dicere, cum per scripturas habeat patrem esse, & filiũ & Spiritum. S. nec eundem esse filium, qui pater est, nec Spiritum S. esse eundem, vel patrem vel filium. Cum ergo tria essent, & vnũ in substantia. Quæsiuit quid tria diceret. Et dixit substantias, secundum consuetudinem gręcorum, vel personas secundum morẽ latinorum quib. nominibus non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem, vt non solum ibi vnitas intelligatur, eo quòd dicitur vna essentia, sed & Trinitas ex eo quod dicuntur tres substãtiæ, vel personę, gręci vocabulo substantia vtuntur in diuinis, loco huius vocabuli persona, vnde notandum est, quòd Deus non dicitur proprie substantia, sed abusiue, quoniam substantia est, quæ

subsistit

ſubſiſtit aliquibus accidentibus, & hoc in Deo nephas eſt dicere, ꝙ ipſe ſubſit bonitati ſuæ, & ꝙ ipſa bonitas non ſit eſſentia, vel ipſe Deus, ſed in illo ſit tamquam in ſubiecto, ideo nomine vſitatiore debet vocari eſſentia, quia vere ac propriȩ ſolus fortaſſe ipſe Deus debet dici eſſentia, cum vere ſolus ſit incommutabilis. Et ideo Moyſi dixit. Ego ſum, q̃ ſum, q̃ eſt miſit me ad vos, ſic ad eos dices. *Exo. 3.*

QVAEST. CCXLVIII.

AN incognita diligi poſſint a quoquam.

RESPON. Sed quis diligit, quod ignoratur? Sciri enim aliquid, & non diligi poteſt. Diligi autem, quòd neſcitur, non poteſt, quia rem prorſus ignotam amare oĩno nullus poteſt. Quilibet.n.ſtudioſus quilibet curioſus non amat incognita etiam ſi cũ ardentiſſimo appetitu inſtat ſcite quod neſcit. Quamobrẽ omnis amor ſtudentis animi, hoc eſt, volentis ſcire quod neſcit non eſt amor eius rei, quam neſcit, ſed eius quam ſcit, propter quam vult ſcire quam neſcit, vt puta ſcit eſſe Deum: ex fide. Et quia imprimitur in ſua cogitatione aliquid magnum eſſe cum cogitat de Deo & ideo hoc amat quod ſcit, ſed quia neſcit magnalia Dei, & inuiſibilia atque ſempiterna, ideo ex eo quòd ſcit, amat ſcire quod neſcit, & notandum quòd dicitur amat ſcire quod neſcit. Quoniam qui ſcire amat incognita, non ipſa incognita, ſed ipſum ſcire amat. Vnde breuiter eſt concludendum, quod incognitum omnino non poteſt amari, ſed vt ametur aliquid oportet habere ſaltem aliqualẽ cognitionem, vel per auditum, vel per quaſdam formas in animo impreſſas ſimiles illi formæ rei illius quam fama prædicauerat. Amat enim quis beatitudinem, quæ quamuis ſibi nota non ſit, notum tamen ei, eſt quam bonum ſit, vt ei nota ſit. Et hoc quidem permirabile eſt, nondum ſe noſſe, & quam pulchrum ſit ſe noſſe iã noſſe. An aliquem finem optimum, ideſt ſecuritatem, & beatitudinem ſuam videt, per quandam occultam memoriam, quæ in longinqua eam progreſſam non deſeruit, & credit ad eundem finem, niſi ſeipſam congnouerit, peruenire ſe non poſſe? Ita dum illud amat, hoc quærit, & notum amat illud, propter quod quærit illud ignotum. *De Trin. lib. 8. 9. & 10.*

QVAEST.

QVAEST. CCXLIX.

AN Deus prius, sit inuestigandus quid sit per negatiua quam per affirmatiua.

De Trin. li. 8. c. 2. RESPON. Non enim parue notitiæ pars est, cum de profundo isto, in illam summitatem respiramus, si antequam scire possumus quid sit Deus possumus iam scire, quid non sit. Non est enim certe, nec terra, nec cœlum, nec quasi terra, & cœlum, nec tale aliquid, quale videmus in cœlo, nec tale aliquid quidquid non videmus & est, fortassis in cœlo.

QVAEST. CCL.

QVid sit frui & vti quæritur alia diffinitione a superiori.

De Trin. lib. 10. c. 11. RESPON. Vti enim est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Frui autem est, vti cum gaudio, non adhuc spei, sed iã rei. Proinde omnis qui fruitur, vtitur, assumit enim aliquid in facultatem voluntatis, cum fine delectationis. Non autem omnis qui vtitur fruitur, sed id quod in facultatem voluntatis assumit, non propter illud ipsum, sed propter aliud appetit.

QVAEST. CCLI.

AN memoria voluntas, & intelligentia in anima nostra, sint tres substantię, vel vna tantum.

Eod. lib. RESPON. Hæc enim memoria intelligentia voluntas, quoniam non sunt tres vitę, sed vna vita, consequenter vtique nec tres substantiæ, sed vna substantia. Memoria quippe quod mens, & vita & substantia dicitur ad seipsam dicitur. Quod vero memoria dicitur, ad aliquid relatiuę dicitur. Hoc de intelligentia, & de voluntate idem dicatur, & intelligentia quippe, & voluntas ad aliquid dicuntur, vita est autem vnaquaque ad seipsam, & mens, & essentia. Quo circa tria hæc eo sunt vnum quo vna vita, vna mens, vna essentia & quidquid aliud ad seipsa singula dicuntur etiam simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria quo ad seinuicem referuntur quæ si ęqualia non essent, non solum singula, singulis, sed etiam omnibus singula, non vtique seinuicem caperent. Neque enim tantum a singulis singula, verum etiam a singulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam,

& intelligentiam & voluntatem, & intelligo me intelligere, & velle atque meminiſſe, & volo me velle & meminiſſe, & intelligere totamque meam memoriam & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini. Quod enim memoriæ meæ non memini, non eſt in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quàm ipſa memoria eſt. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me ſcio, & ſcio me velle quidquid volo. Quidquid autem ſcio memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatẽ meã memini. Similiter cum hęc tria intelligo, tota ſimul intelligo. Neque enim quidquam intelligibilium non intelligo, niſi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quidquid itaque intelligibilium non intelligo, conſequenter etiam, nec memini, nec volo. Quidquid autem intelligibilium memini, & volo, conſequenter intelligo. Voluntas etiam mea totam intelligentiam, totamque memoriam meam capit: dum toto vtor quod intelligo, & memini. Quapropter quando inuicem a ſingulis, & tota omnia capiuntur: ęqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula, ſimul omnibus totis, & hęc tria vnum, vna vita, vna mens, vna eſſentia.

QVÆST. CCLII.

AN veſtigium ſanctiſſimę Trinitatis inueniatur in omni ſenſu corporis.

RESPON. Certè hic interrogandi ſunt omnes ſenſus, ſed quia quod nobis vnus eorum renuntiat etiam in cęteris valet. Itaque potiſſimum teſtimonio vtamur oculorum. Is enim ſenſus corporis maximè excellit, & eſt viſioni mentis pro ſui generis diuerſitate vicinior. Cum igitur aliquod corpus videmns, tria ibi facillime ſunt conſideranda. Primò ipſa res vel corpus, quod videmus, ſecundò viſio, quæ reſultat ex ſenſu oculi videntis, & ex re viſa, vnde viſio nihil aliud eſt, quàm ſenſus ex ea re, quæ ſentitur informatus. Tertio animi intentio, quæ detinet ſenſum oculorum, in ea re, quæ videtur, quamdiu videtur, in his tribus eſt diſcreta natura. Nam corpus, quod videtur, valde diſtat a ſenſu oculorum, & viſio diſtat a corpore quod videtur, cum viſio reſultet ex forma corporis viſi impreſſa ſenſui ab eodem corpore, diſtat quidem ſubſtantialiter, intentio etiã animi, quod eſt tertium, diſtat a corpore viſo, *De Trin. lib. 11. cap. 2.*

quia

quia illud est corpus, & iste est animus, distat etiam a sensu oculorum, & a visione, quoniam solius animi est hæc intentio, quæ coniungit vtrunque, idest, & sensum oculorum, & rem visam, sed sensus non est solius animæ, sed & corporis, cum sit membrum corporis. Hæc igitur tria, corpus quod videtur, & ipsa visio, & quæ vtrũque coniungit intentio, manifesta sunt ad dignoscendum vestigiũ Trinitatis, non solum propter propria singulorum, verum etiam propter differentiam naturarum. Cum igitur horum trium, tam diuersæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt vnitatem, vt duo propria vix intercedente iudice ratione discerni valeant, species videlicet corporis quod videtur, & imago eius, quæ fit in sensu, idest visio. Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, vt & sensum formandum, admoueat ei rei, quæ cernitur, & in ea formatum teneat. Et etiam detrata spẽ corporis, quæ corporaliter sentiebatur, remanet in memoria similitudo eius, qua similitudine; voluntas conuertat aciem, vt inde formetur intrinsecus, sicut extrinsecus ex corpore obiecto sensibili sensus formabatur, & sic postmodum fiat Trinitas intrinsecus, ex memoria, & interna visione, & quæ vtrunque copulat voluntate, quæ tria in vnum coguntur ab ipso coactu cogitatio dicitur. Nec in his tribus diuersa substantia est, sicuti est in his, quæ videntut foris, vt sensus formatus, & res visa, & visio. Nam intrinsecus, pro re visa, succedit memoria, retinens illam speciem quam per corporis sensum combibit anima, pro visione ab extra, succedit intus similis visio, cum ex eo, quod memoria tenet formatur acies animi, & absentia corpora cogitantur. Voluntasque ipsa quomodo foris, corpori obiecto formandum sensum, admouebat formatumque iungebat, sic aciem recordantis animi conuertit ad memoriam, vt ex eo, quod illa retinuit, ista formetur, & sit in cogitatione similis visio. Ideo hæc tria sunt vnum in anima, & in illa cogitatione propter quod non differunt in substantia.

QVAEST. CCLIII.

1. Cor. 11. AN mulier sit facta ad imaginem Dei, sicuti vir. Cum dicat Paulus, quòd mulier debet velare caput, cum sit gloria viri, vir autem non debet velare cum sit imago Dei, quasi sic inferat, quòd mulier non sit imago Dei.

RESPON.

RESPON. Nam Gen. 1. Dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt autẽ intelligeretur, quòd & mulier sit facta ad Dei imaginẽ, subiunxit. Fecit Deus hominẽ, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & fœminam creauit eos, & benedixit eos. Et ideo vt videamus quòd Apostolus non est contrarius huic sententię Genesis, quæ dicit ad imaginem Dei naturã ipsam humanam factam, quæ sexu vtroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei separat fœminam, sic est dicendum, quòd cum agitur de natura humanę mentis, vt fit in Gen. tunc mulier cũ viro est ad imaginem Dei, vt vna imago sit tanta illa substantia, cum autẽ ad adiutorium distribuitur, quod ad eã solam ipsam attinet, non est imago Dei, quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est tam plena atque integra, quàm in vnum coniuncta mueliere. *De Trin. lib. 12. cap. 7.*

QVAEST. CCLIIII.

QVid est in corpus peccare, & etiam extra corpus.

RESPON. Cum quis bona voluntate, ad interiora, & superiora percipienda, quæ non priuatim, sed communiter ab omnibus qui talia diligunt, sine vlla angustia vel inuidia casto possidentur amplexu, vel sibi, vel alijs cõsulit, & si fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia & hoc temporaliter gerit, & modum agendi non teneat quem debebat, humana tentatio est. Et magnum est hanc vitam sic degere, quam velut viam redeuntes carpimus, vt tentatio nos non apprehẽdat nisi humana. Hoc enim peccatum extra corpus est, nec fornicationi deputatur, & propterea facilime ignoscitur, cum vero propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiuntur, propter experiendi vel excellendi, vel contrectandi cupiditatem, vt in his finem boni sui ponat, aliquid agit, quidquid agit, turpiter agit, & fornicatur in proprium corpus peccans, & in hæc magna decidit, quia spernit modica. Quomodo enim coluber non apertis passibus, sed squámarum minutissimis nisibus repit, sic lubricus deficiendi motus negligẽtes minutatim occupat, & incipiens a peruerso appetitu similitudinis Dei peruenit ad similitudinem peccorum. *Eod. lib. cap. 10.*

QVÆST. CCLV.

QVæ differentia est inter sapientiam, & scientiam.

Eod. lib. cap. 14. RESPON. Habet enim & scientia modum suum bonũ, si quod in ea inflat, vel inflare assolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, sed vt scimus ędificat. Sine scientia quippe, nec virtutes ipse, quibus rectè viuitur, possunt haberi, per quas hæc vita misera sic gubernetur, vt ad illam quæ vere beata est, perueniatur æternam. Distat tamen ab ęternorum contēplatione, actio qua bene vtimur temporalibus rebus, & illa sapientię, hęc scientię deputatur. Quamuis enim & illa quæ sapientia est possit scientia nuncupari, sicut & Apostolus. 1. Cor. 12. nominat dum dicit. Nũc *2. Corin. 13.* scio ex parte, quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi, quod sanctorum erit præmium summum: quando vero ait. Alij datur sermo sapientia: alij sermo scientiæ secundũ eundem spiritum, certè hic distinguit scientiam a sapientia, quomodo *Iob. 28.* autem distinguantur habemus in Iob. 28. Vbi dicitur, ecce pietas, id est Dei cultus est sapientia, abstinere autem a malis est scientia. in hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere. Si ergo est sapientiæ, & scientiæ recta distinctio, (vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerũ cognitio rationalis,) vt est euidentissima differentia, scientiæ præponendam esse sapientiam nemo ambigit.

QVAEST. CCLVI.

AN nostrum scire sit quoddam reminisci, vt voluit Plato, qui dicebat animas hic vixisse antequam ista corpora gererent, & hinc esse, quòd ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, q̃ cognoscuntur noua, & probabat sic, quia interrogabat quendã puerum minutissime de geometria, & respondebat tãquam esset illius peritissimus disciplinæ.

Eod. lib. cap. 15. RESPON. Puer iste, gradatim quippe atque artificiose interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat; Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non vtique omnes, vel pene omnes, cum illo modo interrogarentur, hoc possent,

ſent. Non enim omnes in priore vita geometrę fuerunt, cum tam rari ſint in genere humano, vt vix poſsit aliquis inueniri, ſed potius credendum eſt mentis intellectualis ita conditā eſſe naturā vt rebus intelligibilibus, naturali ordine, diſponente creatore ſubiuncta, ſic iſta videat, in quadam luce ſui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadiacent, cuius lucis capax, eiq; congruens eſt creatus.

QVAEST. CCLVII.

AN fides videatur ab eam habente, & a cœteris hominibus.

RESPON. Fides quamuis ex auditu in nobis facta ſit, nō tamen pertinet ad ſenſum auditus, vel viſus, quoniam non eſt ſoſonus, nec color, aut corporis forma, nec ad vllum corporis ſenſum pertinet, quoniam cordis eſt res iſta, non corporis, nec foris eſt a nobis, ſed in intimis noſtris, nec eam quiſquam hominum videt in alio, ſed vnuſquiſque in ſemetipſo videt eam, in altero autem credit eſſe eam, non videt, & tanto firmius credit quanto fructus eius magis nouit, quos operari ſolet fides per dilectionem Gal. 5. Fides enim qua poteſtatem homines acceperunt, poſſe fieri filios Dei, eſt communis, & eſt vna, licet reſpectu eam habentium, ſint plures fides. Dicitur enim communis quemadmodum facies huna eſt omnibus hominibus communis, licet vnuſquiſque ſuam faciem habeat. Vna eſt enim genere, non numero, quia vnuſquiſque ſuam fidem habet, qui magnam, qui modicam, tamen fides mea eſt ſimilis tuæ, quia & mea credit filium Dei Chriſtum eſſe, ſicut & tua, ex vna namque doctrina impreſſam fidem credentiū cordibus ſingulorum, qui hoc idem credunt, veriſſime dicimus, ſed aliud ſunt ea quæ creduntur, aliud fides qua creduntur. Illa quippe in reb. ſunt, quæ vel eſſe, vel fuiſſe, vel futura eſse dicuntur, hæc autem in animo credentis eſt ei tantum conſpicua cuius eſt. Eſt autem fides omnium vna, quemadmodum & voluntas multorum vna, licet vnuſquiſque ſuam habeat voluntatem, & ſicut nemo videt alterius voluntatem, Ita nemo videt alterius fidem. Licet ex operibus conijciat.

De Trin. lib. 3. cap. 2.

QVAEST. CCLVIII.

AN beata vita sit sempiterna, & si sic, quomodo probatur sic esse.

Eod. lib. c. 8. RESPOND. Perfecta examinata, eliquata, & tam certa sententia est, quòd omnes homines beati esse volunt, & qui beati etiam iam sunt, beati vtique non esse nolunt, quia nemo potest esse beatus nolens. Si igitur volunt esse beati, qui beati sunt, proculdubio nolunt consumi, & perire, quod beati sunt, nec nisi viuentes beati esse possunt. Nolunt igitur perire, quod viuunt, immortales ergo esse volunt quicunque vere beati, vel sunt, vel esse cupiunt. Non autem viuit beate, cui non adest, quod vult. Nullo modo igitur esse poterit veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.

QVÆST. CCLIX.

AN Deo defuit alius modus nostræ redemptionis, quàm incarnatio filij sui.

Eod. lib. capi. 9. RESPON. Alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent, non est dicendum, sed sanandæ nostræ miseriç conuenientiorem modum alium non fuisse, nec opportuisse. Quid enim tam necessarium fuit, ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium, conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quàm vt demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid vero huius rei, tanto isto indicio manifestius, quàm vt Dei filius immutabiliter bonus in se manens, quod erat, & a nobis, & pro nobis accipiens, quod non erat, præter animæ naturæ detrimentum, nostrum dignatus inire consortium, prius sine vllo malo suo merito, mala nostra perferret, ac sic iam credentibus quantum nos diligat Deus, & quod desperabamus iam sperantib. dona in nos sua, sine vllis bonis meritis nostis, immo præcedentibus & malis meritis nostris, indebita largitate conferret, quia & ea quç dicuntur merita nostra, data sunt eius.

QVAEST. CCLX.

AN ad redemptionem hominis concurrat tota ſancta Trinit. *Eod. lib. cap. 11. & 12.*

RESPON. Apoſtolus dicit,quòd nos ſumus iuſtificati in ſanguine ipſius Chriſti,ſed quid eſt iuſtificati in ſanguine ipſius,& reconciliati per mortem filij eius? Ita ne vero, cum iraſceretur nobis Deus pater,vidit mortem filij ſui pro nobis, & placatus eſt nobis? Nunquid ergo filius eius,vſque adeo nobis iam placatus erat, vt pro nobis etiam dignaretur mori, pater vero vſque adeo adhuc iraſcebatur,vt niſi filius pro nobis moreretur, non placaretur: & quid eſt, quòd Rom.8. Apoſtolus iterum dicit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis,quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Certè ſi pater non eſſet nobis iam placatus,non traderet filium ſuum pro nobis,& tamen videtur,quòd non fuerit ante placatus, cum dicat, ꝙ reconciliati ſumus per mortem filij eius, vt innuat, quòd mors fuit cauſa placationis,ergo videtur quòd mors præceſſerit. Et tamen pater antea dilexit nos,quia ante mundi conſtitutionem elegit nos, Epheſ.1. Dicebat etiam ad Gal.2. quòd filius non inuitus eſt traditus,ſed ſponte,talibus verbis. Qui me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me,omnia ergo ſimul, & pater, & filius, & amborum ſpiritus, pariter & concorditer operantur, tamen iuſtificati ſumus ſanguine Chriſti, & reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Quomodo autem hoc ſit factum explicandum eſt. Quadam enim iuſtitia Dei,in poteſtate diaboli traditum eſt genus humanum peccato primi hominis, & hæc traditio in Gen.3. demonſtratur,cum ſerpenti dictũ eſt.Terram manducabis,& hęc terra eſt homo, cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis. Cum dicit in terram ibis.oſtendit totum hominem in deterius commutatum. Cũ dicit in terram ibis, oſtendit eius mortem,ſed Apoſtolus ad Epheſ. 2. clarius oſtendit hanc traditionem cum dicit. Et vos cum eſſetis mortui delictis,& peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundũ Principẽ poteſtatis aeris ſpiritus huius,qui nũc operatur in filiis diſſidẽtiæ,&c.quo circa oẽs hoĩes ab origine,ſub principe ſunt poteſtatis aeris,q̃ operatur in filijs diffidẽtiæ. Modus autem iſte quo traditus eſt homo

in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iussierit, sed quod tantum permisserit: iuste tamen. Illo enim deserente peccantem: peccati author illico inuasit. Nec sanè ita deseruit creaturam suam, vt non se illi exhiberet Deum creantē, & viuificantē, & etiam multa bona ei præstantem. Si ergo commissio peccatorum, per iram Dei iustam, hominem subdidit diabolo, profecto per reconciliationē Dei benignam, remissio peccatorum eruit hominem a diabolo. Non autem diabolus potentia Dei, sed iustitia superandus fuit. Et ratio est, quia diabolus fuit amator potentiæ, & oppugnator iustitiæ, sicut & sui sequaces. Nā iustitia ꝑcedit ordine suo potentiā, & potētia dēt subsequi, & ideo in rebus secundis. i. prosperis ponitur. Secundę. n. a sequendo sunt dictæ. Quę est igitur iustitia, qua victus est diabolus? Quę, nisi iustitia Iesu Christi? Et qũo victus est? Quia cũ in eo nihil morte dignũ inueniret: occidit eũ tñ. Et vtiq; iustũ est, vt debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eũ credentes, quē sine vllo debito occidit. hoc est, ꝙ iustificari dicimur in Christi sanguine, sic quippe in remissionem peccatorũ nostrorum, innocens sanguis ille effusus est, prius ergo iustitia vicit diabolum moriendo, demum potentia resurgēdo, peccata nostra diabolus tenebat, & per illa nos merito figebat in morte. Dimisit ea ille, qui sua non habebat, & ab illo immerito ductus est ad mortem: Ttum valuit sanguis ille, vt neminē Christo indutũ, in ęterna morte debita detinere debuerit, qui Christum morte indebita, vel ad tempus occidit. Commendat ergo Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Chtistus pro nobis mortuus est. Multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum, ab ira vtique Dei, quæ nihil aliud est, quàm iusta vindicta. Si ergo iusta diuina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei, quæ rectè intelligitur, nisi cum talis ira finitur? Nec inimici eramus Deo, nisi quemadmodum, iustitiæ sunt inimica peccata: quibus remissis tales inimicitiæ finiuntur, & recōciliantur iusto, quos ipse iustificat. Quos tamen etiam inimicos vtique dilexit, quando quidem proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum etiam dum inimici eramus.

QVAEST. CCLXI.

AN habitus sit in animo etiam si actus desit.

Respon.

RESPON. Duarum vel plurium disciplinarum peritus, quando vnam cogitat, aliam vel alias etiam si non cogitat, nouit tamen, sed nunquid rectè possumus dicere: Iste musicus nouit quidem musicam, sed nunc eam non intelligit: quia nunc actualiter eam non cogitat. Absurda est, quantum apparet ista sententia: Idem met dicamus si diceremus, iste musicus amat quidem musicā, sed nunc non eam amat, quia actualiter eam non cogitat. Rectissimè ergo dicimus, quòd peritus multarum disciplinarum, tam diligit & nouit eas, quas non actualiter cogitat, sicut eas quas actualiter cogitat, quia habitualiter tam est perfectus musicus, sicut cum actualiter cogitat de ea, stat igitur habitus in animo, etiam si desit actus. *De Trin. lib. 14. cap. 7.*

QVÆST. CCLXII.

AN virtutes quibus in hac vita bene viuitur remaneant post hanc vitam, cum ad beatitudinem peruenerimus.

RESPON. Quibusdam enim visum est desituras, & de tribus quidem Prudentia, Fortitudine Temperantia, cum hoc dicitur, nonnihil dici videtur. Iustitia vero immortalis est, & magis tunc perficietur in nobis, quàm esse cessabit. De omnibus tamen quatuor Cicero in Hortensio loquitur, & dicit in beata futura vita non esse necessarias, & non esse opus de ipsis, ibi non erit opus eloquentia, cum nulla iudicia fient, non fortitudine, quia nullus labor, vel periculum ibi erit, non iustitia, quia ibi nihil alienum appetendum, nō Temperantia, quia ibi nullæ libidines, non Prudentia, quia ibi non bona, & mala sunt eligenda, sed oīa bona, vna igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, qua sola ēt Deorum est, vita laudanda. Tamen dicere possumus, quòd si in illa felicitate Deo regenti esse subditum, si iustitiæ est, iustitia est omnino immortalis, nec in illa beatitudine esse desinet, sed talis ac tanta erit, vt perfectior, & maior esse non possit. Fortassis erunt, & tres aliæ virtutes in beata vita, videlicet Fortitudo, Temperantia, & Prudentia, vt Prudentiæ in illa felicitate sit nullum bonum Deo præponere, vel æquare, Fortitudinis ei firmissime cohærere, Temperantiæ nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit iustitia in subueniendo miseris, quod Prudentia in præcauendis insidijs, quod Fortitudo in perferendis molestijs, *Eod. lib. cap. 9.*

quod Temperantia in cohercendis delectationibus prauis, non ibi erit: vbi omnino nihil mali erit.

QVÆST. CCLXIII.

QVomodo mens humana sit imago deificæ Trinitatis, idest imago reformata.

Eod. li. c. 12. & 14. RESPOND. Trinitas mentis humanæ, non propterea Dei est imago, quia sui meminit, & intelligit, ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare eum a quo facta est. Quod si facit, sapiens fit, si autem non facit, etiam cum sui meminit seseque intelligit, ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat atque diligat. Si enim mens humana se diligit, & Deum diligit, & quę non diligit Deum, nec se diligit, licet secundum quòd ei naturaliter inditum est, se diligat, tamen non inconuenienter, odisse se dicitur, cum id agit, quod sibi aduersatur, et seipsam tamquam suam inimicam insequitur. Si autem diligit se, vt debet, etiam si meminit, et intelligit, quia nemo diligit, cuius non meminit, et quod penitus nescit. Vnde taliter mens humana condita est, vt nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligat.

QVAEST. CCLXIIII.

ANima ex quibus fit misera, et ex quibus fit beata.

Eod. lib. cap. 15. RESPON. Anima nostra cum sit mutabilis dum in hac vita manet. Ideo ex beata vita, misera, et ex misera, beata effici potest. Et quid eam facere potest miseram, nisi peccatum suum, et iustitia Domini sui? Et quid eam faciet beatam, nisi meritum suũ, et præmium domini sui?

QVÆST. CCLXV.

VNde prouenit, quòd mali homines, bene iudicant, et multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus, licet sint mali.

Eod. lib. cap. 15. RESPON. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus

bus vident, quemadmodum quiſque viuere debeat, etiam ſi nec ipſi eodem modo viuant. Vbi eas vident? non in ſua natura, cum proculdubio mente iſta videantur, & mentes eorum ſunt mutabiles, & hę regulę immutabiles. Et etiam hæ regulæ ſunt iuſtitiæ, & mentes eorum ſunt iniuſtę. Vbi ſunt ergo iſtę regulę ſcriptę, vbi quid ſit iuſtum, & iniuſtum agnoſcitur? Vbi cernit habendum eſſe quod ipſe non habet? Vbi ergo ſunt ſcriptę, niſi in libro lucis illius quę veritas dicitur. Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam non migrando, ſed tamquam imprimendo, transfertur, ſicut imago ex anullo & in cerã tranſit, & anullum non reliquit. Qui vero non operatur, & tamen videt quod operandum ſit, ipſe qui ab illa luce auertitur a qua tamen tãgitur. Qui autem nec videt, quemadmodum ſit viuendum, excuſabilius quidem peccat quia non eſt tranſgreſſor incognitę legis, ſed etiam ipſe ſplendore aliquoties, vbique pręſentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

QVÆST. CCLXVI.

AN renouatio interrioris hominis fiat in inſtanti vel momento, quemadmodum in baptiſmo, fit renouatio illa remiſſione omnium peccatorum.

RESPON. Apoſtolus ad Colo. 3. perſuadet nos, expoliari vetere hominẽ & indui nouo, vt renouemur in agnitione Dei, ſecundum imaginem ſuã: ſane hęc renouatio, non momento vno fit ipſius noſtrę conuerſionis, ſicut momento, vna fit illa in baptiſmo renouatio remiſſione omnium peccatorum, neque vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur, ſed quemadmodum aliud eſt carere febribus, aliud ab infirmitate quę febribus facta eſt reualeſcere, itemque aliud eſt infixũ telum de corpore demere, aliud vulnus, quod eo factum eſt ſecunda curatione ſanare, ita prima curatio eſt cauſam remouere langoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, ſecunda ipſum ſanare langorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Quę duo demonſtrantur in Pſal. 102. vbi dicitur. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus, quod fit in baptiſmo. Deinde ſequitur. Qui ſanat omnes langores tuos, qđ fit quotidianis acceſſibus, cum hæc imago renouatur. De qua re Apoſtolus clare di-

Eod. lib. capi. 17.

cit.

cit. Est exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renouatur de die in diem, & transfert amorem a temporalibus ad ęterna a visibilibus ad inuisibilia, vt tandem multis gradib. ad Dei perfectum amorem perueniat, hæc renouatio de die in diem perficietur in visione Dei facie ad faciem in cœlo, nunc autem perficit per speculum in ęnigmate. Propter huius perfectionem dicit Ioan.
1. Io. 3. similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

QVAEST. CCLXVII.

QVid sit videre Deum per speculum in ęnigmate quid est hoc speculum, in quo videtur Deus in hac mortali vita.

De Trin. lib. 15. c. 8. & 9. RESPON. Quale sit, & quòd sit hoc speculum si quęramus, profecto illud occurrit quod in speculo nisi imago non cernitur, speculum ergo in quo videmus Deum, sumus nos, quia id nobis, est Dei imago, quę in mente nostra descripta est, quomodo autem in ænigmate videatur, hoc est, ad intelligendum difficile. Nam ęnigma est tropus quidam visitatus in sacris scripturis, qui dicitur ẽt allegoria, nam oẽ ęnigma allegoria est, sed non oĩs allegoria est ęnigma. Et allegoria non est nisi tropus idest modus loquendi, vbi ex alio aliud intelligitur. Et ideo vt breuiter explicem quid sit ęnigma dico, quòd est allegoria obscura, perinde ergo quantum
2. Corin. 13. mihi videtur, sicut nomine speculi Apostolus imaginem voluit intelligi ita nomine ęnigmatis quamuis similitudinem, tamen obscuram, & ad perspiciendum difficilem.

QVAEST. CCLXVIII.

ANgeli cum Deo nuntiant hęc nostra inferiora, scit ne Deus antequam ei nuntient, & si scit, quare nuntiant.

Eod. lib. cap. 13. RESPON. Habet enim Deus nuncios idest Angelos non tamen, qui ei quę nescit annuntient. Non enim sunt vlla quæ nesciat, sed bonum ipsorum angelorum est, de operibus suis eius consulere veritatem, & hoc est quod ei dicuntur nonnulla nuntiare, non vt ipse ab eis, discat, sed vt ab illo ipsi per verbum eius, sine corporali sono, nuncient quod voluerit, ab eo missi, ad quos voluerit, totũ ab illo per verbũ eius audientes. i. in eius veritate inueniẽtes, quid sibi faciendum, quid quibus, & quando nuntiandum sit.

QVAEST.

QVAEST. CCLXIX.

AN specialiter tota Trinitas diuina, dicatur charitas, cum dicatur Deus est charitas, an tertia persona, idest Spirtus. S. proprie dicatur charitas, sicut sola prima persona dicitur pater, & filius Sapientia & Spiritus. S. donum Dei. *1. Io. 4.*

RESPON. Sicut ergo vnicum Dei verbum, proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit vniuersaliter & pater & Spiritus. S. ipsa sapientia, ita Spiritus. S. proprie nuncupatur vocabulo charitatis cum sit vniuersaliter charitas pater & filius & Spiritus. S. Vnigenitus Dei filius aperte ab Apostolo dictus est sapientia Dei, vbi ad Cor. dicit Christū Dei virtutem, & Dei sapientiā. Ab Apostolo vero etiam S.S. dr̃ charitas, nā ibi multa loquitur de dilectione, & ibi dicit, ꝙ Deus est charitas, & ēt ꝙ charitas est ex Deo: Sed ex Deo non nisi filius, & S. S. Quia filius natus est ex patre, & S. S. ab vtroque procedit, de quo ergo dicit, quòd charitas, est ex Deo an de filio, an de Spiritu. S. inferius manifestat cū dicit, in hoc cognoscimus, quòd in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis, hoc autem facit dilectio, ipse est igitur Deus dilectio, siue charitas: Denique paulopost cum hoc ipsum repetisset, atque dixisset. Deus charitas est cótinuo subiecit, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, ad significandum Spiritum. S. qui facit nos in Deo manere, ergo Spiritus. S. proprie dicitur charitas. *Eod. lib. cap. 17.* *1. Cor. 1.* *1. Io. 4.*

QVÆST. CCLXX.

QVid sit fides catholica, vt explicetur quæro.

RESPON. Est autem fides catholica hæc. Dominum patrem omnipotentem vniuersam creaturam fecisse, atque constituisse per filium suum vnigenitum, idest sapientiam & virtutem suam consubstantialem sibi & coeternam in vnitate Spiritus. S. & ipsius consubstantialis, & coeterni. Hanc ergo Trinitatem dici Deum, eumque fecisse & creasse omnia quę sunt, inquantum sunt, catholica disciplina dici iubet, ita vt creatura omnis non de Dei natura, sed de nihilo sit facta, nihilque in ea esse, quod ad Trinitatem perti

neat,

neat, nisi quòd Trinitas condidit, ista condita est. Quapropter omnem creaturam neque consubstantialem Deo neque coęternam fas est dicere atque credere. Esse autem omnia quæ fecit bona valde, mala vero non esse naturalia, sed omne quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum, nisi prauum liberę voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea quę iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere, idest non in rebus istis, sed in vsu earum legitimo, vsus autem rerum est, legitimus vt anima in lege Dei maneat, & vni Deo plenissima dilectione subiecta sit, & cœtera sibi subiecta sine cupiditate aut libidine ministret, idest secundum præceptum Dei, ita enim sine difficultate & miseria, & cum summa facilitate & beatitudine administrabit, pœna vero peccati est, cum ipsis creaturis non sibi seruientibus cruciatur anima, cum Deo ipsa non seruit, quę creatura illi obtemperabat, cum ipsa obtemperabat Deo, itaque non esse ignem malum, quia creatura Dei est, sed tamen vri eo imbecillitatem nostram ex merito peccati. Dici autem peccata naturalia, quę necesse est, committi, ante misericordiam Dei, postquam in hanc vitam per peccatum liberi arbitrij lapsi sumus, renouari hominem per Iesum Christum cum ipsa ineffabilis, atque incõmutabilis Dei sapientia totum plenumque hominem suscipere dignata est, & nasci de Spiritu.S. ex Virgine Maria, crucifigi, & sepeliri, & resurgere, & ascendere, in cœlum, & quod iam factum est, & venire ad iudicandos viuos, & mortuos, in fine seculi, & resurrectionem mortuorum in carne, quod adhuc futurum prędicatur, datum esse Spiritum.S. credentibus in eo, cõstitutam ab illo matrem ecclesiã, quæ catholica dicitur, ex eo quia vniuersaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est, remissa esse pœnitentibus priora peccata & vitam æternam cœlorumque regnum promissum.

QVAEST. CCLXXI.

QVot modis potest exponi sacra scriptura.

Eod. lib. c.2. RESPON. Quatuor modi a quibusdã scripturarum tractatorib. traduntur legis exponẽdæ, ſm historiã, ſm allegoriã, ſm analogiã, ſm etymologiam. Hystoria est, cũ siue diuinitus, siue humanitus res gesta commemoratur. Allegoria cum figuratę dicta intelliguntur, Analogia cum veteris & noui testamentorum congruentia

gruentia demonstratur, etymologia cum dictorum factorumque causę redduntur.

QVÆST. CCLXXII.

QVid sit imago quęro, & an omne quod alicui est simile sit eius imago.

RESPON. Omnis imago similis est ei cuius est imago, nec tamen omne quod simile est alicui etiam imago est eius, sicut in speculo vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt, tamen si alter ex altero natus nō est, nullus eorum imago alterius dici potest, imago enim tunc est cum de aliquo exprimitur. *Eod. lib. cap. 16.*

QVAEST. CCLXXIII.

QVot sunt, propter quæ Deus amat suam creaturam.

RESPOND. Duo quippe sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam, vt sit, & vt maneat, vt ergo esset quod maneret, spiritus Dei superferebatur super aquas vt habetur Geni. 1. vt autem maneret, vidit Deus cuncta quæ fecerat, quod bona sunt. *De Gen. ad lit. li. 1. ca. 8.*

QVAEST. CCLXXIIII.

QVomodo Deus operetur.

RESPON. Sed ante omnia meminerimus, non temporalibus, quasi animi sui aut corporis motibus operari Deum, sicut operatur homo, vel Angelus, sed æternis atque incōmutabilibus, & stabilibus rationibus coęterni sibi verbi sui, & quodam, vt ita dixerim, flactu, coęterni sancti spiritus sui. *Eod. lib. cap. 18.*

QVÆST. CCLXXV.

QVare vas plenum aere cum ore deorsum versus in aquam immersum, in ipsum, aqua intrare non potest.

RESPON. Hoc ideo euenit quia aer tenet locum superiorem ab ipsa aqua quia enim superiori parte non inuenit emigrandi locum, deorsum versus irruptis aquis subter eas, aerem in vase positum, *De Gen ad lit. c. 2.*

tum, natura ire sinitur, plenitudine sua repellit eas, & in vas nõ per mittit intrare, cum autem vas ita collocatur, vt os non habeat deor sum, sed in latus inclinatũ, intrat aqua inferius aere exeũte supius.

QVAEST. CCLXXVI.

AQuas super cœlos esse vt in Genes. 1. dicitur quomodo probantur esse.

Eod. lib. cap. 5. RESPON. Stella enim Saturni est frigidissima, & circulum suum signiferum peragit per 30. annos, sicut sol per annum, luna per mensem, eo quòd superiore ac per hoc ampliore ambitu graditur, sed cum hæc stella sit frigidissima deberet tamen esse calidissima quia est proximior cœlo quod mouetur rapidissimo, & velocissimo cursu ex quo quidem motu velocissimo, deberet calefieri valde, nam cum moles rotunda circulari motu mouetur, interiora eius tardius eunt, & exteriora velocius vt vtrumque simul peragant gyrum. Et ideo cum sit hæc stella circa exteriora cœli quæ velocius currunt deberet vtique calefieri in contrarium rotata motu cęli velocius, & tamen est frigida, & non propter aliud nisi propter aquas super cœlos constitutas quibus nimis vicina est, & ipsæ sunt aquę congelatæ, & frigidæ ideo &c.

QVAEST. CCLXXVII.

QVomodo luna facta sit an plena an semiplena, & ratio quæsiti est, quia aliquando a nobis videtur parua, aliquando magna, aliquando semiplena.

Eod. li. c. 15 RESPON. Luna enim perfecta facta est. Vnde licet in ea lumem crescat, vel perficiatur, vel minuatur, non luminare ipsum, sed illud quod accenditur, variatur, si autem ex vna spherulæ suę parte semper lucet, sed dum eam partem conuertit ad terram donec totam cõuertat, quod a prima vsque ad quartam decimam fit, crescere videtur, semper est plena, sed terrę habitatoribus non semper apparet. Hęc eadem ratio est, & si solis radijs illustratur. Non enim potest etiam sic cum soli proxima est, nisi cornibus lucidis apparere, quia cętera pars quæ tota in orbem illustratur, non est ad terras, vt videri possit, nisi cum soli contraria est, vt totum terris appareat, quod eius illuminatur.

QVAEST,

QVAEST. CCLXXVIII.

QVomodo quinque sensus nostri, comparantur, cum quatuor elementis.

RESPON. Quidam, enim subtilissime considerantes, ita distinguūt quinque sensus corporis secundum vsitata quatuor elementa, dicentes oculos ad ignem, aures ad aerem pertinere, olfaciendi atque gustandi sensum, naturæ humidæ attribuunt, & olfactum quidem, istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, in quo aues volitant. gustum vero istis fluxibilibus, & corpulentis humoribus: Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscentur, vt sapiant, etiam si arida cum acciperētur fuisse viderētur, ignis tamen omnia penetrat, vt motum in eis faciat. Nam & humor priuatione caloris congelascit, & cum possint frigescere cętera elementa, ignis frigescere non potest, facilius quippe extinguitur vt ignis, non sit, quàm frigidus maneat, aut sit alicuius frigidi contactu tepidior. Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit, proinde per totum corpus animantis, quod maxime est terrestre quæcumque tacta sentiuntur. Dicunt etiam nec videri sine igne posse aliquid, nec tangi sine terra. Ac per hoc elementa omnia in omnibus inesse, sed vnumquodque eorum, ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum, ideo autem caloris priuatione, cum corpus nimiū frigescit obtundi sensum, quia motus pigrescit qui ex calore corpori inest, dum ignis aerem, & aer humida, & humor terrea quæque afficit subtilioribus. s. crassiora penetrantibus. Quanto autem quidque subtilius est in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spirituali, quamuis longe distante genere, quando quidem illud corpus est, illud non est. Ac per hoc quoniam sentire non est corporis, sed animę per corpus licet accute disseratur secundū diuersitatem corporeorum elementorum, sensus esse corporis distributos, anima tamen cui sentiendi vis inest cum corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi, inchoat itaque motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem peruenit. In visu enim peruenit represso calore, vsque ad eius lucem, in auditu vsque ad liquidiorem aerem calore ignis penetrat, in olfactu autem transit aerem, purum & peruenit, vsque

De Gen. ad lit. li. 3. c. 4.

ad

ad humidam exhalationem, vnde crassior hæc aura subsistit. In gustu autem transit, & peruenit vsq; ad humorem corpulentiorē, quo etiam penetrato atque traiecto, cum ad terrenam grauitatem peruenit, tangendi vltimum sensum agit.

QVÆST. CCLXXIX.

PIsces habent ne memoriam? & hoc quærere non est, inutile.

Eod. lib. cap. 8. RESPON. Certissimum est pisces habere memoriam, qđ sic expertus sum. Vidi enim homines ad quendam magnum fontem bullensium regionum plenum piscibus, iacere multotiens panem, vel aliquid aliud ad comedendum ipsis piscibus. Quo pastu assuefacti, deumbulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando, eunt & redeunt, expectantes, vt inde aliquid iactent, quorum præsentiam sentiunt, & hinc cōuincitur illos memoriam habere.

[QVAEST. CCLXXX.]

AN demones habeant corpora, & si sic, quæ corpora, & quare tandem non moriuntur, & vbi habitabant ante transgressionē, & modo post transgressionem vbi habitant, vsque ad diē iudicij.

Eod. lib. cap. 9. RESPON. Quapropter, & si demones aerea sunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent: & propterea morte non dissoluuntur, quia præualet in eis elementum, quod ad faciendum, quàm ad patiendum est aptius, duobus subterpositis, aqua scilicet & terra, vno autem superposito, idest igne sidereo. Distribuuntur enim elementa ad patiendū duo, humor, & humus, ad faciendum autem alia duo, aer & ignis, aeris sunt duæ partes, vna pura, altera caliginosa, prima superior, secunda inferior, superior enim propter puram tranquillitatem, cœlo cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur, in qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam, transgressores Angeli, cum principe suo, nunc diabolo, tunc Archangelo. Nam nonnulli nostri, non eos putant cœlestes, vel super cœlestes Angelos fuisse, non mirum si post peccatum, in hanc sunt detrusi caliginem, vbi tamen & aer sit, & humore tenui contexatur, qui commotus ventis, & vehementius concitatus, etiam ignes, & tonitrua, &

contractus

contractus nubila,& cõſpiſſatus pluuiã, & congelãtib. nubib. grãdinẽ,& diſtẽtus ſerenũ facit. Occultis imperiis,& opere Dei a ſummis ad infima vniuerſa,quæ creauit adminiſtrantis. Si autẽ tranſgreſſores illi,antequam tranſgrederentur cęleſtia corpora gerebãt, neq; hoc mirũ eſt,ſi conuerſa ſunt ex pœna in aereã qualitatem. Vt iã poſſit ab igne.i.ab elemento naturæ ſuperioris aliquid pati, nec aeris ſaltẽ ſpatia ſuperiora, atq; puriora, ſed iſta caliginoſa tenere permiſſi ſunt,qui eis pro ſuo genere,quaſi carcer eſt,vſque ad tempus iudicij,& de hac materia aliàs clarius dicetur.

QVAEST. CCLXXXI.

AN homo generaſſet filios eo modo quo nunc̃, ſi nõ peccaſſet.

RESP. Creſcite & multiplicamini,& implete terrã. Dixit Gen. 1. Quamquam niſi per concubitũ maris & fœminæ,fieri non poſſe videatur, vnde hinc quoq; mortaliũ corporũ extitit indiciũ: põt tñ dici alium modũ eſſe potuiſse in corporib. immortalib. vt ſolo pię charitatis affectu nulla corruptionis cõcupiſcentia filij naſcerentur,nec mortuis parentibus ſuccesſuri, nec ipſi morituri do nec terra immortalibus hominibus impleretur,ac ſi inſtituto iuſto ac ſancto Dei populo, quale poſt reſurrectionem futurum credimus,naſcendi etiam modus fieret. *Eod. lib. cap. 21.*

QVAEST. CCLXXXII.

QVomodo Deus quieſcat, & operetur, & ſi die ſeptimo quieuit,qũo vſq; nunc operatur? vt Io. 5.habetur.

RESPON. Sicut.n. rectè dr̃ Deus facere quidquid ipſo in nobis operante fecerimus, ita rectè Deus dr̃ requieſcere,cũ eius munere requieſcimus.Hoc quidẽ rectè intelligimus, quia & verũ eſt, & nõ magna intentione indiget,vt videamur, ita dicere requieſcere Deum,cũ nos requieſcere facit,ſicut dr̃ cognoſcere, cũ efficit, vt cognoſcamus.Neq; enim temporaliter cognoſcit,quod antea non nouerat,& tamen dicit Abrahã.Gen.22. Nunc cognoui, ꝙ timeas Deum.i.nunc feci,vt cognoſceretur,ſed cũ die ſeptimo Deus quieuerit,qũo in Ioan. 5. dicitur pater meus vſque modo operatur,niſi q̃a in die ſeptimo requieuit à cõdendis generib.creaturæ, q̃a vltra iã nõ cõdidit aliqua genera noua,deinceps vſq; nũc, & tñ vſq; modo operatur eorundem generũ adminiſtrationẽ,nam mundus,nec ictu oculi ſtare poterit,ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. *De Gen. ad lit. li. 4.ca.9.*

QVÆST. CCLXXXIII.

QVare Deus sanctificauit diem septimum in quo requieuit, vt Gen. 1. habetur, & non sanctificauit alios sex dies in quibus operatus est.

Eod. lib. cap. 15. RESPON. Cum Deus nihil auxerit suam beatitudinem vel gloriam ex creaturis, sed tam sit beatus post creationem quàm antea, & ecōuerso, ideo sanctificauit diē in quo requieuit, & nō alios, vt non crederetur, si eos sanctificasset beatiorem fuisse ex operibus factis, sed tātum diem requietionis, vt sciretur sic esse antea beatū quādo non operabatur ad creandū sicut post, qn̄ nec etiā operatur post creatū mundū: Pōt ēt dici quod per hoc voluit significare, suā requiem non percipi nisi a perfectis, cum ad eam imitādam, non deputauit diem nisi qui perfectionē rerum omnium sequebatur.

QVAEST. CCLXXXIIII.

QVomodo Angeli sciunt, quę sciunt, circa creaturam & quomodo differat mens humana a mente angelica in cognitione rerum.

Eod. lib. cap. 24. 29. & 32. RESPON. Cum sancti Angeli semper videant faciem Dei filioque eius vnigenito, sicut patri ęqualis est, perfruātur, in quibus prima oīum creata est sapientia, proculdubio omnia cętera in verbo ęterno prius nouerunt, in quo verbo sunt omnium ēt quę temporaliter facta sunt, ęternę rationes, tanquam in eo per quod factę sunt, secundario nouerunt in creatura, referentes tamen eā in laudem creatoris, in cuius incōmutabili veritate rationes s̄m quas facta est principaliter vident: Illa prima cognitio vocatur matutina, hæc secunda vespertina. Et tn̄ hæc secunda non remanet in vespera quia non firmantur in creatura, sed statim referunt in laudem Dei. Vnde dicimus q̄ S. Angeli pn̄t hæc tria simul facere, & faciūt, .i. cōtuentur & rationes creaturarū in verbo, & simul non ignorāt creaturas, sed & eas contuentur, & insimul ad laudem creatoris referunt, vt simul habeant & vesperam & mane. Vnde hic est considerandа differentia inter mentem angelicam & mentem humanā in cognitione rerum, nam mens humana, quę facta sunt prius per sensum corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanę modulo capit, & deinde quęrit eorū causas si quo modo

possit

possit ad eas peruenire principaliter atq; incõmutabilirer permanentes in verbo Dei, ac sic inuisibilia eius per ea quæ facta sunt cõspicere Ro. 1. & hoc cum magno labore, & magna tarditate agit, propter corpus corruptibile quod corrumpitur, & aggrauat animam Sapient. 9. Mens vero angelica, pura charitate inhęrens verbo Dei, posteaq̃. in illo ordine creata est, vt p̃cederet cœtera, prius ea vidit in verbo Dei faciẽda, quã facta sunt, minore vero cognitione q̃ vespera dicta est, postea quã facta sunt vidit in sua natura.

QVÆST. CCLXXXV.

AN Deus habeat prouidentiam circa hęc inferiora.

RESPON. Non enim audiendi sunt qui putauerunt tantũ modo eas sublimes mundi partes, idest a confinio corpulentioris aeris huius, & supra diuina prouidentia gubernari, hanc autem imam partem terrenam & humidam, casibus potius & fortuitis motibus agitari: Cõtra hos loquitur Psal. 148. cum dicit, laudatæ dominum de terra dracones & omnes abyssi, ignis grando nix glacies, & spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius, dicit quæ faciunt verbum eius, vt ostendat harum rerum, terrenarũ ordinem diuino subditum imperio, & Saluator Matth. 10. dicit nõ cadere vnum passerẽ sine Dei voluntate, vnde patet ẽt vilissima diuina prouidentia regi.

De Gen. ad lit. li. 5. ca. 21. & 22.

QVAEST. CCLXXX.

ADam quantum ad corpus in illa prima sui creatione quomodo factus est, in qua ętate, & in qua statura.

RESPON. Quod Deus fecerit hominem corporalibus manibus de limo, nimium puerilis cogitatio est, cum Deus non habeat membra corporalia, & si scriptura dicat Deum multa suis manibus fecisse, hoc est intelligendum, quòd pro potestate, & virtute Dei, positum est huius membri nomen. Et ideo illi non sunt audiendi, qui dicunt hominem potius excellere alia inferiora in hoc quòd cœtera verbo facta sunt, dixit enim & facta sunt, hunc autem ipse facit, cum potius sit Dei pręcipuum opus, quia ad suam imaginem factus est, & non cœtera animalia, quæ imago pertinet ad animam eius, licet & quantum ad staturam erectam corporis, habeat quandam excellentiorem proprietatem, quam non habent cętera animalia quę sunt prona ad terram vt tantum terrena sapiant, ho-

De Gen. ad lit. li. 6. c. 12. 13. 14. 15. 24.

mo ad cœlum erectus, vt cœlestia contempletur, sed etiam vt creditur factus est Adam, sine vllo progressu incrementorum.i. in virili ętate, qñ non amplius crescit homo: quando etiam factus est, non corpus spirituale habuit, sicuti in resurrectione credimus habere, sed corpus animale, quale & nos nunc habemus, & hoc manifestat Apostolus. 1.Cor. 15.dum dicit. Factus est primus homo Adam in animã viuentem, nouissimus Adam in spiritũ viuificantem: sed nõ primum, qđ spiritale est, sed quod animale, postea spiritale, primus homo de terra terrenus, secũdus homo de cœlo cœlestis, &c. Sed dicet aliquis, si Adã ante peccatũ habebat corpus animale, quomodo ergo renouamur per Christũ, si non ad hoc redeamus, qđ in Adam prius eramus, nam si corpus animale habebat, nec spiritale erat, qđ etiã arguit hoc, qđ de cibis Paradisi comedebat, cum corpora spiritalia non indigeant cibo, quomodo ergo renouamur per Christũ, si corpus animale habebat. Ad hæc dicitur, ꝙ cum incorporamur Christo per fidem, nõ immortalitatẽ corporis spiritalis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renouabimur ergo a vetustate peccati, nõ in pristinum corpus animale, in quo fuit Adã: sed in melius.i. in corpus spiritale, cum efficiemur equales Angelis Dei, in illa cœlesti habitatione, vbi nõ egebimus esca, q̃ corrumpitur. Renouabimur igitur spiritu mentis nostræ, secundum imaginẽ eius, qui creauit nos, quam peccando Adã perdidit. Renouabimur etiam carne, cum hoc corpus corruptibile fiet spirituale, in quod nondũ mutatatus, sed mutandus erat Adam: nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset. Nam Adam ante peccatũ habebat corpus mortale, & immortale, mortale quia poterat mori ex conditione corporis animalis: immortale ex beneficio cõditoris, idest quia ei hoc præstabatur ex ligno vitæ. Neq; enim immortale, quod mori omnino non possit erit nisi spiritale, quod nobis promittitur in resurrectione, & ex his patet differentia inter corpus Adę ante peccatum, & nostrum, quia licet suum & nostrum sit animale, tamen multo est deterius nostrum, hẽt.n.necessitatẽ moriẽdi, qđ illud nõ habuit, in Christo ergo renouamur secundum id qđ amisit Adã.i. secundum spiritum mẽtis nostræ: ſm aũt corpus, quod seminatur animale, & resurgit spiritale in melius renouabimur, qđ nõdũ fuit in Adã, ſm hanc ergo sñiam corpus animale habuit Adã ante peccatum, licet in interiore homine fuerit spiritalis.

QVAEST.

QVAEST. CCLXXXVII.

AN præſciat Deus futura, & ſi præſcit aliquid futurum, an omnino ſit futurum.

RESPON. Neceſſario futurum eſt, quod Deus vult, & ea vere futura ſunt, quæ ille præſciuit. Nam multa ſecundum inferiores cauſas, futura ſunt, ſicut in præſcientia Dei ſunt, ſed ſi ita ſunt, & in præſcientia Dei, verè futura ſunt. Si autem ibi, aliter ſunt, ita potius futura ſunt, ſicut ibi ſunt, vbi qui præſcit falli non poteſt. Nã Ezechias, vt Eſa. 38. habetur ſecundum cauſas inferiores futurorũ, moriturus erat, cui tamen Deus addidit. 15. annos ad vitã, & Deus fecit in Ezechia, quod ante conſtitutionem mundi præſciuit ſe facturum, & in ſua voluntate ſeruauit. Non ergo id fecit, quod futurum non erat: hoc enim magis erat futurum, quod ſe facturũ eſſe prẹſciebat: Et tamen verum eſt, quòd addidit 15. annos ad eius vitam. Ex quo clarè patet, quòd ſecundum cauſas inferiores iam vitam finierat ſecundũ illas autem, quæ ſunt in voluntate, & præſciẽtia Dei, qui ex ẹternitate nouerat, quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitã, quando finiuit vitam. Quia & ſi oranti conceſſum eſt, etiam ſic eum oraturũ, vt tali orationi concedi oporteret, ille vtiq; prẹſciebat, cuius pſcientia falli non poterat, & ideo, quod præſciebat neceſſario futurum erat. *Eod. lib. cap. 17.*

QVAEST. CCLXXXVIII.

QVo eſt potiſſima cauſa rerum.

RESPON. Voluntas Dei eſt cauſa omnium rerum, quia nunquam contra ſuam voluntatem facit. *Eod. li. c. 18*

QVÆST. CCLXXXIX.

ANima humana quomodo facta eſt, & an ſit de ſubſtantia Dei, & Si non de qua materia ſit facta, an ex nihilo ſit creata.

RESPON. Quidam putauerunt animam eſſe de Dei ſubſtantia, quia dicit ſcriptura, quòd inſufflando fecit eam Deus, et ideo quia flatus Dei eſt de ſubſtantia ſua, et anima etiam, ſed hæc ſententia eſt contra catholicam fidem, quia naturam *De Gen. ad lit. li. 7. ca. 2.*

Dei est incommutabilis, & animæ natura mutabilis, sed fecit eam non de natura sua, quia sicut homo cum sufflat non eijcit aliquid de sua substantia, ita Deus. Dicamus etiam quòd Deus non habet corpus, & ideo non sufflat, sed est modus loquendi scripturæ, De qua materia ergo facta est? non de anima irrationali, quæ vt quidã voluerunt fuit materia humanæ animæ, & hoc est falsissimũ. Forsitã factã esse dices de aere, aut de igne, sed nec hoc est verum, cũ oĩa eleméta sint corporea, & omne quod ex eis fit, necesse est, vt sit corporeũ, anima autem est incorporea: nec etiam habet spiritum Angelicũ parentem, vt sicut hoĩes sunt parentes corporum suæ prolis, ita & Angeli animarum, sed hoc est valde durum dicere animã filiã esse Angelorum. Quid dicemus ergo? certè hoc est tenendum, ꝙ anima sit spiritus à Deo factus ex nihilo, immortalis, incorporeus, immortalis secundum quendam modum vitæ, idest, quia nunquã moritur, secundum quãdam vero mutabilitatem, qua potest vel deterior, vel melior fieri, etiam mortalis potest dici, quoniam verã immortalitatem, solus Deus habet de quo Apostolus. 1. Timot. 6. dicit, qui solus habet immortalitatem: & sic non est corpus, nec de Dei substantia, nec de aĩa irrationali, & hæc est veritas inconcusse tenenda, sed quia Gen. 2. dr̃ ꝙ Deus post opera sex dierũ insufflauit aĩam in corpus hominis, vt videatur facta esse, post cœteras creaturas, & postquam Deus requieuit die septimo, & cũ nihil noui factũ sit, nec fiendum est, post illã vniuersalẽ creationem, & si fit aliquid, hoc. n. primo factum est in materia, vel in quibusdã rationibus causalib. vt omnino de nouo nõ fiat. Quæritur ergo, & iã quæsiuimus, qũo anima sit facta, post illã vniuersalem creationem, nam oportet dicere, ꝙ primo erat facta in aliqua materia, vel in quibusdam causalibus rationibus, & hæc fuit ratio, quare quæritur de qua materia sit facta, sed Augustinus sic respondet, non affirmando sic esse omnino, sed secundum meliorem opinionẽ dicendo. Certè humanæ opinioni tollerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operib. q̃ simul omnia creauit, aĩam & humanam creasse, quam suo tempore corpori inspiraret, cuius corporis in illis simul conditis reb. rationẽ creasset causaliter, secundum quam fieret, cũ faciẽdum esset corpus humanum. Hæc responsio præsupponit, ꝙ Deus omnia simul creauit, secundum dictum Eccl. 18. & si nõ distinctè, vt modo sunt, saltem in materia, vel suis causis. Quæritur etiã si aĩa compulsa est intrare in corpus, vel volens sit ingressa. Et ad hoc dicitur, ꝙ melius

lius creditur, hoc naturaliter velle, id est, in ea natura creari, vt velit, ſicut naturale nobis eſt velle viuere, male autem viuere non eſt iam naturæ, ſed peruerſæ volutatis, vnde patet, quòd inclinationem naturalem habet ad corpus.

QVAEST. CCXC.

AN Paradiſus in quo fuit poſitus Adam ſit tetreſtris tantum vel ſpiritualis tantum, vel vtrunque.

RESPON. De hac re tres ſunt quaſi generales ſententiæ, vna eorum, qui tantum modo corporaliter Paradiſum intelligere volunt. Alia eorum, qui tantum ſpiritualiter. Tertia eorum qui vtroque modo Paradiſum accipiunt. Breuiter ergo, vt dicam. tertiam mihi fateor placere ſententiam, quia & corporaliter Paradiſus, id eſt terreſtris datur, vbi homo terrenus poſitus eſt, & ſpiritualiter datur, quia figuratè quidquid in eo eſt continetur, vt verbi gratia dicamus, quòd lignum vitæ figurat Chriſtum, ſiue ſapientiam, vnde illi, qui concedunt tantum figuratè dictum, & non corporaliter, quare non poſſunt etiam concedere figuratè factum, ſicut concedunt de Agar, & Sara, de Hiſmael, & Iſaac, hæc enim ſunt facta corporaliter, ſed etiam figuratè, ita dicatur de Paradiſo terreſtri. *De Gen. ad lit. li. 8. c. 1. & 5.*

QVÆST. CCXCI.

AN agricultura ſit opus honeſtiſſimum & digniſſimum.

RESPON. Poſuit Deus hominem in Paradiſo, vt operaretur illum. Gen. 2. ante peccatum, non vt damnaret ad laborem, cũ non peccaſſet, ſed vt ſe occuparet in delitijs agriculturæ. Magna eſt, apud quoſdam voluptas agricolandi, cum videmus eis magnã pœnam eſſe, inde ad aliud auocari. Quidquid ergo delitiarum habet agricultura, tunc vtique longe amplius erat, quando nihil accidebat aduerſi, vel terra, vel cœlo. Nõ erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluntatis. Vnde dicimus, quòd in agricultura datur materia Deum ſummè laudandi, cum ibi humana ratio loqui poteſt cum rerum natura, contemplando, quomodo ex ſeminibus, & plãtatis ſurculis, quidve poſſit, quidve nõ poſſit. Vnde hoc opere agri turæ. Quid innocentius vacantibus? & quid plenius. *Eod. lib. cap. 8.*

QVAEST. CCXCII.

QVot operationes in hoc mundo ipsius Dei inueniuntur.

Eod. lib. capi. 9.

RESPON. In mundo ipso, gemina prouidentiæ operatio reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, quæ etiã lignis, & herbis dat incremẽtum, voluntaria vero per Angelorum opera & hominum, secundum illam primam cœlestia superius ordinari, inferiusque terrestria lunaria syderaque fulgere. Diei noctisque vices agitari; aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aerem altius superfundi, arbusta, & animalia, concipi, & nasci, crescere, & senescere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur, in hac autem altera, signa dari, doceri, & discere, agros coli, societates administrari, artes exerceari, & quæque alia siue in superna societate aguntur, siue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis consulatur, & per nescientes malos: inque ipso homine eandem geminam prouidentię vigere potentiam, primo erga corpus naturale, scilicet eo motu quo fit quo crescit quo senescit, volũtarium vero quo illi ad victum, tegumentum curationemque consulitur, similiter erga animã naturaliter agitur, vt viuat, vt sentiat, voluntariè vero, vt discat, vt cõsentiat: sicut autem in arbore id agit agricultura forinsecus, vt illud perficiat quod geritur intrinsecus, sic in homine secũdum corpus ei quod intrinsecus agit natura, seruit extrinsecus medicina. Itemque secundum animam, vt nam beatificetur intrinsecus doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discendi segnitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis. Deus itaq; super omnia, qui cõdidit oĩa, & regit omnia, omnes naturas bonas creat oẽs volũtates iustas ordinat.

QVAEST. CCXCIII.

QVomodo Deus moueat omnem creaturam & etiam seipsum.

Eod. lib. cap. 18.

RESPON. Deus duplicem creaturam condidit spiritalem & corporalem, spiritalem corporali pręposuit eo, quòd spiritalis tantummodo per tempora mutari posset corporalis autem per tempora & loca. Exempli enim gratia per tempus mouetur animus, vel reminiscẽdo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat,

bat, vel volendo quod nolebat, per loca autem corpus, vel a terra in cœlum, vel ab oriente in occidentem, omne autem quod mouetur per locum, non potest nisi & per tempus simul moueri, sed nõ omne quod mouetur per tempus, necesse est, & moueri per locum. Vnde sicut substantia quæ tantum per tẽpus mouetur præcellit substãtiam, quę per tempus, & locum mouetur, ita ipsam præcellit quæ nec per tẽpus nec per locum mouetur, vt est Deus, qui mouet seipsum sine tempore, & loco. Vnde sicut conditus spiritus mouet corpus per locum & tempus, ipse tantum motus per tempus, ita Deus mouet spiritum conditum per tempus, & corpus per locum & tp̃s, ipso non moto nec per tp̃s, nec p locum, qũo autem hoc fiat discet ille, qui intellexerit quomodo anima nostra mota tantũ per tempus, moueat suum corpus per locum & tempus, ipsa non mota per locum, ꝙ anima moueat corpus per locũ, non indiget probatione, quia ad sensum patet, ꝙ vero ipsa nõ moueatur per locum patet ex hoc quia est incorporea, & solum corpus mouetur per locum.

QVAEST. CCXCIIII.

AN creatura corporalis sit subdita Angelis, & an natura vniuersitatis indigeat aliquo adiutorio, vel saltem pars vniuersitatis.

RESPON. Sublimibus Angelis Deo subdite fruẽtibus & beatę viuẽtib. subdita est oĩs, natura corpea, oĩs irrationalis vita, oĩs volũtas, vel infirma vel praua, vt hoc de subditis, vel cũ subditis agãt, quod naturę ordo poscit in omnibus, iubẽte illo cui subiecta sunt omnia: Deus enim primitus oĩa sibi subdit deinde creaturã corporalẽ creaturę spirituali, irrationalẽ rationali, terrestrẽ cęlesti, fœmineã masculinę, in voluntatibus aũt bonas volũtates sibi subiecit, cęteras vero sibi seruiẽtibus, & hoc patitur mala voluntas ex pœna vt creaturę sit subdita, q̃ si bona esset creatori tm̃ subderetur. Quãtũ ad naturã totius vniuersi dicimus ꝙ non indiget aliquo adiutorio corporali extrinsecus, q̃a extra eã nõ inuenitur vllũ corpus. Aliter non esset vniuersitas, intrinsecus vero adiuuatur incorporaliter Deo id agente vt omnino natura sit, quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia Ro. 11. partes vero vniuersitatis, & intrinsecus incorporaliter adiuuantur vel potius fiunt vt naturę sint, & extrinsecus corporaliter quo se melius habeant, sicut alimentis agricultura, medicina, & quæcumque etiam ad ornatum fiunt, vt non solum saluæ ac fœcundiores, verum etiam decentiores, *Eod. lib. cap. 24. & 25.*

sint

sint spiritualis autem creatura, si perfectè est beata, vt sancti Angeli, & sancti in cœlo sunt, quantum attinet ad seipsam, quo sit, sapiensque sit, non nisi intrinsecus incorporaliter adiuuatur, æternitate veritate charitate creatoris, intus ei quippe loquitur Deus miro & ineffabili modo. Extrinsecus vero si adiuuari dicenda est, eo fortassis solo adiuuatur, quòd seinuicem vident, & de sua societate gaudent in Deo, & quòd perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis, vndique gratias agit, laudatque creatorem.

QVAEST. CCXCV.

MVlier ad quod adiutorium hominis facta sit, cum Gen. 2. dicatur, quòd Adę non inueniebatur adiutorium simile sibi, & ideo fecit mulierem in adiutorium viri.

De Gen. ad lit. li. 9. c. 3. 8. & 11.

RESPON. Respondendo ad quem rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: sicut adiutorium semini, terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur, hoc enim & in prima rerum conditione, dictũ erat masculum & fœminam fecit eos, & benedixit dicens. Crescite & multiplicamini &c. Quæ ratio conditionis, & coniunctionis, masculi & fœminæ, atque benedictio, nec post peccatum hominis pœnamque defecit. Ipsa enim est secundum quam, nunc terra hominibus plena est dominantibus eius. Quamquam enim iam emissi de Paradiso conuenisse, & genuisse commemorentur, tamẽ non video, quid prohibere potuerit, vt essent eis etiam in Paradiso honorabiles nuptię, & thorus immaculatus, hoc Deo præstante, iuste fideliterque viuentibus, vt sine vllo inquieto ardore libidinis, sine vllo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gignerẽtur, & sic multiplicarentur. viuentes de ligno vitę, donec numerus sanctorum compleretur, & tunc postmodum, de corpore animali ad corpus spirituale perducerentur, & ideo non sunt audiendi, qui putant ideo post peccatum. illos primos parentes coijsse, & nõ ante, quia ante non genuissent ex coitu. Cum nihil prohibeat, quòd sicut ante peccatum poterant imperare cuilibet alio membro sui corporis, vt ageret suum officium, ita & membris genitalibus ad procreandos filios imperare potuisse: quæ in quolibet opere anima sine vlla molestia, & quasi pruritu voluptatis mouet. Cum ergo quæritur ad quod adiutorium, factus sit ille sexus viro, diligenter,

genter, quantum valeo, cuncta consideranti non nisi causa prolis occurrit, vt per eorum stirpem terra impleretur, non eo modo ante peccatum procreatam, idest cum libidine, & lege peccati, quæ est in membris nostris quo nunc procreantur homines, nam si facta fuisset mulier ad aliud adiutorium, verbi gratia, vt adiuuaret, ad operandum Paradisum. Melior fuisset masculus quam fœmina, sed ad procreandum filios melior est fœmina. Et ideo de costa viri facta est, vt comendaret vim ipsius coniunctionis mulieris cum viro ad procreandos filios.

QVÆST. CCXCVI.

QVare nunc temporis virginitas, sit tam magni honoris, & meriti.

RESPON. Cum prima mulier sit facta in adiutorium viri ad hoc tantum vt impleretur terra hominibus. Et ideo nunc temporis magnum magnique honoris meritum, apud Deum fidelis, & pia virginitas habet, nisi quia isto iam tempore continendi ab amplexu, cum ex omnibus gentibns ad implendum sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordide voluntatis libido non sibi vendicat, quod iam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat. *Eod. lib. cap. 7.*

QVÆST. CCXCVII.

MAtrimonio vtentes ad libidinem explēdam, an faciant connubium malum. Et quot sunt quę complectitur.

RESPON. Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinā turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis possit esse officium, sit egrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malū est ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonū, imò vero non pp illud malū, culpabile est hoc bonū, sed pp hoc bonū veniale est illud malū, quoniā id quod bonum habent nuptię, & quòd bonę sunt nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est fides, proles, sacramē tum, in fide attenditur ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur, in prole, vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur religiosę educetur, in sacramento autem, vt coniugium *Eod. lib.*

non

non separetur & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri cōiungatur. Hęc est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturę decoratur fœcunditas, vel incontinentię regitur prauitas.

QVAEST. CCXCVIII.

IN creatura quot modis, aliquid operari potest.

Eod. lib. cap. 17. & 18. RESPOND. Omnis res habet quasdam suas naturales leges, quas nec in spirituali creatura, mala voluntas potest excedere quia non potest nisi ꝙ ei naturaliter inditum est, non enim pōt mala voluntas hominis vt volet homo, quia volare non est homini naturale, in creatura ergo vno modo tantummodo potest operari quod ei inditum est, & concreatum a natura non enim de grano tritici potest nasci faba, naturaliter loquendo, quia excederet leges suæ naturę & istę modus rerum, quòd verbi gratia homo loqui posit, pecus non possit, illa herba germinet hoc semē, illa non, & vnumquodque tantum secundum suam naturam operetur. Horum & talium modorum rationes, non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditę atque concretæ, vt autem fiat operatio in creatura excedens leges suæ naturę, vt verbi gratia asina loquatur, homo volet, & talium similium. Hæc talia, quidem, licet creaturæ non sint indita, & concreata, tamen non possent fieri in ipsa, quando fiunt talia, nisi Deus dedisset talia posse fieri quando vult, vnde concluditur duos esse modos operandi per creaturam, vnus naturalis, & concreatus a natura. Alter & si non concreatus, tamen possibilis in ipsa quando Deus vult. Et causæ istius secundi modi sunt in Deo absconditæ, & non insertæ in ipsis rebus vnde potest hic clare videri quomodo dicat Apostolus Ephe. 2. quòd misterium gratiæ est in Deo absconditum & non in mundo. Vnde ex quo peccator viribus naturalib. non possit ex iniquitate redire ad munditiam quia hoc excedit leges naturales hominis, habet tamen hoc posse fieri quando Deus vult, vt redeat per gratiam, quòd si non dedisset homini quando eum creauit, vt ex eo & hoc fieri posset vtique nunqnam rediret quia Deus nō est potentior seipso, sed si hoc dedit nō vt hoc propterea haberet in motu naturali, sed in eo quo ita creatus est, vt eius natura voluntati potentiori amplius subiaceret. Et quod dico de homine dico de omnibus creaturis, vnde si asina Balaam loquuta est, non hoc fuit ex sua natura,

sed

ſed tamen quia dedit ei Deus hoc poſſe fieri in ea quando voluit ipſe Deus, ideo factum eſt, quando voluit, & talium rerum cauſæ tantum ſunt in Deo abſconditæ.

QVAEST. CCXCIX.

ANima Euæ quomodo facta ſit, nam ſcriptura nõ dicit, & inſufflauit Deus in faciem eius ſpiritum vitę ſicut dixit de anima Adæ, & ideo non incõgruę dubitatur, an ſicut corpus Euę eſt factũ de coſta Adę. Anima etiam ſua ſit facta ex anima Adę, vt Deus tantum primitus vnam animam fecerit, & ex illa poſtmodum cœtere animę omnium hominum crearentur. Difficilis quidem eſt hæc quęſtio, & non plene reſoluenda, ſed ſaltem Aug. opiniones de hac materia referet cum ſuis probationibus.

RESPON. Tria poſſunt dici de animę factione, primum aut quòd ratio omnium animarum ſit facta in illo primo die, quando Deus creauit omnia ſimul, ſicuti & ratio corporum quę gignuntur quotidię, ne aliquid fiat de nouo, nam corpora quę modo gignuntur ſunt primo creata in ratione ſeminali, & ſic non fiunt omnino de nouo, ita poteſt dici de anima Euę, & omniũ poſterorum eius, vt omnes ſint primitus factæ in quadam creatura ſecundum rationem, vt de nouo omnino non fiant cum fiunt, & ex iſta opinione, ſequeretur, quòd animę vel eſſent filię angelorum vel cœli corporei, vel alicuius alterius elementi, cum in ratione illius creaturę ſuperioris eſſent conditę: Et hoc dicere eſt durum & indigniſſimũ. Secundũ quod põt dici eſt qđ in operib., illius primi diei, facta eſt aĩa tm̃ Adę, cœtere vero fiunt ex traduce ſiue propagine eius, & ſic de nouo non fiunt, ſicut nec corpora, quæ gignũtur ex ſemine alterius corporis. Tertium quod poteſt dici, eſt, quòd fiunt de nouo, & quòd nulla ratio in operibus illius primi diei præceſſit. Duæ primæ opiniones non repugnãt, huic ſententię, quòd ſimul omnia creata ſunt, & quòd amplius de nouo nihil fiat, quia iam ſecũdum illas opiniones diximus, eſſe animas factas vel vt in aliqua creatura ſit ratio animę facta tãquam in parente, vt omnes animę ab illa generentur, a Deo autem creentur, quãdo ſingulis hominibus dãtur ſicut a parentibus corpora, vel non ratio animę veluti in parente ratio prolis, ſed ipſa omnino cum factus eſt dies, facta ſit anima. Tertia vero opinio, quę ponit animas de nouo quotidię factas, & quòd

De Gen. ad lit. p totum lidecimũ.

quòd neque ratio earum tamquam in parente prolis sit primitus facta, videtur repugnare illi sententiæ, quod de nouo amplius nihil fiat: Et tamen non repugnat, quia naturas nouas amplius non facit Deus. Et si quotidię creet animas de nouo, tamen non sunt alterius naturę, siue speciei quàm fuit illa prima anima, q̃ fuit Adæ, Harum trium opinionum videndum est, quæ sit probabilior, sed supponamus primo quod summè verum est, quòd natura animæ nostræ non potest conuerti in naturam corporis, nec in naturam irrationalis animæ, nec in naturam Dei, vt anima hominis fiat corpus vel anima pecoris, vel Deus, nec etiam potest fieri econuerso, & quòd anima est creatura Dei: stāte hoc supposito, sequitur quòd Deus fecit eam, non de corpore, non de anima irrationali, non de seipso, restat ergo quod eam fecerit, aut de nihilo, aut de aliqua creatura spirituali, & rationali: Quòd sit de nihilo facta post consumationem operum in illa prima creatione conditarum, violentū, est monstrare. Et ideo cessandum est a tali demonstratione, sed tātum ad scripturas sacras recurrendum. Et ideo incipiamus a prima opinione. Ad probandum quòd anima sit ex Angelis tamquā ex parentib. vel ex aliquo mundi elemento non mihi occurrit vlla authoritas sacræ scripturæ canonicæ, nisi illa Ezechi. 37. Vbi agitur de resurrectione mortuorum quādo dictum est: propheta fili hominis & dic ad spiritum: Hæc dicit Dominus: A. quatuor partibus ventorum cœli veni & spira in mortuos hos vt viuant, & sic factum est, & resurrexerunt corpora mortuorū: hic videtur quasi innuere quòd vita horum mortuorū sit a flatu mūdi & ex cōsequenti habere suas animas ex substantia Dei significata per flatum mūdi sicuti Io. 20. habemus & Christum insufflasse Spiritum. S. Apostolis, quando dixit accipite Spiritum. S. &c. Sed quia flatus Christis non erat Spiritus. S. ita hic per flatum mundi non potest haberi, quòd anima sit de Dei substantia, quia non ita anima est facta de Dei substantia quemadmodum flatus ille a quatuor ventis de natura mundi factus est. Et ideo relinquamus hanc primam opinionem, & veniamus ad alias duas & videamus cui illarum potius fauet diuina scriptura. Esa. 57. dicitur, omnem flatum ego feci. Hæc sententia tam fauet ei opinioni quæ dicit primo vnam tantum animam factam esse, & postmodum dedisse primo homini vnde cæteras faceret, sicut ex eius corpore cœtera hominum corpora, sicut ei, quę dicit, quòd singulæ de nouo fiunt sicut & illa prima facta

est.

est. Quia siue vna tantum facta est, & ex illa vna postmodum omnes, ergo omnes ex Deo, & sic omnem flatum fecit, quia ex quo fiunt animæ a Deo factum est. Dicitur etiam in Psal. 32. Qui finxit sigillatim corda eorum si per corda intelligamus animas. Et hæc fauet etiam vtrique eo modo quo & supra diximus, quamuis a me intelligatur hæc sententia de renouatione cordis interioris & non de creatione animæ quæ renouatio fit per Dei gratiam. Sapientiæ etiam 8. c. habetur sic sortitus sum animam bonam, & cũ essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Hæc videtur potius fauere tertiæ opinioni, videlicet quòd non propagantur animæ ex vna, sed desuper animæ venire creduntur ad corpora, sed quia dicit se sortitum bonam animam ergo sequitur quòd quędam sunt bonæ & quędam sunt minus bonæ antequam ad corpus veniant, sed ex natura earum hęc inæqualitas non est cum sint omnes æqualiter bonæ factę, sed si est inęqualitas, hoc ideo est propter bona & mala opera quæ gesserunt antequam veniant ad corpus, sed & hoc non potest stare quia dicit Paulus Ro. 9. quòd Iacob & Esau, nondum nati nihil boni vel mali egerunt, antequam veniant ad corpus, nec bonum, nec malum operantur & ideo tãtum applicemus hanc sententiam animę Christi, vt ipse dicat, quòd sit sortitus animam & venerit ad corpus incoinquinatum, quia erat conceptus ex Spiritu. S. & ideo nihil facit ad hanc opinionem, sed videamus aptiorem sententiam. Dicit Psal. 103. Aufer spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terrę, secundę opinioni vr̃ fauere hoc dictũ, vt sic intelligatur, vt spiritũ eorum propterea dixerit, ꝙ eum hoĩes ex hoĩbus acceperint, qui cũ mortui fuerint non eis ab hoĩbus poterit reddi, vt resurgant, sed solum a Deo, quia nõ sicut qñ nascũtur a parentib. datur spiritus, ita & qñ resurgent, sed tunc a Deo dabitur. Ac ꝑ hoc eundẽ spiritum, dixit eorũ, cũ moriuntur, & Dei, cum resurgũt: põt ẽt hoc dictũ fauere tertiæ opinioni, intelligendo sic, quod dixit spiritum eorum cum moriuntur, quia in eis erat, & ab eis exijt, dicitur autem quòd sit Dei, quia ab eo missus est in corpus quando conceptum est, & etiã ab eo redditur in resurrectione. Et sic patet, ꝙ nulli aduersatur, licet ego aliter illud intelligam, nam ibi loquitur de gratia Dei qua interius renouatur: Item in Ecclesiaste 12. dicitur, & conuertatur puluis in terram sicut fuit. Et spiritus reuertatur ad Deum qui

dedit

dedit eum. Et etiam hæc suffragatur vtrique opinioni, siue fiant singulæ animę, siue ex illa prima anima, semper primus earũ auctor est Deus, & ideo ad auctorem primum reuertuntur. Hac sententia habetur clare, quòd anima primi hominis sit ex nihilo facta & non ex aliqua creatura, sicut corpus ex terra, & ideo cum redit, non habet quo redeat nisi ad auctorem qui eam dedit. Vnde iam patet ex supra dictis difficile esse probare ex scripturis, quæ illarũ duarum opinionũ sit probabilior, si enim scriptũ esset, quòd Deus similiter insufflasset in faciem mulieris sicut fecit in faciem viri, vtique posset dici, quòd singulas facit de nihilo animas, si etiam saltem scriptum esset, quòd animam datam primo filio ex illis primis parentibus nato desuper & diuinitus datam, illud iam in cęteris, etiam tacente scriptura opporteret intelligi: Sed adhuc videamus an illud dictum Pauli Ro. 5. faueat alicui istarum duarum opinionum, aut accõmodetur vtrique: dicit Paulus per vnum hominẽ peccatum in hũc mũdum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerũt, si f'm solam carnem potest intelligi pccatũ vel peccator, non cogimur ex his verbis, ex parentibus animam credere venire, si autem sola anima peccat, licet per illecebram carnis, non potest aliter intelligi illud dictum, in quo omnes peccauerũt, nisi quòd & sicut ex Adam propagata est omnis caro, ita & omnis anima. Nam si caro tãtum propagaretur ex Adam, ita peccatum tantum in carne esset, & sic vt corpora baptismo mundarentur, possent & corpora mortuorũ baptizari, quod non permittit ecclesia, sed tantum viui baptizantur, qui sunt Adam corpore & anima. Et ideo si anima non esset ex propagatione animę Adę, paruulorum animę quę decedunt ab ipsis sine baptismo, non irent in condemnationem, quia nihil mali egerunt. Et tamen in condẽnationẽ vadunt non propter mala opera particulariter facta, sed quia ex animę fœdate propagatione Adę venerunt. *Hæc ratio est eorum, qui animas hominum ex hominibus parentibus creatas, volunt non quidem nisi a creatore Deo, sed sicut etiam corpora: Non enim & hæc parentes creant:* Sententia sapientiæ, quam supra diximus, nihil facere ad hanc opinionem, cum dixit sortitus sum animam bonam si profundius cõsideretur quam supra fecimus, videbitur quòd multum ad eam facit. Nam in omnibus non potest aptari Christo quia in verbis pręcedentibus eam, dicit se ex semine viri generatum, quod non fuit

in

in Christo. Et ideo loquens ille sapiens de seipso dicit quòd sortitus est bonam animam ex paterno ingenio & ex corporali tẽperamento vt ex parentibus suis dicat hoc sibi euenisse, vt innuat traducem animam ab ipsis, & venii ad corpus matris incoinquinatum, videlicet a cruore menstruo, nam cum in menstruo concipiuntur ingenia grauantur & contaminantur, sed contra hanc opinionem posset instare aliquis, & dicere ergo si animæ sunt ex traduce animæ Adæ. etiam anima Christi est ex illa, ergo & anima Christi est coinquinata sicut cœteræ animæ. Ad hoc dicit Augustin. quòd Christus non de Adam supmsit animam, vnde sicut puluis ex qua nullus hominum fuerat operatus, meruit diuinitus animari quæ fuit corpus Ade. quanto magis corpus assumptum ex carne, in ijtidem nullus hominum fuerat operatus, sortitum est bonam animã a Deo & hoc potest probari per Apostolum ad Hebreos. 7. qui discernit sacerdotium Christi a sacerdotio leui, vbi dicitur quòd cum leui esset in lumbis abraæ decimatus, est per Melchisedech, quando Abraam per ipsum Melchisedech est decimatus, nam sacerdotium Melchisedech figurabat sacerdotium Christi, & tamen Christi sacerdotium dignius est sacerdotio leui. Et vnde dignius, cum & Cristus fuerit in lumbis abraæ quantum ad carnem, sicut & leui? nisi quia Christus non fuit in lumbis abraæ secundum animam, sed tantum secundum carnem, ergo habuit animam de super datam, & non ex traduce, sicut anima leui, quæ erat in lumbis abraæ, vt potest deduci & ideo decimatus est: Pro his vero qui dicunt aĩas de nouo dari & desuper venite quæ est tertia opinio est aliud testimoniũ Io. 3. vbi dr̃ Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est caro venit ex propagatione carnis, spiritum vero non ex carne nasci, sed ex spiritu, sed secunda opinio dicit quòd hoc non est contra ipsam, quia dicit, & ipsa quòd anima non est ex carne, sed ex anima, nam homo constat ex carne, & anima, caro est ex carne, & anima ex anima, sed veniamus ad vltimum quęstionis. Ego dico, quòd istæ duę opiniones essent pares rationibus, si secunda non haberet argumentum de pueris non baptizatis, qui condẽnantur, si moriuntur, vt supra diximus, & hoc argumentum est multũ pręponderandum, ideo non determino quęstionem, sed tantum dico quòd pro nunc sufficere nobis debet, & fidei nostrę scire nos quò piè viuendo, venturi sumus, & si nesciamus vnde venerimus.

QVAEST. CCC.

QVare Deus non conuertat malas voluntates hominum in bonas, cum possit, vt omnes sint boni.

De Gen. ad lit. li. 11. c. 10 RESPON. Posset enim Deus voluntatem malorum in bonũ conuertere, si vellet, quia omnipotens est. Cur ergo non facit, quia non vult. Cur nolit penes ipsum est, debemus enim non plus sapere, quàm oportet sapere.

QVAEST. CCCI.

SVperbia quid sit, & inuidia declaratur, & quo peccato primùm diabolus peccauit.

Eod. lib. cap. 14. & 16. RESPON. Superbia est amor propriæ excellentiæ, & inuidia est odium fœlicitatis alienæ, & hęc sequitur superbiam. Amando enim quisq; excellentiam suam, vel paribus inuidet, quòd ei coęquantur, vel inferioribus ne sibi coęquentur, vel superioribus, quòd eis non coęquetur, superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est. Merito intium omnis peccati, superbiam scriptura definiuit, dicens Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia, & ideo qui dicunt quòd primum peccatum fuit inuidia, quia inuidit homini facto ad imaginem Dei, non bene dicunt, cum inuidia sit post superbiam. Cecidit enim diabolus, quia amauit propriam potestatem, & statim vt creatus est, peccatum fecit, nam Ioan. 8. dicitur, quòd homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, & ideo nõ vixit aliquod tempus cum cœteris Angelis sanctè & iuste, sed in ipso primordio creaturæ apostatauit.

QVÆST. CCCII.

AN subiectio mulieris quam tenet sub viro, sit ex natura sua, vel tantum ex culpa.

Eod. lib. cap. 39. RESPON. Licet vir ante peccatum, habuisset dominium in mulierem, tanquam caput, non tamen habuisset vti post peccatum, quia post, ex sua culpa meruit ex sententia Dei, vt sub viro sit, aliqualiter sub conditione seruili. Ante peccatum licet fuisset sub ipso, non conditione seruili, sed dilectione,

& ideo nunc vt vir dominetur mulieri, non natura mulieris hoc meruit, sed culpa. Et ideo Apostolus licet dicat coniugibus seruite inuicem per charitatem, non tamen diceret dominamini inuicem, quia hoc non conceditur mulieri vt dominetur.

QVAEST. CCCIII.

QVid sit estasis inquiritur siue quomodo fiat.

RESPON. Quando penitus auertitur, atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc magis estasis dici solet. Tunc omnino quæcumque sunt præsentia corpora, etiam patentibus oculis, non videntur, nec vllæ voces prorsus audiuntur, totus animi contuitus, aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis nulla imagine figurata, per intellectualem visionem, quæ sit visio spiritualis & intellectualis in sequenti quæstione dicetur. *De Gen. ad lit. li. 12. c. 12*

QVÆST. CCCIIII.

QVot sunt genera visionum, & multa de visionib. & somnijs inquiruntur.

RESPON. Tria sunt genera visionum, prima corporalis, secũda spiritualis, tertia intellectualis, prima fit per oculos corporales, quando res actualiter videntur, secunda fit per animam quæ vocatur spiritus, tertia fit per supremã partem animæ idest per mentem. Demus exẽplũ. Hoc præceptum scriptum. Diliges proximum sicut teipsum, primo video oculis corporis, & est corporalis visio, secundo cogito per spiritum, hunc proximum absentem, & est spiritualis visio, tertio, per contuitum mentis meę, conspicio dilectionem ipsam intellectam a me, & est intellectualis. Differentia inter spiritualem & corporalem hæc est, quod corporalis, oculis corporalibus videtur, spiritualis vero tantum cogitatione & imaginatione videtur in imaginibus ipsius rei corporalis, in anima nostra impressis. Differentia vero inter spiritualem, & intellectualem, hæc est, quòd intellectualis non videtur nec videri potest oculis corporis, nec per imaginem corpori similem, sicut in exemplo dato est dilectio, iam ipsa non potest per suam substantiã oculis corporis cerni, nec per imaginẽ corpori similem spiritu cogitari, sed sola mẽte, *Eod. lib. per totũ.*

ideſt intellectu cognoſci, & percipi, ſpiritualis autẽ, & ſi oculis corporis non videatur, quia eſt ſpiritualis, videri tamen poteſt per imagines ſimiles corpori, & ideo ille non erat Propheta, quoniam tantum videbat, per ſimilitudines in ſuo ſpiritu in anima impreſſas, & mente non videbat, ideſt non intelligebat viſiones. Differentia quam facimus inter ſpiritum & mentem, non eſt irrationalis, cum dicat Apoſtolus. 1. Cor. 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente, vt & ſigna rerum formarentur, in ſpiritu, & eorum refulgeret intellectus in mente, vnde poſſumus dicere, quòd in ipſis viſionib. eſt vna ſcala a corporali aſcenditur ad ſpiritualem, & a ſpirituali aſcenditur ad intellectualem, vt dicatur corporalem referri ad ſpiritualem, & ſpiritualem referri ad intellectualem. Nam cum oculis corporis aliquid video ſtatim imago eius fit in ſpiritu meo, ſed non dignoſcitur facta talis imago, niſi rem viſam abſtulero ab oculis meis, cũ ablata erit, ſtatim inueniam in animo meo eius imaginem: hucuſque peruenit etiam ſpiritus irrationalis, ideſt videre corporalem, demum videt eius imaginẽ in ſuo ſpiritu impreſſam, ſed hinc non tranſcendit, ad intellectualem, ſicut facit ſpiritus rationalis: nam ſicut oculi corporis nunciauerunt ſpiritui, vt imago rei viſę in ipſo fiat. Ita ſpiritus nunciat intellectui, ſiue menti, vt intelligatur, quod viſum eſt: ſed veniamus modo ad varias viſiones. Aliquando ſpiritus noſter in vigilia, videt imagines rerum, quæ ſunt in eſſe, vel abſentium recordando, formando imagines etiam rerum, quæ non ſunt, aliquando videt in ſomnis, & aliqnando in eſtaſi in quibus duabus vltimis, animus noſter eſt alienatus a ſenſib. corporis omnino, ideſt eos non exercet anima, ſed ſunt ſopiti; quãdo in vigilia videmus, ſi nõ ſumus frenetici, vel aliqua infirmitate agitati, ſed ſani, tunc clare diſcernimus corpora ab illis imaginibus, & non decipimur, ſicut faciunt phrenetici, qui aliquando loquuntur cum abſentibus, ac ſi eſſent pręſentes, quia in ſuo ſpiritu habẽt imagines abſentium, ac ſi corporaliter viderent, & credunt videre eos corporaliter: & hoc fit, vel ex nimia cogitationis intentione, vel ex infirmitate, uel ex commixtione alicuius ſpiritus boni, vel mali. Quando autem videmus in ſomnis, aut in eſtaſi, ſi nihil ſignificant, quę videntur, ipſius animæ ſunt imaginationes tantum: ſicut etiam cum vigilamus, multotiens verſamus in noſtro ſpiritu multas imaginationes vti volumus de varijs rebus, ita etiam poteſt accidere cum non vigilamus.

Si autem aliquid ſignificat : mirus modus eſt : ſi autem fiunt commixtione alterius ſpiritus, fieri poteſt, vt ab eo ſpiritu manifeſtentur ei, cui miſcetur, quia anima per ſeipſam non poſſet intelligere cum non habeat vim diuinatiuam,& ideo oportet, vt adiuuetur a ſpiritu. Hoc quippe indubitanter tenendum eſt, quòd non omnes corporales imagines, quæ ſpiritu cernuntur ſemper ſint ſigna aliarum rerum,ideſt,quòd ſignificent,ſiue ſint in vigilantibus,ſiue in dormientib.Mirum tamen eſt,ſi illę,quæ in eſtaſi fiũt, nihil aliquando ſignificent. Non tamen mirum eſt,ſi demonium habentes,aliquando vera dicunt, quæ a ſenſibus abſunt, licet non ſemper dicant verũ,cum vero bonus ſpiritus aſſumit humanũ ſpiritum in hęc viſa,ſemper imagines illarum ſignificant alias res,ſed quomodo diſcernatur,qñ a bono ſpiritu ſunt vel a malo, hoc Dei munus eſt,& maximè in principio apparitionis, quia malus ſpiritus apparet bonus,& cognoſcere,quòd ſit malus ſtatim, vt apparet eſt donũ particulare Dei,cum poſtmodũ fecerit malos effectus, nõ eſt difficile diſcernere, an ſit malus. Et ideo dicimus, quòd in prima & ſecunda viſionibus poſſumus decipi a malis ſpiritibus, & inſtrui a bonis,in tertia vero viſione,non poteſt fieri deceptio. Aduertendũ eſt,ꝙ cũ in ſomnis,veniunt cogitata venerea,hoc fit, quia in vigilia de eis cogitauimus, vel ẽt ex ludificatione demonũ, & ſi in ſomno talia dũ ſomniamus nobis diſplicẽt,pp Dei honorẽ, quia habituati ſumus in bono,& ideo amantes caſtitatẽ,nolumus talia, non ſine merito noſtro eſt talis diſplicentia ẽt ſi fuit in ſomno, ſic enim habemus de Salomone. 3.Reg. 3.ꝙ quia in ſomno præpoſuit ſapientiam oĩbus reb.Deus dedit illi retributionẽ: quia hoc ei placuit: Sed qũo multę ſimilitudines ſpirituales corporalium in aĩo noſtro,innoteſcãt ſpiritib.immũdis etiã,& inter nos hoĩes,nequeamus ſcire,quid ſit in aĩo alterius, ad explicandũ eſt difficile. Nãꝙ mali ſpiritus nuntient,quod longe factum eſt,nõ eſt mirũ antequã à nobis ſciatur,quia vident acutius,& velociores ſunt;ad annuntiãdum ꝗ hoĩes(ſed quid dicemus de cauſis tantarũ viſionũ, ꝗ ſolent accidere ẽt phreneticis,dicunt ſe videre aliqua,& prædicunt,maxime cum ſunt in illa phreneſi,vel in aliquo dolore infirmitatis graui,vt accidit in quodam puero ęgrotanti, qui dum eſſet in magnis doloribus dixit ſe vidiſſe duos, vnum prouectioris ętatis, alterum puerum a quibus ei dicebantur, vel demonſtrabantur, quæ ſe audiſſe, & vidiſſe narrabat) Ego dicam meam opinionem,

& non me derideant docti. Ego visa ista omnia visis comparo somniantium, sicut eorum quæ somniamus, aliqua sunt vera, aliqua sunt falsa, ita ista, & sicut illorum aliqua sunt tranquilla, aliqua perturbata, aliqua obscura, aliqua manifesta, ita & ista. Sed amant homines inexperta mirari, & causas insolitorum requirere, cum quotidiana plerunque talia sæpe etiam latentioris originis nosse non curent. vnde si quæramus, vnde nascantur istæ visiones, dicam, quòd sicut rubor, vel pallor in facie aliquando a corpore, aliquando ab anima prouenit: a corpore cum humor suffunditur, vel cibus, vel color ab extra: ab anima, cum irascitur, vel turbatur, vel timetur, ita in anima accidit, vt in ista visa pergat, aliquando accidit a corpore, siue naturali vicissitudine, vt sunt visa somniantiũ, vel a perturbata valetudine, aliquando ducitur per in incorporalem substantiam. Aliquando a spiritu malo, quando autem assumitur spiritus hominis ad has videndas imagines a spiritu bono, semper aliquid significant: Aliud etiam est aduertendum, quòd sola visio intellectualis est certa, idest cui nõ potest subesse; falsum, & quòd cum anima rapitur in ea visa, quæ spiritu cernuntur, similia corporalib. ita vt omnino à sensibus auertatur, amplius quàm in somno, & minus quàm in morte, iam diuinæ admonitionis est, & adiutorij, vt se non corpora, sed visa corporum similia spiritaliter nouerit cernere: Sed vtcunque se ista habeant, & accipiuntur, vt libet ab alio sic, ab alio autem sic, ego visorum, vel visionum pręter ista tria genera, aut corpore, aut spiritu, aut mente, vsque adhuc vel nosse, vel docere non possum.

QVAEST. CCCV.

ANima humana cum exierit de corpore quo fertur, ad quem locum.

Eod. lib. cap. 32. & 33. RESPON. Ad corporalia loca non potest ferri anima, nisi cũ aliquo corpore, sed si tamen fertur sine corpore, saltem localiter non fertur. Et ideo dico, quòd ad spiritalia pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporib. Qualia sæpe demõstrata sunt ijs, qui rapti sunt a corporis sensib. & mortuis similes iacuerũt: & infernales pęnas viderũt; cum & ipsi in seipsis gererent quandã similitudinẽ corporis sui, per quã possent ad illa ferri, & talia similitudinibus sensuum experiri. Ex quo dico, ꝙ si anima in talibus habet

simi-

ſimilitudinem corporis ſui, corpore adhuc nõ mortuo licet iaceat ſine ſenſu, quare etiam magis non debet habere corpore penitus mortuo. Et ideo quando anima exuta eſt corpore fertur aut ad pœnalia, aut ad gaudia, quæ vere ſunt pœnalia & vere gaudia, licet nõ ſint corporalia, ſed ſimilia corporalibus, & ex his patet quòd infernus, ſiue ſubſtantia inferorum ad quam animæ malorum ferũtur, ſit ſpiritualis, & non corporalis. Et hic non ſunt audiendi qui dicunt tantummodo in hac vita, eſſe infernum, & non poſt mortẽ cum dicat ſcriptura diuina. Act. 2. quòd dominus noſter deſcendit ad inferiora loca, vbi ſoluit multos a doloribus inferorum, & Lu. 16. narratur de illo diuite Epulone, qui erat in tormentis, vnde concluditur quòd infernus ſit poſt mortem, & quòd ſit ſubter terram, inferi enim dicuntur eo quòd infra ſint, & etiam quia omnia grauiora ſunt inferiora, quæ ſunt corpora, ita omnia triſtiora vt ſunt animæ malorum ſunt inferiora, & ex conſentienti ad inferna debent deſcendere, quia carnis amore peccauerunt, hoc eis per illas corporalium rerum ſimilitudines exhibeatur quod ipſi carni mortuæ ſolet, vt ſub terram recondatur. Ex his etiam patet Paradiſum ad quem feruntur animæ beatorum non eſſe corporalem ſed ſpiritualem, & intellectualem, & eſſe illud tertium cœlum ad quod raptus eſt Paulus. 2. Corin. 12. ſed hæc dicta ſint quærendo potius quàm affirmando.

QVÆST. CCCVI.

AN Chriſtus ſoluerit aliquos a tormentis inferorum poſt deſcenſum ſuum ad inferos.

RESPON. Et Chriſti quidem animam veniſſe vſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos ſolueret a tormentis, quos eſſe ſoluendos, occulta nobis ſua iuſtitia iudicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendum quod dictum eſt Act. 2. Quem Deus ſuſcitauit ex mortuis, ſolutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, nõ video, niſi vt quorundam dolores apud inferos eum ſoluiſſe accipiamus, ea poteſtate qua dominus eſt, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum, per quam poteſtatem, etiam illis doloribus quos ſoluit non potuit teneri. Et ex his deducitur purgatorium dari. *Eod. lib. cap. 33.*

QVÆST. CCCVII.

QVare animę beatorum habent resumere corpus in resurrectione, cum modo sint plenè beatę, vel saltem perfecta beatitudo potest eis præberi sine corpore.

Eod. lib. cap. 35. RESPON. Minime dubitandum est animam exutam corpore, & transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem Dei substantiā, vt sancti Angeli vident, siue alia latentiore causa, siue ideo, quia inest ei naturalis quidā appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodāmodo, ne tota intentione pergat in illud summum cęlum, idest in fruitionem perfectissimam summi Dei & cōtemplationem, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat, & ideo propter hoc resumendum est corpus iterum in resurrectione vltima.

QVAEST. CCCVIII.

QVomodo a nobis potest vinci diabolus, cum sit inuisibilis, & a nobis non potest videri.

De Agone c. 2. RESPON. Ibi enim vincuntur inimicæ nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates, & ideo qui in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est, vt in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine, vince ergo cupiditates tuas inuisibiles, & vinces diabolum inuisibilē castigemus corpus nostrum, sicut faciebat Paulus, 1. Corin. 4. & castigabimus diabolum.

QVAEST. CCCIX.

LOcus diaboli vbi est, an in aere an in cœlo stellato.

Eod. lib. cap. 3. RESPON. Multotiens nomine cœli, intelligimus aerē, & ideo ex consuetudine, sermonis eum de sereno, vel nubilo quærimus, dicimus. Qualis est aer? aliquando. Quale est cœlum. Hoc dixi, ne quis existimet, in cœlo, vbi sunt stellæ, vel Sol, vel Luna habitent demonia, sed in aere habitant, vt dicit Paulus Ephes. 6. ea habitare in cœlestibus, per cœlestia intelligens aerem.

QVAEST. CCCX.

QVę differentia est inter bonos, & malos, etiam dico de his qui sunt in vnamet lege.

RESPON. Boni sunt, qui tota voluntate Deo seruiunt, mali autem, necessitate seruiunt, nemo enim leges omnipotentis euadit. Sed aliud est facere quod lex iubet aliud pati quod lex iubet. Quapropter boni secundum leges faciunt, mali autem secundum leges patiuntur. Nec hoc moueat, quòd mali in hoc mundo prosperatur, & boni patiuntur multa grauia & aspera, quia & mali tristantur cum auferuntur ab eis, hæc mundana, & boni gaudent, quia expectant bona futura & ideo malis accidit, sicut pisci, qui non videns hamum cum letitia escā deuorat, cum vero piscator incipit eum trhaere, ad se, viscera piscis cōmouentur, & tristatur, sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se putant, hamū enim acceperunt, & gaudent in hoc mundo, sed veniet tempus, quando sentient quanta tormenta, cum auiditate deuorauerint. *Eod. lib. cæp. 7.*

QVAEST. CCCXI.

QVibus medijs Deo, sanctę ac pie subiugamur.

RESPON. Fides est prima quæ subiugat animam Deo, deinde præcepta viuendi, quibus custoditis, spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur, cum enim cognitio & actio dona sint Dei, & beatum hominem faciant, sicut in cognitione cauendus est error sic in actione cauenda est nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere cum nequiter viuat. *Eod. lib. cap. 13.*

QVAEST. CCCXII.

NEquitia quid est?

RESPON. Nequitia autem est mundum istum diligere, & ea, quæ nascuntur, & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare, vt acquirantur & lętari cum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari, cum pereunt. *Eod. lib.*

QVAEST.

QVÆST. CCCXIII.

AN claues ecclesiæ, soli Petro, vel toti ecclesiæ in Petro datæ sunt, cum dominus, Mat. 16. dixit Petro. Quodcumque ligaueris super terram, &c.

Eod. lib. c. 30. 31

RESPON. Nusquam enim tam vigere debent viscera misericordię, quàm in catholica ecclesia vt tamquam vera mater, nec peccantibus filijs insultet, nec correctis difficile ignoscat, dico omnia peccata, quæcumque sint illa, quia in ea est omnium peccatorum remissio, vnde non sine causa inter omnes Apostolos huius ecclesiæ catholicæ, personam sustinet Petrus, huic enim ecclesiæ claues regni cœlorum datæ sunt cum Petro date sunt & cum ei dicitur, ad omnes dicitur. Amas me, pasce oues meas Ioan. 21. Debet ergo ecclesia catholica correctis, & pietate firmatis filijs, libenter ignoscere, cum ipsi Petro eius personam gestanti, & cum in mari titubasset, & cum dominum carnaliter a passione reuocasset, & cum aurem serui præcidisset, & cum ipsum dominum ter negasset. Mat. 14. 16. & 26. & cum in superstiosam postea simulationē lapsus esset Gala. 2. Videamus veniam esse concessum, eumque correctum atque firmatum, vsque ad dominicæ passionis gloriam peruenisse.

QVÆST. CCCXIIII.

AN serui Dei idest monachi dedicati contemplationi debeant aliquando manibus operari, & ab illa actuali contemplatione cessare.

De opere monachorum. c. 1.

RESPON. Dicebat Apostolus. 2. Tessa. 3. Qui non vult operari, non manducet, & intelligebat de opere manuum, vt verba sequentia demonstrant. Et ideo vellem scire ab illis, qui nolunt vnquam laborare manibus, vt vacent tantum contemplationi, & orationi, psallendo, vel meditando. Si ab his diuinis nunquam auocandi summus, nec etiam ire ad manducandum, nec ipse escę præparandæ, sed hoc non concedent, quia infirmitas carnis cogit nos ad hoc perficiendum. Quare igitur, non licet etiam aliquando laborare manibus propter victum? Cum & hoc sit ab Apostolo in multis locis præceptum & persuasum. Ex quo dico duo primum

quod

quòd oratio vna facta ex obedientia, citius exauditur, quam decẽ millia contemptoris. Melius ergo est rarius orare, vt operetur aliquando manibus causa obediendi Apostolo quam nõ ei obedire, vt longius & frequentius oretur: Secũdum quòd potest stare, quòd quis simul oret, & operetur nihil enim impedit seruum Dei operantem in lege Dei meditari, & psallere nomini domini altissimi.

QVAEST. CCCXV.

AN liceat euãgelium prædicare propter victum aquirendum.

RESPON. Qui enim propter hoc euangelium prædicat, vt habeat vnde manducet, & vnde vestiatur, simul se putet & Deo seruire & Mammonæ, Deo, quia euangelium prædicat, & Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat, quod dominus Mat. 6. dicit fieri non posse, ac propter hoc ille: qui propter ista euangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ seruire conuincitur, & si Deus illo ad aliorum profectum, quomodo ipse nescit vtatur, potest tamen licite predicator vti necessarijs pro se de rebus eorum quibus prædicat, & ideo dicit Paulus Gala. 6. Cõmunicet, qui cathetizatur verbo, ei, qui se cathetizat in omnibus bonis, & 1. Corint. 9. Si nos vobis spiritalia seminauimus magnum est, si carnalia vestra metamus, & ibidẽ dixit, non alligabis os boui trituranti. Ex quo concluditur, q; prædicator non dẽt prædicare gratia lucri, sed pro salute animarum, potest tamen dum prædicat petere cibum & victum ab auditoribus, quia non posset prædicare, nisi cibis se sustentaret.

Eod. lib. c. 26. & 16.

QVÆST. CCCXVI.

AN monachis liceat nutrire comam & portare eam.

RESPON. Quidam monachi dicebant, quòd licet portare comam, cum legatur in veteri testamento Samuelem prophetã & multos alios eam portasse, sed isti non cogitant quid intersit inter illud propheticum velamentum, & hanc euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus 2. Cor. 3. Cum transieris ad Christũ auferetur velamem. Quod enim significabat velamem interpositum, inter faciẽ Moysi & aspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam idem Apostolus, etiam

Eod. lib. c. 31.

etiam comam pro velamento esse dicit. 1. Cor. 2. vir quidem si comatus sit ignominia est illi.

QVAEST. CCCXVII.

AN Apostolus Paulus professus fuerit summam castitatem.

Eod. lib. cap. 32. RESPON. Cum Paulus 1. Cor. 7. dicit vellem autem omnes hoĩes esse, sicut meipsum, ibi certe summã castitatẽ profitetur.

QVAEST. CCCXVIII.

AN homo possit aliquis esse in hac vita sine peccato, Deo auxiliãte, & si potest quare in esse non ponitur talis potentia, nam nemo in hoc mundo sine crimine viuit.

Ad Marcellinũ c. 1. & 2. RESPOND. Præter Christum, nemo fuit, nec erit, qui in hac vita viuat sine omnino vllo peccato, idest, cum perfecta illa iustitia; & tamen possibile est opitulante Dei gratia hominem posse hic esse sine peccato, sed quòd possit esse aliquid, & tamen non fiat, nec ad actum vnquam veniat talis potentia, exemplis his claret, possibile est Camelum per foramen acus transire, vt dicit Saluator. Matt. 10. Et tamen nunquam factum est, nec fiet, potuisset etiam Dominus in sua passione pugnare cum duodecim milibus legionib. Angelorum, ne pateretur, & tamen non est factum. Matt. 26. & etiam potuisset exterminare in vna die omnes gentes, quæ erant contra populum Israel, & tamen hoc fecit paulatim in multo tempore, potest ergo fieri aliquid, quod nunquam fit, quòd non inueniatur homo hic sine peccato, patet ex illa sententia, Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quis etiam vnquam fuit, vel est, vel erit, qui non mediocrib. inuidentiæ stimulis agitetur, ex quo nemo est, vel erit, vel fuit, qui tali puritate sit præditus, & tamen posse fieri non dubitatur.

QVÆST. CCCXIX.

AN homo viribus propriis, ex vi liberi arbitrij, sine Dei auxilio particulari: possit iuste, & sancte viuere.

Eod. lib. cap. 3. RESPON. Nos dicimus, humanam voluntatem, sic diuinitus

adiuuari,

adiuuari, ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis: præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum uiuere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est: etiam nunc cum adhuc per fidem, ambulat, nondum per speciem, vt hac sibi velut arra data gratuiti muneris, inardescat inhęrere creatori, atque inflammetur accedere ad participationem veri illius luminis, vt ex illo ei bene sit, a quo habet, vt sit. Nam neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet. Si lateat veritatis via, & cũ id quod agẽdum, & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi & delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur. Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. Rom. 5. non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritũ S. qui datus est nobis. Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteque viuendi litera est occidens, nisi adsit spiritus viuificans.

QVAEST. CCCXX.

QVomodo lex factorum, idest operum differt a lege fidei, quæ excludit gloriationem, quod non facit lex factorum.

Respon. Facile quidam respondent sic, quòd in hoc differunt, quia lex factorum est in Iudaismo, lex vero fidei in Christianismo, sed fallit ista discretio, quia lex factorum dicit. Non concupisces, non mechaberis, & similia: Et hoc etiam facit lex Christiana, siue fidei. Quare ergo, & ipsa non dicitur lex factorum? Breuiter ergo quid interest dicam. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, non concupisces, ista dicit, cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapien. scire cuius esset hoc donum, adij dominum, & deprecatus sum, ipsa est sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur Deus, colitur autẽ sacrificio laudis, actionisq; gratiarum, vt cultor eius, non in seipso, sed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus, fac quod iubeo. Lege fidei, dicitur Deo, da quod iubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat quid faciat fides, idest vt cui iubetur, si nondum potest sciat, quid petat, si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire quo *Eod. lib. c. 13.*

donante

donante possit. Et sic clare habetur differentia inter has leges,q lex factorum dicitur,eo quia iubet tantum operari, lex vero fidei dicitur,eo quia credit non posse quod iubetur, recte operari,nisi adiuuetur dono Dei, & ideo differũt, quia lex fidei tollit oẽm nostram propriam gloriationem,cum non tribuat bene operari viribus nostris,sed gratiæ Dei.

QVAEST. CCCXXI.

Eod. lib. cap. 30. AN liberum arbitrium euacuetur, per necessitatẽ diuinę gratiæ. RESPON. Liberum arbitrium per gratiam non euacuatur sed magis statuitur, sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per aię sanitatem libertas arbitrij, per liberũ arbitriũ iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non euacuatur sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impletur, ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia libere diligatur. Omnia hæc habent sua testimonia in scri-
Exo. 20. pturis sanctis. Nam lex dicit, non concupisces. Fides dicit, sana
Psal. 40 animam meam quia peccaui tibi: Gratia dicit ecce sanus factus es
Ioan. 5. iam noli peccare &c. Sanitas dicit. Domine Deus clamaui ad te, &
Psal. 29 sanasti me: Liberum arbitrium dicit. Voluntarię sacrificabo tibi.
Psal. 53 Dilectio iustitiæ dicit. Narrauerunt mihi iniqui delectationes
Ps. 118. suas, sed non vt lex tua.

QVAEST. CCCXXII.

Eod. lib. cap. 31. AN fides quę est initium salutis nostræ sit in nostra potestate. RESPON. Vt respondeamus huic quæsito primo videndũ est, quid sit potestas: Duo enim quędam sunt, velle, & posse. Vnde sicut qui vult continuo non potest, quod vult: sic etiam qui potest, non continuo vult, quod potest: quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando, quod nolumus. Et sic patet etiam clare, quòd a velle voluntas, & a posse potestas nominatur. Quapropter sicut, qui vult habet,

habet voluntatem, ita qui poteſt habet poteſtatem: ſed vt poteſtatẽ aliquid fiat, præſupponitur volũtas, nam ſi nolens facit non poteſtate facit: Sed dices nemo aliquid facit nolens. Do exemplum, vt hoc ſit clarum, infidelis cogit me ſacrificare Idolis varijs pęnis tormentorum. Ego ne crucier tormentis ſacrifico, ſed inuitus. Hic actus ſacrificandi licet ſit inuitus tamẽ voluntate facio, ne crucier, & ſic voluntas mea eſt nolle tormenta pati. Et ideo licet hic non ſit plena voluntas, eſt tamen voluntas, & ex conſequenti ibi eſt poteſtas, quia voluntate ſacrifico, & poteſtate facio tale ſacrificium, & ſic verũ eſt, ꝙ nemo nolens facit aliquid: Si autẽ tanta eſſet mea voluntas magna & firma, vt potius malim pati tormenta, quàm ſacrificare, tunc eſſet poteſtas ibi, ſed non voluntas, & tamen non poſſem exercere poteſtatem in actu ſine voluntate: ita vellem multotiens facere aliquid verbi gratia equitare, ſed nõ poſſum, & tunc eſſet ibi voluntas, ſed non poteſtas. Vt ergo ſciamus quæ vera dicatur poteſtas, dicimus quòd tunc dicitur, quando voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quòd ſi vult facit, ſi non vult, non facit: Cũ ergo quęritur an fides ſit in noſtra poteſtate, intelligimus loqui de fide quam adhibemus, cum aliquid credimus, & non de ea quam damus cum aliquid pollicemur, nam & ipſa dicitur fides. De prima dicimus. Non mihi habuit fidem. De ſecunda, non mihi ſeruauit fidem: ſecundum primam nos ſumus Deo fideles, ſecundum ſecundam Deus eſt etiam fidelis nobis: Stantibus his diſtinctionibus dicitur, quòd cum credere nihil aliud ſit niſi conſentire verum eſſe quod dicitur, & conſenſio non eſt niſi volentis, ſequitur, quòd fides ſit in poteſtate noſtra, quoniam cum vult quiſque credit, & cum credit volens credit: Stante hac veritate poſſet quis dicere: ergo hæc poteſtas, non eſt a Deo, nec voluntas, ſed a nobis ipſis, quia cũ volumus, credimus, quia etiam poſſumus, ſed quid dicemus ad Apoſtolũm, qui dicit. Quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, Quid gloriaris quaſi non acceperis? & ad Philipp. Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate: & ſic gratiæ datur, & non nobis. Quid ergo adhęc dicemus? Dicamus ergo ſic: quòd cum Deus velit omnes homines ſaluos fieri, Ideo omnibus dedit liberum arbitrium, quo homo poteſt velle, & non velle: quo poteſt inclinari ad volendum Deum, vel diabolum: ſed quia hoc liberum arbitrium modo vulneratum non poteſt per ſe

1. Cor. 4.
Philip. 2

se hoc agere: Ideo etiam adiuuat Deus, & ipsum liberum arbitriũ non tantum vt sit, sed & vt bonum sit, persuasionibus exteriorib. exhortationibus, & etiam interioribus inspirationibus, vt fugiat homo ad Deum & non ad diabolum: hoc auxiliũ, & hæ persuasiones sunt a Deo, & gratiæ attribuuntur, vt Dei gratia non solũ ostendat quod faciendum sit, sed adiuuet etiam, vt fieri possit, quod ostẽderit: sed consentire, vel dissentire proprie voluntatis est: vnde stat quòd in voluntate nostra sit credere, & ex consequenti in potestate nostra: quando a Deo sic est pręparata voluntas, vt possit si velit, & sic homo non habet gloriari, nec quantum ad liberum arbitrium, quòd ipsum non acceperit à Deo, nec quantum ad præparationem voluntatis, cum a Deo, & ipsa sit præparata, sed quia potest consentire, & dissentire, ideo credit, si vult, & non credit si non vult: His igitur modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat: neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat: profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine: & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, vt dixi propriè voluntatis est. Et ex his roboratur quod dictum est. Quid habes quod non accepisti. Accipere quippe & habere non potest anima dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, hoc Dei est: Accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis est: Quod autem illi suadeatur, vt & persuadeatur: alteri autem non ita, duo
Ro. 11. solum occurrunt interim, quæ mihi respondere placeat. Ro. 11.
Rom. 9. O altitudo diuitiarum, & nunquid iniquitas apud Deum. Rom. 9.

QVAEST. CCCXXIII.

AN omne, quod fit in mundo siue malum, siue bonũ, placeat Deo: Nam aliqui putant, quòd mala non fierent, nisi Deo permittente, & ꝙ non permitteret, vt fierent, nisi ei aliquando placuissent, cum sit omnipotens: & ideo si ei displicerent, vtique nõ sineret fieri.

De diuinatione dæmonv. cap. 2. RESPON. Deus licet sit iustissimus, permittit tamen mala fieri, quia est omnipotens: & quia est iustus, improbat ea: vt potest videri in variis locis sacræ scripturæ, & ideo non est concedendum, quòd ideo permittat mala fieri, quia ei aliquando placuerint:

Nunquam

Nunquam ei placent, Sed permittit ea fieri certa iudicij sui ratione, non vtique impune, sed ad eorum damnationem, a quibus fiũt quę displicent iusto Deo, eo quod iniusta sint.

QVAEST. CCCXXIIII.

QVomodo demones nuntient futura, idest vnde hoc sciunt antequam eueniant nam multotiens futura prędicũt, siue quod factum est in alijs regionibus nuntiant in illo loco vbi sunt.

RESPON. Quod Demones aliquid quod factum est in lõginquis partibus nuntiẽt hominibus hoc, ideo fit propter tria: & quia habent corpus aereũ, & quia habent velociorẽ motũ ex subtilitate corporis aerei, & ideo velocius mouẽtur, quam etiam aues in volãdo, & ideo multo ante cognita ab eis propter talem celeritatem nũtiant hominibus, & homines mirantur, quia ipsi sunt tardi motu, & sensu, & metiuntur suum motum, cum motu demonum. Tertiũ propter quod de facili nuntiãt futura est longa eorum experientia & ideo non tantum futura prędicunt, sed & multa mira faciunt. Ex tali enim experientia multa didicerunt, & ideo sunt doctiores hominibus, pręnuntiãt etiam plerumque ea quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sępe potestatem, & morbos immittere, & ipsum aerẽ vitiando morbidum reddere, & peruersis atque amatoribus terrenorũ commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, qnòd sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris, & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominum non sentientium penetrando, se seque cogitationibus eorum per quędam imaginaria visa miscendo, siue vigilantium, siue dormientium. Pręnuntiant aliquando non quę ipsi facturi sunt, sed quę naturalibus signis futura pręnoscunt, quę signa in sensus hominum venire non possunt ante prædicunt, & ideo sicut medicus, qui prędicit sanitatem vel infirmitatem ex quibusdam naturalibus signis nõ est dicendus diuinus, ita nec isti demones. Aliquando prędicunt, & cogitationes hominum, quia eas, ex q̃busdã dispositionibus, vel signis exterioribus corporis cognoscũt, sicut nos cognoscimus aliquẽ iratum ex vultu. Vnde licet isti demones talia predicant, non sunt tamen dicendi prophetę, quia prophetia quam Deus per Angelos siue prophetas operatur est altioris negotij, & dignitatis. Isti demones pronunciant id quod

De diui. Demon. cap. 3.

audierunt de rebus prophetiæ vere, & prophetatis a sanctis, numquam fallunt, quia veracissima sunt illa oracula. Cum vero pronunciant, quæ ex dispositionibus siue corporum, siue aliorum signorum naturalium falluntur, & fallunt. Falluntur quidem, quia cum suas dispositiones pronuntiant, ex improuiso desuper aliquid iubetur, quòd eorum consilia cuncta perturbet. Falluntur etiam cum causis naturalibus, aliqua ex improuiso ab Angelis mutantur ex aliqua dispositione ignota demonibus. Fallunt autem etiam studio fallendi, & inuida voluntate, qua hominum errore lętantur. Notandum tamen, quòd licet demones sint excellentiores hominibus quantum ad corpus, & sensum, cum sint acutiores sensu, & velociores corpore, non tamen sunt præponendi bonis hominibus.

INCIPIT TOMVS QVARTVS.

QVAEST. CCCXXV.



QVIS istorum mentitur, an qui dicit falsum ne fallat, an ille, qui verum dicit, vt fallat, propono exempla primus dicit viatori, per hanc viam non sunt latrones, vade sicure, & tamen scit, quòd immo sunt latrones, & quare dicit hanc falsitatem? quia scit, quòd viator non vult ei credere. Ideo dicit falsum, vt non vadat per eam, & ideo fallit, vt non fallat. Secundus dicit viatori veritatem, videlicet quòd ibi sunt latrones, & quia scit, quòd viator non vult ei credere, ideo dixit esse latrones, quod est verum, vt per eam viam pergat, & sic vt fallat, horum duorum quis potius mentitur an ambo mētiūtur?

De mendacio ad Consentiū. c. 34.

RESPON. Vt respondeamus primo videndum est, quid sit mendacium. Non enim omnis, qui falsum dicit mentitur, si credit, aut opinatur verum esse, quod dicit: Inter credere autem, & opi-

opinari hoc distat, quòd aliquando ille, qui credit, sentit se ignorare, quod credit: quamuis de re quam se ignorare nouit, omnino non dubitet, sed eam firmissime credit: qui opinatur autem, putat se scire, quod nescit. Quisquis autem hoc enunciat, quod vel creditum animo, vel opinatum tenet: etiam si falsum sit, non mentitur. Ad quæsitum modo dico, quòd si mendacium est enunciatio cum voluntate alicuius falsitatis, ambo mentiti sunt: quia & ille suam enuntiationem falsam esse voluit, & iste de vera sua. falsum credi voluit: Si autem mendacium est quælibet enuntiatio cum voluntate fallendi: non primus, sed secundus mentitus est, qui etiam verum dicendo fallere voluit: Porro si mendacium est enuntiatio falsum enuntiare volentis, vt fallat, neuter mentitus est, quia & primus habuit voluntatem falsum dicendo verum persuadere, & secundus, vt falsum persuaderet, verum dicere: Demum quæritur a nobis an licitum sit mendacium, quod videtur prodesse proximo, & sibi ipsi: Vt respondeatur, primo sunt numeranda multa genera mendaciorum: primum genus est, mentiri in his quæ circa fidem, & religionis doctrinam sunt, in hoc genere non licet mentiri, immo esset magnum scelus, & valde detestabile, nam nec ulla oīno causa inueniri posse conceditur, cur in rebus talibus sit mentiendum: quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, vt ad eam ipsam quisque facilius perducatur. Fracta enim vel leuiter diminuta authoritate veritatis, omnia dubia remanebunt: Secundum genus est, quod nulli prodest, & alicui obest, & iniuste, nec hoc est licitum, quia nulli facienda est iniuria. Tertium genus est, quod prodest quidem alicui, sed tamen etiam alicui obest, quamuis non ad immunditiam corporalem non obsit, nec hoc licitum est, quia nulli cum alterius iniuria consulendum est. Quartum genus est, quod sola libidine, vel delectatione committitur, nec hoc est committendum propter mendacij libidinem, quę per seipsam vitiosa est. Quintum genus est cum committitur tantum gratia suauiloquij, gratia delectandi auditores, licet ipsi sciant, quòd mentitur, nec hoc est licitum, cum non tantum mendacium, sed nec ipsa veritas sit enuntianda fine placendi hominibus, quanto magis mendacium, quod per seipsum, quia mendacium est, turpe est? Sextum genus est, quod nulli obest, & alicui prodest, nec hoc est licitum, cum nec etiam rectè testimonij veritas pro cuiusquam temporali commodo, ac

ſalute corrumpitur. Ad ſempiternam vero ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio. Septimum genus eſt, quod nulli obeſt & alicui prodeſt, ſicut & ſextum: ſed addit hoc, quòd non tantum prodeſt innocenti: ſed & reo: Vt ſi nolens perdere hominem ad mortem quæſitum, mentiatur: quia Chriſtianæ diſciplinæ eſt, vt neque de cuiuſquã correptione deſperetur: & ideo reus non manifeſtatur, quia ſi viuit ſperatur correptio, nec hoc eſt licitum: quia commoditas temporalis, aut ſalus cuiuſquã perficiendæ fidei non eſt præferenda: ſed quomodo eſt faciendum, ſi quæratur quis, vt mors ei detur? Eſt faciendum, vt fecit eps̃ eccleſiæ Tagaſtenſis nomine Firmus. Dixit.n.quibuſdam quærentib. ad mortẽ vnum, ex noĩe Imperatoris (confugerat.n. iſte ad epm̃,) nec mentiri poſſum, nec prodere hoĩem, & potius paſſus eſt multa tormenta, quàm manifeſtare hominem: Et ideo ſi quæreretur huiuſmodi aliquis, & interrogaremur, & cõſtringeremur vbi eſſet oſtendere, cum hoc ſciremus, ſic eſt reſpondendum, ſcio vbi ſit, ſed nunquam monſtrabo: Octauum genus eſt, quod & nulli obeſt, & adhoc prodeſt: vt ab immunditia corporali, ideſt a luxuria aliquem tueatur: Nec hoc licitum eſt, quia in bonis hominibus, maior eſt caſtitas animi, quæ ſeruatur, non mentiendo, quàm pudicitia corporis. In his octo generibus, tanto quiſque minus peccat, cum mentitur, quãto euergit ad octauum, tanto amplius, quanto deuergit ad primũ. Mentiri autem iocando, non putatur proprie mendacium, quia ex ſua pronũtiatione habet ſuam ſignificationem, videlicet ꝙ cognoſcitur pronuntiari ex ioco, & non ad fallendum. Si autem hoc licitum eſt, profectò eſt alia quæſtio diſſoluẽda aliàs. Notandũ eſt etiã ꝙ mentiẽs differt a mendace, quia mẽtiens, mentitur etiã aliqñ inuitus, licet mentiatur, ſed non libẽter, ſed quaſi coacte. Mendax vero, nunquã mentitur inuitus, ſed amat mentiri & delectatur mendacio: Non eſt ergo verum aliqñ eſſe mentiendũ, & qui putat aliquod genus eſſe mendacij, quod non ſit peccatum decipit ſeipſum turpiter.

QVAEST. CCCXXVI.

AN tollatur pudicitia corporis, per violentam corruptionem, & nullo modo voluntariam.

Eod. lib. cap. 7. RESPON. Quod enim violenter non præcedente libidine, patitur corpus, vexatio potius quam corruptio nominanda eſt. Aut ſi omnis vexatio corruptio eſt, nõ omnis corruptio turpis eſt,

ſed

ſed quam libido procurauerit, aut cui libido conſenſerit. Ibi ergo ſeruari poteſt pudicitia, vbi nulla niſi voluntaria poteſt eſſe corruptio.

QVÆST. CCCXXVII.

Libido quid ſit.

RESPON. Libido eſt appetitus animi, quo ęternis bonis, quælibet temporalia præponuntur. *Eod. lib. & cap.*

QVÆST. CCCXXVIII.

An debeamus omnia opera ſanctorum in mores transferre, vt eos imitemur.

RESPOND. Habetur, quòd Dauid iurauit ſe occiſurum Nabal, & tamen clementi conſideratione non occidit. vnde nullus eſt, qui dicat hic imitandum eſſe Dauid, videlicet temere iurare nos eſſe facturos, quod non eſſe faciẽdum poſtea videamus, ex quo conſtat, quòd non omnia, quæ a ſanctis vel iuſtis viris, legimus facta, transferre debemus in mores. *Eod. lib. cap. 9. 1. Re. 25.*

QVÆST. CCCXXIX.

An peccata facta iam multo tempore ante dimittantur a Deo per opera bona poſtmodum facta.

RESPON. Non eſt abſurdum, nec mirum, quòd Deus velit opera mala prius alio tempore commiſſa, propter poſteriora bona opera ignoſcere, cum & in vno tempore, & in vna met cauſa Deus conſpiciens duo, videlicet & factum male, & factum bene & miſericorditer, & vnum remuneret, & aliud ignoſcat: propter illud bonum factum, ſicut exemplum habemus, de obſtetricibus, quę & mendacium dixerunt, quod erat malum opus, & noluerunt maſculos occidere, quod erat opus bonum, & ideo a Deo propter hoc bonum opus remunerate ſunt, & etiam peccatum mendacij, ignouit, non eſt tamen peccandum, vt bene operando poſtmodum ignoſcat Deus. *Contra Mend. cap. 15. Exo. 1.*

QVAEST. CCCXXX.

AN excommunicatio & degradatio, quę sunt gladius spiritualis in ecclesia Dei, fuerint in antiqua lege pręmonstrata.

Ex li. de fide, & oper. c. 2 RESPOND. Numeri 24. legitur, quòd Phinees filius Eleazari sacerdotis assumpsit gladium, & occidit luxuriantes contra domini præceptum, & quod tunc temporis gladio materiali fiebat, significatum est degradationibus, & excommunicationibus esse faciendum in hoc tempore, cum in ecclesiæ disciplina visibilis gladius fuerat cessaturus.

QVAEST. CCCXXXI.

AN liceat viro, tradere vxorem suam alteri, in coniugem.

Eod. lib. cap. 7. RESPON. Etsi flagitia in Christianis corrigi debeant, nõ tamen ita corriguntur, vt gratia correctionis cõnubia dirimantur, & maxime in ecclesia Christiana, vbi nuptiarum non solum vinculum, verumetiam sacramentum ita commẽdatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere, quod in republica tunc Romana, non solum minime culpabiliter, verumetiam laudabiliter; Cato fecisse perhibetur.

QVAEST. CCCXXXII.

AN adultus baptizandus, debeat primo deponere malam vitã si eam habet, & postmodum baptizari.

Eod. lib. c. 8. vsq; in fin. RESPON. Dixerunt quidam, quòd ante baptismum sufficit credere sine operibus bonis, ideo ante sunt tantum instruendi de fide qui baptizandi sunt, post baptismum vero etiã de bonis operibus sunt instruendi, sed in hoc male dicunt, cum nemo possit esse filius Dei, & filius diaboli simul & semel, nam si quis baptizaretur dum actualiter teneret concubinam, ex baptismo posset dici filius Dei, & ex concubinatu filius diaboli, sed hoc non potest stare quia etiam fides sine operibus, parum prodest, immo est mortua *Iac. 2.* vt inquit Iacobus Petrus etiam antequam baptizaret tot milia ho-*Act. 2.* minum. Dixit primo agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini. Agere pœnitentiam est dolere de

peccatis

peccatis prætcritis & proponere in futurum non amplius talia cõmittere. Actuum etiam habetur, quòd eunucho euangelizauit Philippus Christum antequam baptizauerit. Et euangelizare Christum est non tantum dicere quæ credenda sunt de Christo, sed & quæ obseruãda ei qui accedit ad compagem corporis Chisti: Ioannes Baptista etiam ipse dicebat ad eos, qui ad suum baptismum veniebant facite fructum dignum pœnitentię, &c. quæ vtique non de fide, sed de bonis operib. admonet. Falluntur ergo, qui fide mortua vitam perpetuam sibi pollicentur, cum dicat Paulus eam tantũ fidem esse euangelicam & salubrem quæ per dilectionem operatur. Et ideo quando dicit. Arbitramur hominem iustificari per fi dem sine operibus legis, non hoc dicit, vt professa fide opera iustitiæ contẽnantur, sed vt sciat se quisque posse per fidem iustificari, si etiam legis opera non pręcesserint, sequuntur enim iusti ficatum & non præcedunt iustificandum. *Act. 8.* *Mat. 3.* *Gal. 5.* *Rom. 3.*

QVAEST. CCCXXXIII.

AN generatio filiorum possit dari in viro muliere ac senib. vel altero eorum tantum sene.

RESPON. Medici tradunt, quòd licet vir sit senex, potest tamẽ generare de muliere iuuene, de muliere vero prouectioris ętatis non potest, licet adhuc patiatur menstrua. Mulier etiam licet sit prouectioris ætatis, & quòd patiatur menstrua, potest de iuuene, concipere. *Ex quæstion. super Gen. q. 35.*

QVÆST. CCCXXXIIII.

DOminatio iusta, nec non seruitus quę sunt.

RESPON. Commendatur in patriarchis dominatio in pecora, & seruitus pecorum. Et merito, nam hęc est sine vlla dubitatione iusta seruitus, & iusta dominatio, cum pecora homini seruiunt, & homo dominatur pecorib. Sic enim dictum est homini quòd habeat potestatem super omnia pecora terræ. Vbi insinuatur rationem debere dominari irrationali vitę. Seruum autem hominem homini, vel iniquitas, vel aduersitas dominari fecit. Iniquitas quidem sicut dictum est. Genes. 9. Maledictus Chanaam, erit seruus fratribus suis. Aduersitas verò sicut accidit ipsi Ioseph filio Iacob vt venditus a fratribus seruus alienigenę fieret, *Sup Genes. quæs. 153.* *Gen. 1.* *Gen. 9.*

Gen. 37. itaque primos seruos, quibus hoc nomen in latina lingua inditum est bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus iure belli, posset occidi, quia seruatus, est seruus appellatus, inde & mancipia, quia manu capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminę uiris, & filij parentibus, quia & illic iustitia est hæc, vt infirmior ratio, seruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus, & seruitutibus clara iustitia est, vt qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cum in hoc seculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnaliũ diuersitatem, ferunt iusti temporalem peruersitatem, in finem habituri ordinatissimam & sempiternam fœlicitatem.

QVÆST. CCCXXXV.

MOrtui per quot dies sunt lugendi, si tamen lugendi sunt, vel lugeantur ab hominibus.

Super Gen. q. 172. *Gen. 50.* *Eccl. 22.* RESPON. Et luxit Ioseph patrem suum per septem dies. Per nouem dies lugere mortuum est de consuetudine gentilium: Et ideo Christiani ab hac consuetudine sunt prohibendi, quia nouẽ dies, non habent authoritatem in sacra scriptura. Luctus vero septem dierum admittitur, quia & in Genesi, vt dixi, & in Ecclesiastico, auctoritatem habet: vbi dicitur luctus mortui septem dierum, septennarius enim numerus propter sabbati Sacramentum, pręcipuæ quietis indicium est: Vnde merito mortuis, tamquam requiescentibus, exhibetur,

QVÆST. CCCXXXVI.

AN audiens quempiam falsum iurantem, & scit eum falsum iurare, vel quia fuit testis ei rei de qua iuratur, aut quia vidit, aut conscius fuit, vel aliquo quouis modo cognouit, & taceat nihil dicens, an iste peccet, quia non denunciauit.

Leui. 5. *Sup Leuit. lib. 1. q. 1.* RESPON. Ex quinto capit. Leuitici habetur, quòd peccet, nisi prodat iurantem falso ille qui audit falsum iurantem, & clare scit falsum iurare: sed restat difficultas, an si iste periurus manifestetur, & quòd ex proditione incurrat periculum mortis, si tunc prodendus sit. Ideo sic respondemns, si volens falsum iurare, & nondum iurauit, sed tantum est paratus ad tale iuramentum, qui

scit

ſcit hoc, debet admonere, prohibere, & reuocare a tam graui peccato illum, ſi poteſt, ſi autem non poteſt reuocare, quia omnino vult falſum iurare, & de facto iurat coram nobis, qui ſcimus, quòd falſum iurat, tunc eſt manifeſtandus iſte, aut illi cui iuratur, aut ſacerdoti, aut alicui alij: Dummodo iſti quibus manifeſtatur, non poſſint irrogare ſupplicium, ſed potius tales ſint, qui vel orationibus, vel bonis perſuaſionibus poſſint talem reuocare a periurio. Et hoc iudicamus ſecurius, quàm ſi proderetur illi qui poſſet, & vellet ſupplicium irrogare. Nam ſcriptura licet dicat, quòd talis debet manifeſtari, non tamen cui debeat manifeſtari, dicit. *Leuit. 5.*

QVAEST. CCCXXXVII.

QVæ differentia eſt inter peccatum & delictum?

RESPON. Fortaſſis peccatum eſt perpetratio mali. Delictum autem deſertio boni, vt quemadmodum in laudabili vita, aliud eſt declinare a malo, aliud facere bonum, vt Profeta nos admonet cum dicit. Declina a malo, & fac bonum, ita in damnabili, aliud ſit declinare a bono, aliud facere mala, & illud delictum, hoc peccatum ſit. Nam & ipſum vocabulum ſi diſcutiatur, quid aliud ſonat. Delictum niſi derelictum, & qui delinquit, quid derelinquit niſi bonum? poteſt etiam dari alia differentia: videlicet, quòd delictum ſit, quod ignoranter, & imprudenter committitur: peccatum quod ſcienter committitur: & huic differentiæ conſonant iſtæ ſcripturæ: Delicta quis intelligit & quoniam tu ſciſti imprudentiam meam. De peccato dicit Iacobus: Scienti bonum & non facienti peccatum eſt illi: Poteſt etiam dici delictum negligentia in bene operando, vnde in latina lingua, quid aliud negligitur, niſi quod non legitur, ideſt non eligitur? Vnde etiam legere a legendo, ideſt ab eligendo latini authores appellatum eſſe dixerunt. His quodammodo veſtigijs colligitur, quòd ille delinquit, qui bonum derelinquit, & relinquendo a bono cadit: quia negligit. i. non legit. i. non eligit. *Sup Leuit. q. 20* *Pſal. 36* *Pſal. 18* *Pſal. 68* *Iac. 4.*

QVAEST. CCCXXXVIII.

QVæ differentia est inter imaginem & similitudinem.

Sup Deuter. q. 4. RESPON. Quid intersit inter imaginem & similitudinẽ quæri solet, licet aliquando significent vnam rem tamen possumus dicere, quòd etiam aliquando significant diuersas res, vt verbi gratia, quando statuarij vel pictores faciunt vnam imaginem hominis in communi idest non attendentes ad exprimendũ per talem imaginem, similitudinem illius vel illius particularis hominis, tũc imaginem vocamus. Et si est imago ẽt similitudo est, cum omnis imago sit similitudo, licet non econuerso, quia potest dari similitudo inter duos, & vnus non erit imago alterius. Si autem patri filius similis sit, etiam imago recte dici potest, vt sit pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur, quarum alię sunt eiusdem substantię sicut filius, aliæ non eiusdem sicut pictura, quãdo autem pictor vel statuarius taliter pingit vel facit, vt exprimat liniamenta alicuius particularis hominis dicetur similitudo, licet, & imago sit. Potest ergo dari duplex differentia, vna quòd imago sit quæ exprimit in communi rem, licet & similitudo possit dici: similitudo vero quæ exprimit rem in particulari, licet & imago aliquando possit dici. Altera differentia est, quòd imago in rationalibus, similitudo in pecoribus.

QVAEST. CCCXXXIX.

PEccare in Deum & in dominum quid sit?

Eod. lib. q. 55. RESPON. Peccare in Deum est in his peccare quæ ad Dei cultum pertinent, sic enim peccabant filij Hely, quibus dixit pater *1. Reg. 2.* si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit per eo? quãdo etiam quis peccat in homines, qui ad Deum pertinẽt, peccat in Deum: nam legitur, quòd *Gen. 20.* Deus dixit ad Abimelech de Sara, propterea peperci tibi, ne peccares in me. Peccare autem in dominum his mihi videntur nõ immerito dici, qui piam pœnitentiam peccati non agunt, ad hunc finem, vt non glorificetur dominus ignoscens: ideo causam reddẽs, *Psal. 50* Dauid cur dixerit. Tibi soli peccaui, &c. subiecit & ait, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, ac si diceret. Tibi

soli

ſoli peccaui, cõfiteor corã te peccatum meum, vt dum mihi ignoſcas, iuſtificeris, ideſt glorificeris. Et cum iterum dicit ſana animam meam, quia peccaui tibi, hoc dicit, vt Deus ignoſcendo glorificetur. *Pſal.* 40

QVAEST. CCCXL.

AN propter vnius peccatum, ſint multi puniendi.

RESPON. Legitur, quòd propter vnum, qui furauerat de anathemate. Dominus puniebat totum Iſrael, & propter hoc peccatum, tria milia virorum volentes pugnare contra hay, non potuerunt reſiſtere, ſed fugerunt, & 36. percuſſi ſunt, quod non accidiſſet, ſi ille vnus non peccaſſet. Deuteronomij tamen dicitur econtrario ſic. Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur, ideo ſic reſpondemus ad hęc quòd alia ſunt iudicia Dei alia hominum. Cum homo iudicat, non debet punire niſi qui peccauit, & hoc eſt quod dicit, in Deuteronom. pręcipit enim ibi hominibus, vt non puniant iuſtũ, per peccato impij. Deus vero & ſi propter vnius peccatum multos punit, hoc facit alto & ſecreto & inuiſibili conſilio. Dico dum temporaliter punit, quia ęternaliter non punit Deus aliquem propter alterius peccatum. Et ideo cum illos 36. homines fecit occidere vt in Ioſuę legimus, propter vnum. Admonetur totus populus, vt quęrat tamquam in vniuerſo corpore quod amiſſum eſt. Admonetur, & oſtenditur, quanta connexa ſit in populi ſocietate, ipſa vniuerſitas, vt non in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tamquam partes in toto exiſtimentur. Admonetur quòd ſi Deus punit vnum populum propter vnius peccatum, quid faciet poſtmodum ſi totus populus peccabit. Viſibiles igitur afflictiones hominum ſiue mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obeſſe & prodeſſe poſſunt nouit dominus in occulto prouidentię ſuę, quemadmodum iuſte quibuſque diſpenſet etiam cum aliorum peccata in alijs videtur vlciſci pœnas vero inuiſibiles, quę non niſi nocent, & prodeſſe non poſſunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, ſicut homine iudice, luere nullus niſi pro ſua culpa, iſtas viſibiles debet. Hoc enim pręcepit homini iudici Deus in his quæ ad humanum iudicium pertinent iudicanda, quod in ſuo iudicio facit ipſe quo poteſtas non aſpirat humana.

Super Ioſue q. 8. *Ioſue* 7. *Deut.* 24

QVAEST.

QVAEST. CCCXLI.

AN Deus se delectauerit sacrificijs animalium in illo veteri testamento, vel etiam sacrificijs hominum, idest vt ei sacrificarentur, homines.

Super Iudic. q. 49 RESPON. Sacrificia, enim illa pecorum Deum Abraam Isaac, & Iacob, non delectabant, sed quod significabatur per illa placitum & delectabile Deo erat, erant enim quædam vmbræ futurorum. Et ideo his sacrificijs voluit nobis Deus commendare res ipsas quæ significabantur per ea, vna vtilis causa hæc fuit, vt mutarentur, nec modo iuberentur offerri, ne vere secundum carnalem affectum, talibus Deum delectari putaremus, sed nec sacrificijs huma- *Exo. 13.* nis delectatur, nam Exo. præcipit, vt primogenita hominum, quæ Deo competunt redimantur precio, ne crederetur quòd filij essent Deo immolādi, præcepit & hebręis dominus ne immolarent filios suos sibi sicut gentes idolis faciebant quia talia oderat sacrificia. Deus autem delectatur talibus sacrificijs, videlicet cū homines pro veritate decertant vsque ad mortem & quòd offerunt cor suum si- *Psal. 50* bi, & omnes sensus, sicut dicebat propheta sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum &c. Sed dices si Abraam sciebat humanis sacrificijs Deum non delectari, quare voluit filium suū Deo offerre? quod non delectatus sit tali sacrificio Deus patet, quia prohibuit & arietem proposuit s̄m morē antiquū, ad complēdū sacrificium. Dr̄, ꝙ Abraam non habebat discutere, an Deus delectaretur tali sacrificio vel non, sed tantum habebat attendere, ad diuinū imperium, vt non parceret filio. Et si crederet etiam Deum non delectari tali sacrificio, credebat postmodum, quòd non iussisset Deus suum filium offerri, quia tali sacrificio delectaretur, sed vt postmodum suscitaret occisum, & hinc aliquid tamquam Deus sapiens demonstraret.

QVAEST. CCCXLII.

Ex q. euāgelicis super Lucā q. 51. AN omnis fictio sit mendacium.

RESPON. Dominus enim finxit se longius ire coram duobus discipulis, & tamen non commisit mendacium, quia non omne quod fingimus mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil

nihil significat tunc est mendaciũ, cum aũt fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Aliquando omnia quæ a sapientibus, & sanctis viris, vel etiam ab ipso domino figuratę dicta sunt mendacia deputabuntur quia secundum vsitatum intelectum, non subsistit veritas in talibus dictis.

QVAEST. CCCXLIII.

QVem differentia est, inter hæreticum & catholicum malum, & schismaticum.

RESPON. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quòd hęretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non viuũt ita vt credunt, schimaticos etiam non diuersa fides, sed communionis dirupta societas facit. *Ex quæst. Euang. sup Mat. q. 11.*

QVÆST. CCCXLIIII.

QVę animalia euangelistis quatuor proprius attribuuntur.

RESPON. Mihi videntur, qui illa quatuor animalia, ad intelligendos quatuor euangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui leonem in Mattheo, hominem in Marco. Vitulum in Luca, aquilam in Ioanne intellexerunt, quàm illi qui hominem Mateo, Aquilã Marco, Bouem Luce, Leonem Ioanni tribuerunt. Isti tantum principium librorum considerauerunt cum tota intentio euangelistarum potius sit perscrutanda, vt primi fecerunt, qui videntes quòd Matheus, narrat multum de Christi regia persona, leonem ei attribuerunt, quia cum ipsa tribu regia, leo commemoratus est, Dum dicitur. Vicit leo de tribu iuda. Matheus enim narrat reges Magos ab oriente venisse, & regem Hęrodem Christum infantem formidasse, quòd Luce vitulus atttibuatur, non est aliqua descrepantia, propter victimam Sacerdotis neutri dubitauerunt, hominem vero Marco illi primi attribuũt & bene quia neque regiam neque Sacerdotalem stirpem narrare voluit & tamen multa narrauit quę in figura hominis tantum operatus est Christus. Aquilam vero Ioanni quia super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat & lucem incommutabilis veritatis accutissimis atque firmissimis occulis cordis intuetur. *De Consensu Euang. cap. 6. Apoc. 4. Apoc. 5.*

QVAEST.

QVÆST. CCCXLV.

QVa de causa iudei subiugati sunt romanis & in dispersionem missi sunt.

Eod. lib. cap. 13. RESPON. Præcesserunt, enim manifesta peccata ipsorum iudeorum propter quæ illis hoc euenturum idest vt romanis subiugarentur, prophetæ tanto ante pędixerant, & maxime quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excecati sunt.

QVAEST. CCCXLVI.

AN sit verum coniugium inter vxoratos, non seinuicem carnaliter copulantes.

De Consen. Euā. lib. 2. c. 1 RESPON. Matheus commemorans Christi humanam generationem, ab Abraam vsque ad Iosep h descendit, licet non generauerit Christum ex concubitu, vnde fas non erat, vt ob hoc eum a coniugio Marię separandum putaret, quòd non ex eius concubitu sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo, magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim, quia nasci eis etiā potuit filius, sine vllo conplexu carnali, qui propter solos gignēdos filios adhibendus est. Et hinc clare patet, ꝙ Ioseph vere dicatur, & recte pater Christi, licet non genuerit eum ex concubitu, cum ex illo vero coniugio natus sit. Vnde si recte ille dicitur pater, qui filium sibi adoptauit, quanto magis Ioseph qui vere coniunx fuit Mariæ. Et ideo excopulatione coniugij, non carnis Christi patrem, Ioseph multo cōiunctius, qui ex eius congiuge natus est vocamus, quàm si ei esset aliunde adoptatus.

QVAEST. CCCXLVII.

AN virgo Maria fuerit de stirpe Dauid & de stirpe sacerdotali.

Ibid. c. 2 Rom. 1. Luc. 1. RESPON. Cum dicat Paulus Ro. 1. Christum esse ex semine Dauid secundum carnem, & carnem non habuit Christus nisi ex Maria, & non ex Ioseph, patet quòd sit ex semine Dauid Lucas etiam

etiam dicit, quòd Elisabet quæ erat de filiabus Aaron, erat cognata Mariæ patet, ꝙ & de stirpe sacerdotali erat. Et sic Christus quantum ad carnem ex vtroque genere propagatus est.

QVÆST. CCCXLVIII.

AN Petrus negauerit Christum ter antequam gallus cantauerit, ratio huius quæsiti est quia Matheus & Lu. & Ioannes dicunt, ꝙ Petrus erat negaturus Christum ter, antequã gallus cantaret. Et Marchus dicit, quod antequam bis cantaret gallus, ter negaturus erat Christum. *Mat. 26. Luc. 22. Ioan. 13 Mar. 14.*

RESPON. Quod dicit Macus verum est, videlicet quòd Petrus non negauit Christum ter, antequam omnino cantaret gallus, sed antequam bis contaret. Et hoc etiam cœteri euangelistæ intelligunt, licet non sic explicitę dicant, illi tres, attenderunt, non quando negationem completurus Petrus, sed quanta futura esset & quando cœptura, idest quia trina, & quia ante galli cantum, quã quam & in animo eius & ante galli cantum primum, tota possit intelligi. Quamuis enim verbis negants ante primum coepta, ante secundum autem gallicantum paracta sit tota illa trina negatio, tamẽ affectione animi & timore Petri ante primũ tota coepta est, & sic tres euangelistæ etiam dicunt verum respectu animi, quòd ante omnem gallicantum tota coepta est, & Marcus quantum ad effectum negationis dicit verum, videlicet quod tota non est paracta ante primum cantum sed ante secundum. *De consensu Euang. lib. 3. cap. 3.*

QVAEST. CCCXLIX.

AN Christus sit crucifixus hora tertia, vel hora sexta, ratio huius dubitationis est quia Marcus. 15. dicit quód hora tertia erat quando Iesus Crucifixus est. Et Ioannes dicit quòd erat quasi sexta. *Mar. 15. Ioan. 19.*

RESPON. Cum Christus in cruce sit a militibus Pylati suspẽsus ideo ne a multis putaretur non a iudeis crucifixum Christum, esse. Cum potius illi crucifixerunt quã milites, ideo Marcus hoc patefecit cum dixit hora tertia crucifixum esse Christum intelligit enim quando iudei eum crucifixerunt idest quando clamorosis vocibus constrinxerunt Pylatum, vt crucifigeret Christum clamabant *Eod. lib. cap. 13.*

mabant

mabant enim crucifige eum. Dimitte Barabam, & crucifige Christum, si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, Ioannes vero, dicit crucifixum esse Christum a militibus hora quasi sexta, a clamore iudeorum, vsque ad crucifixionem Christi præterfluxerunt duæ horę cum dimidia, quo tempore volebat Pylatus persuadere Iudeos vt Christum liberarent cum causam mortis non inueniret.

QVAEST. CCCL.

AN ecclesia debeat prohibere hæreticos in omnibus quæ ipsi tenent.

De consensu Euang. lib. 4. c. 5 *Mar. 9.* RESPON. Sicuti dominus noluit vt prohiberetur illi ab Apostolis qui in nomine ipsius Christi eijciebant demonia, licet nõ haberent societatem cum illis, vt Mar. 9. habetur, quia tantummodo reprehenendendi erant, quòd societatem non haberent cum Apostolis, quia vnitatem ecclesiæ non tenebant, & non quia eijciebant demonia in Christi nomine, ita ecclesia catholica nõ prohibet nec reprehendit hæreticos in his quæ sunt communia ipsis, & ecclesię videlicet sacramenta & cœtera quæ nobiscum sunt communia, sed tantum improbat & prohibet diuisionem ac separationem, vel aliquam aduersam paci veritatique sententiam, in hoc enim nobiscum non sunt, & sic contra nos sunt.

QVAEST. CCCLI.

AN lex Moysi mala fuerit & peccatum, & ratio quęsiti est quia
Rom. 4. inquit Paulus, quòd vbi non est lex, nec pręuaricatio, & Ro. 7.
Rom. 7. quòd peccatum occasione accepta per legem operatum est in homine omnem concupiscentiam.

Ex quæs. ad Simp. q. 1. RESPON. Lex enim Moysi, vt inquit isdemmet Paulus Ro. 7. est, sancta & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, quia prohibet agere mala, & uoluntatem Dei docet paragere, iubenda enim iubet, & prohibenda prohibet, bonum enim est lex si quis ea legitimæ vtatur, bona etiam est quia data est non vt committat peccatũ, sed vt appareat peccatum, & apparendo abhominetur, sine lege Moysi erat etiam pręuaricatio, sed non apparebat, quia peccatum mortuum erat idest latebat. Concupiscentia etiam erat sine tali lege, sed non cognoscebatur, ideo adueniente lege cognita est concupiscentia,

cupiſcentia, vt cognita quęreretur Dei gratia, qua concupiſcentia ſuperari poſſet, & ideo lex per ſe non auxit cõcupiſcentiam, nec data eſt, vt augeret, ſed ex prohibitione peccati, ſumpſit occaſionẽ deſiderium noſtrum augendi: ideo lex non eſt mala, ſed bona, neque occidit, niſi quando tantummodo lecta & non intellecta, nec impleta, tunc enim occidit, quando autem impletur ad ſuum verũ ſenſum, tunc viuificat, quia plenitudo legis eſt charitas, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.

QVÆST. CCCLII.

AN concupiſcentia ex prohibitione augeatur.

RESPON. Concupiſcentia enim maiores vires habet crimine præuaricationis adiuncto, cum etiam contra legem facit, q̃ ſi nulla lege prohiberetur, & ideo data lege Moyſi, cum non poſſet concupiſcentiæ reſiſti ſine gratia euangelica aucta eſt ipſa concupiſcentia. *Ibidem.*

QVÆST. CCCLIII.

FAllax dulcedo quid eſt?

RESPON. Fallax enim dulcedo eſt, quam plures, atq; maiores pœnarum amaritudines conſequuntur, & ideo peccatum dulcius factum ex prohibitione. Suauius admittitur, quod vetatur, & ſic fallit nos peccatum falſa dulcedine. *Ibidem.*

QVÆST. CCCLIIII.

AN non poſſe nos perficere bonum viribus proprijs tollat a nobis liberum arbitrium, ſic enim inquit Paulus Rom. 7. Velle. n. adiacet mihi perficere autem non inuenio.

RESPON. Quibuſdam enim non rectè intelligentibus hanc ſententiã velle enim adiacet &c. Credunt his verbis auferri liberũ arbitrium: Sed quomodo aufert, cum dicat, velle adiacet mihi? Certe enim ipſum velle in poteſtate eſt, quoniam adiacet nobis: ſed qđ perficere bonum, non eſt in poteſtate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non. n. eſt hęc prima natura hominis, ſed delicti pœna per quam facta eſt ipſa mortalitas, quaſi ſecunda natura. *Ibidem.*

QVÆST. CCCXLVII.

Ibidem. q. 2. QVæ est epistolæ Pauli ad Romanos intentio siue scopus.

RESPON. Intentio in hac epistola est vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quòd datæ sibi legi seruissent, & ex hoc euangelicam gratiam, tamquam debitam meritis suis percepissent, quia legi seruierant. Vnde nolebant eadem gratiam dari gentibus tamquam indignis, nisi iudaica sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in Apostolorũ actibus soluitur. Act. 15. Non enim intelligebant, quia eo ipso quòd gratia est euangelica operibus non debetur. Rom. 11. Alioquin gratia iam non est gratia teste Apostolo. Et multis locis hoc sepe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, vt nemo se arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem præceperit gratiã: Incipit autem homo percipere gratiam: ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem: Sed aduertendum est, quòd quando homo incipit percipere gratiam, aliquando nõ tantam percipit quanta sufficiens sit ad obtinendum regnum celorũ, veluti quando tantum est factus cathecumenus, veluti etiam erat in illo Cornelio antequam baptizaretur, ideo oportet vt maiorem Act. 10. percipiant gratiam, & ex ea renascantur.

QVÆST. CCCLVII.

AN electio Dei, istius hominis, & istius, & non illius, nec illius idest quòd eligat hunc & non illum vel illum, sit ex preuisis operibus, vel ex preuisa fide aut infidelitate, an tantũ ex Dei gratia.

Eod. li. 1 q. 2. RESPON. Paulus Rom. 9. Volens persuadere bona opera non precedere gratiam sed sequi, dat exemplum de Esau, & Iacob nondum natis, qui adhuc nihil operati erant, nec bonum nec malum, & tñ, antequam nati essent dictũ est, ꝙ maior seruiet minori. Cum ex vno concubitu, & ideo simul in eodem tpe concepti & sub vno tpis puncto & eadem cœli & siderũ dispositione ambo generati. Cur dr̃. Non ex operib. sed ex vocãte maior seruiet minori, vt

secundum

secundum electionẽ, propositum Dei maneret. Quomodo enim hęc electio est iusta, vbi nulla est distantia, Iacob nõdum operatus, erat aliquid boni, ut merito illius operis eligeretur potius q̃ Esau. Nec Esau operatus erat aliquid mali, vt improbaretur merito illius mali operis: Qua ergo discretione, qua ęquitate Deus Esau odio habuit & Iacob dilexit, sicut in Malachia. dicitur? Vnde igitur *Malac. 1* ista electio? An forte sunt aliqua merita naturarum? Quis hoc intelligat; cum ex vno patre ex vna matre, & ex vno creatore, & in vno tempore sint generati? vt supra dictum est: An quemadmodum ex vna terra produxit varia animalia: ita ex vno coniugio, & concubitu, produxit in geminis diuersam prolem, vnam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo electio est, antequam esset, quod eligeretur. Si enim bonus factus est Iacob, vt placeret, vnde placuit, antequam fieret, vt bonus fieret? Non itaque electus est, vt fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit. An forte dices, quòd elegit Iacob, quia pręuidit suam fidem antequam ille nasceretur, & si ex operibus nullus iustificari mereatur, quando quidem bene operari nisi iustificatus non potest, tamen quia ex fide iustificat gentes Deus, nec credit aliquis nisi libera voluntate, hanc ipsam fidei voluntatem futuram præuidens Deus etiam nondum natum, pręscientia qua iustificaret elegerit. Sed quia probamus, ideo non elegisse Iacob ex operibus, quia nondum natus erat, nec operatus erat. Eodem modo etiam probamus, non elegisse ex pręuisa fide, quia cum natus non esset nondum crediderat, eadem enim ratio est de præscientia fidei, & operum, idest sicut pręscientia Deus vidit crediturum, ita præscientia vidit operaturum, vt quomodo dicitur electos propter fidem futuram, quam præsciebat Deus sic alius possit dicere propter futura opera potius electum, quæ nihilominus præsciebat Deus. Ex quo concluditur, quòd non dictum est. Maior seruiet minori ante eorum natiuitatem, non solum non ex operibus, sed nec ex fide quia vtrunque deerat nondum natis. Non igitur & ex præsciẽtia voluit intelligi factam electionem minoris vt ei maior seruiret, vnde igitur facta est illa electio? Si non nec ex operibus nec ex fide præuisis. Non enim secundum electionem propositum Dei manet. Sed ex proposito electio, idest non quia inuenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum iustifica-

tionis ipsius, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cœlorum: vnde cum ait Apostolus. Roman. 9. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi: ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei salui facti sumus, & hoc non ex operibus. Ephes. 1. Ex vocante igitur minor accepit, idest ex gratia Dei, non ex vllis meritis operum suorum, vt maior ei seruiret, etiã ex vocante dictum est Deo non ex operante Iacob: Iacob dilexi: Sed sicut dilexit Iacob non propter merita operum, ita possumus dicere, quòd non odio habuit Esau propter merita malorum operum, vnde ergo odio habuit? non ex operibus, quæ nondum facta erant, odium hoc nihil aliud est, nisi quia non pręstitit Deus Esau illam misericordiam, quã Iacob præstitit. Dicit enim Dominus Moysi, Exo. 33. Miserebor cui misertus ero, & misericordiam pręstabo cui misertus fuero. Quod sic intelligitur. Cui misertus erit Deus, vt eum vocet: misericors miserebitur eius, vt credat: misericordiã pstabit, hoc est faciet eum misericordem, vt etiam bene operetur: Sed adhuc dicitur, quare defuit hęc misericordia Esau? vt non sic vocaretur, vt & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret, vt bene operaretur? Dices forsan, ideo ei defuit, quia noluit credere, ergo data est Iacob quia credidit, & credidit, quia voluit; ergo non ei donauit Deus fidem, sed eam sibiipsi volendo pręstitit, nisi sic diceres. Nemo credit nisi velit, nemo vult nisi vocetur, nemo autem sibi pręstare potest, vt vocetur, vocando Deus præstat & fidem, quia sine vocatione non põt quisquã credere, quamuis nullus credat inuitus. Nemo itaq; credit non vocatus, sed non omnis vocatus credit. Multi enim sunt vocati pauci electi. Matth. 20. Solum ergo illi, qui vocationem contempserunt non consequuntur electionem: sed quid dicemus ad hoc, quod sequitur, igitur nõ volentis, nec currentis, sed Dei miserentis est, velle enim nostrũ sine Dei auxilio non est sufficiẽs, ideo ipse est, qui vocando præparat ẽt bonam voluntatẽ, vocatio igitur est effectrix bonę volũtatis: Sed quare vocatio in vno efficit bonã voluntatẽ in alio nõ, videmus ꝙ illi, qui congruenter sunt vocati, obtemperant vocationi, quia vocat eos Dominus, quomodo eos vocari aptum est, vt sequãtur. Cur ergo non sic est vocatus Esau, vt vellet obedire?

obedire? Videmus enim alios aliter ijsdem rebus demonstratis, vel significatis, ad credendum moueri, verbi gratia Simeon credidit in infantem Iesum cognoscens eum Spiritu Sanctu reuelante. Luc. 2. Nathanael vero credidit ad vnam sententiam, quam ab ipso Christo audiuit, videlicet priusquam te Philippus vocaret &c. Ioan. 1. Discipuli Christi crediderunt in eum viso miraculo aquæ in vinum conuersæ Ioan. 2. Et multi non crediderunt visis mortuis ab ipso suscitatis. Discipuli in passione Christi titubarunt, & tamen latro tunc credidit. Multi Christum facientem miracula contempserunt, et tamen discipulis suis in nomine eius facientibus miracula crediderunt. Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sępe alio modo dicta moueat, aliũ non moueat, quis audeat dicere defuisse Deo, modum vocãdi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est? sed dices tanta esse potest obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis, obdurescat mentis auersio: sed si sic esset, quęritur etiam, vtrum de diuina pœna sit ipsa duritia? sed cum nemo audeat dicere etiam cõtra hanc obstinationem modum vocationis Deo defuisse. Ideo ne hoc quęramus, subiungit Paulus. Roman. 9. Dicit enim scriptura Pharaoni, quia ad hoc te excitaui, &c. Exod. 9. Et hinc ostendit, quòd non volentis, nec currentis, sed Dei est miserentis, concluditque ita. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, quę obduratio nihil aliud est nisi non misereri, idest vt non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed quo sit melior non erogetur. Ex quo aliqui de Deo conqueruntur, quia sibipsis non misertus est, sicut multis aliis. Et ideo pro conclusione huius quęsiti tenendum est, cum Paulo in concusse, quòd apud Deum non est iniquitas, etiam si huius miseretur, & alterius non. Quare autem huius misereatur, & huius non, hoc est alicuius occultę, atque ab humano modulo inuestigabilis ęquitatis. Quod huius misereatur est ex dono suo, quòd vero istius non misereatur, & quòd ei non sit prębenda misericordia: ęquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima. iudicat inscrutabilia sunt enim iudicia eius. Non est tamen iniquitas apud Deum, licet ex vnamet massa corrupta: quæ tota meretur supplicium, excipiat vnam partem a

quia non vult exigere supplicium diuinæ iustitiæ, immo & vult donare ei Paradisum, & ab altera parte vult exigere, quod summæ iustitiæ debetur, sicuti etiam apud illum hominem non est iniquitas, qui duos debitores habet, ab vno exigit debitum, alteri donat, & ideo illi homini, qui de Deo conqueritur, quare huic donet debitum, & alteri non: dicit Paulus, ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? non enim tenetur tibi donare debitum: & etiam si non donat. hoc facit occultissimo, sed tamen iustissimo iudicio. Sed statim ad hæc dicetur. Quare ergo Deus conqueritur de peccatoribus in multis locis scripturarum, quòd peccent, & suam maiestatem offendant. Nam eius voluntati quis resistere potest? Si enim subueniret eis, vt sanctis facit, vtique non peccarent finaliter, & sic locum non haberet querela, sed quia deserit quos vult, ideo sic deserti peccant. Dicitur, quòd duabus de causis Deus conqueritur de peccatoribus, primo iuste conqueritur, quia eos non cogit peccare, sed sua mala voluntate peccant: secundo conqueritur, vt illi, quorum vult misereri, dum sentiunt hanc querelam compungantur corde, & reuertantur ad gratiam, vt tali querela vocentur ad viam salutis.

Item quæritur, quomodo Esau odio habuit Deus, cum Sapient. 11. dicatur. Nihil odisti eorum quæ fecisti. Ad hoc dicitur, quòd Esau quatenus homo & creatura non fuit Deo odiosus, sed quatenus peccator: odit enim Deus in homine peccatum. Quid in Iacob dilexit? non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. Neque enim Deus vasa iræ odit, quatenus fecit ipse, vt sint vasa ad vtilitatem credentium, idest ad vsum correctionis ipsorum. Sunt enim vtilia ad incutiendum timorem electis, sed in ipsis vasis odit impietatem.

Huic conclusioni Augustinianæ superius descriptæ fauet illud dictum Eccles. 33. c. sicut vult etiam ipse August. Dicit enim Ecclesiasticus, & omnes homines de solo, & ex terra vnde Adam creatus est: in multitudine disciplinæ dominus separauit eos, & immutauit vias eorum, & ex ipsis benedixit, & exaltauit, & ex his sanctificauit, & ad se applicauit, & ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos ad dissensionem illorũ, quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, & disponere, omnes viæ eius, secundum dispositionem eius, sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secun-

dum

dum iudicium suum &c. sic exponitur: Cum dicit in multitudine disciplinæ separauit eos, intelligitur, quòd separauit a beatitudine Paradisi, & mutauit vias eorum, vt tanquam mortales viuerent. Tunc facta est vna massa omnium veniens de traduce peccati, & pœna mortalitatis: Cum dicit quosdam benedixit, quosdam maledixit, est id quod dicit Apostolus, An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Et etiam quæ sequuntur conueniunt, quę de facili possunt exponi habita intentione istius sententiæ.

Sic ergo finaliter concludatur, non est iniquitas apud Deum exigentem a quo placet: donantem cui placet, qui nequaquã exigit indebitum, eo quod in Adam mortui, & peccatores omnes sumus, nequaquam etiam donat alienum, nam Paradisus & gratia, sua sunt. Quare tamen & huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es? Debitum si non reddis, habes quod gratuleris, si reddis non habes, quòd quæraris: Credamus igitur tantum, & si capere non valemus. Quoniam, qui vniuersam creaturam & spiritalem, & corporalem fecit & condidit omnia in numero, & pondere, & mensura disponit, sed inscrutabilia sunt iudicia eius. Dicamus halleluia, & non dicamus, quid hoc? vt quod hoc? omnia enim in tempore suo creata sunt.

Aduertendũ est pro clara intelligentia superioris quæsiti, qđ lib. 1. retractationum c. 23. Dicit quòd credere & bene operari, vtrunque est Dei, & vtrunq; est nostrum, est Dei quia a Deo datur fides, & etiam vt bene operemur, quia credentibus datur Spiritus Sanctus, qui in ipsis operatur: est etiam nostrum, quia nobis volentib. vtrunque datur. sic etiam dicitur de præparatione bonæ voluntatis, a Deo est ipsa præparatio, sed quia sine libertate nostra non fit, est etiam nostra: Dicit etiam quòd misericordia Dei erga electos pręcedenti merito fidei tribuitur, & obduratio reproborum pręcedenti impietati, sed tamen etiam meritum fidei præuenit misericordia Dei, hæc misericordia Dei non tantũmodo facta est in homine, quia fidelis est, sed etiam est facta vt fidelis esset: sic dicit Apostolus. Misericordia consequutus sum vt fidelis essem: & non dicit, quia fidelis eram: fideli ergo datur quidem, sed data est etiam vt esset fidelis.

QVÆST. CCCLVIII.

Ibid. lib. 1. q. 2. AN electio præcedat iustificationem impij.

RESPON. Non enim electio præcedit iustificationem, sed econuerso. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum est. Ephes. 2. Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem: non video quomodo sit dictum nisi præscientia.

QVÆST. CCCXLIX.

AN fides mereatur iustificationem hominis, an vero, nec fidei merita præcedant misericordiam Dei.

Ibidem. RESPON. Fides inter dona gratiæ connumeratur, & nemo credit, nisi vocatus. Misericors autem Deus vocat: & ideo non dictum est. Rom. 9. Ex fide maior seruiet minori, sed ex vocante dictum est, vt & fides sit donum Dei, & ideo iustificatio non est absolute tantum ex merito fidei, sed ex dono Dei.

QVÆST. CCCLX.

PEccatum quid sit.

Ibidem. RESPON. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque peruersitas, idest a præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio.

QVÆST. CCCLXI.

AN spiritus Prophetiæ afficiat omnes homines quos inspirat Prophetiam vno eodemque modo.

Ex q. ad Simpl. li. 2. q. 1. RESPON. Spiritus enim vbi vult spirat. Io. 3. & spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus. Attingit enim vbique propter suam munditiam, Afficit enim omnes, nō eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorundem hominum, vbi rerum demonstrantur imagines: alios per fructū mētis ad intelligentiam: alios vtraque inspiratione: alios etiam nescientes. Per informationem spiritus duobus modis: Aut per somnium,

nium, ſicut non ſolum plerique ſancti, ſed & Pharao Gen. 41. & Nabuchodonoſor: Dan. 2. vterque vidit, quod nemo eorum intelligere valebat, ſed tamen vterque videre poterat. Aut per demonſtrationem in eſtaſi, quod nonnulli latini ſtuporem interpretantur mirum ſi proprie, ſed vicine tamen: cum ſit mentis alienatio a ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis ſpiritu aſſumptus capiēdis atque intuendis imaginibus vacet: ſicut Danieli demonſtratū eſt, quod non intelligebat, & Petro illud vas ſubmiſſum de cœlo quatuor linteis: nam & ipſe, quid illa demonſtratio figuraret poſtea cognouit. Per fructum autem mentis, ad intelligentiam vno modo, cum hæc ipſa, quæ demonſtrantur imaginibus, quid ſignificent, & quo pertineant reuelantur, quæ certior prophetia eſt, nam magis ipſam vocat Apoſtolus prophetiam. 1. Corint. 13. ſicut Ioſeph meruit intelligere, quod Pharao non niſi videre: & Daniel exponit regi, quod ille cernit & neſcit. Cum vero ita mens afficitur, vt non rerum imagines coniecturali examinatione intelligat, ſed res ipſas intueatur, ſicut intelligitur ſapientia, & iuſtitia, omniſq; incommutabilis & diuina ſpecies, ad prophetiam de qua nunc agimus, non pertinet. Vtroque autem munere prophetiæ donandi, qui & rerum imagines in ſpiritu vident, & quid valeant ſimul intelligunt, aut certe manifeſtis locutionibus in ipſa demonſtratione informantur, ſicut in Apocalipſi quędam exponuntur. Neſcientes autem afficit prophetiæ ſpiritus, ſicut Cayphas cum eſſet Pontifex prophetauit de domino, quòd expediret vnum mori pro tota gente. Cum aliud inuenis, quæ dicebat attenderet: quæ non ſe ſeipſo dicere neſciebat. Quapropter ſi quæratur a nobis, quantū diſtat inter prophetiam reproborum, vt fuit prophetia Saul. 1. Regum 10. & etiam iſtius Cayphe, & prophetiam ſanctorum Prophetarum, vt Hieremiæ, Eſaiæ, & huiuſmodi tantum diſtat dico quantum inter loquelam humanam quam loquuntur homines, & inter loquelam aſinę Balaam: homines loquelam habent multo tempore, aſina autem tunc, & hoc fecit Deus, vt per hoc prodigium, quod ſtatuerat demonſtraret: ita ad tempus dat reprobis hominib. ſpiritum prophetandi, gratia ſignificandi aliquid, non tamen, ſicut cum quidam dixerit aliquid quod ad ſapientiam pertinet, continuo ſapiens exiſtimandus eſt ſic quiſquam ſi aliquando prophetauerit, ita inter Prophetas non numerabit?.

QVAEST. CCCLXII.

AN cum in ſcriptura ſacra nominatur ſpiritus ſine aliquo addittamento. Debeat aliquando intelligi per malo ſpiritu, vel tantum pro Spiritu.S.

Ibidem. RESPOND. Cũ in ſcripturis dicitur ſpiritus Dei, ſine aliquo alio additamento, vel intelligitur de Spiritu.S.vel de aliqua creatura inuiſibili, nunquam tamen de malo ſpiritu debet intelligi, niſi addatur malus.

QVAEST. CCCLXIII.

QVid eſt pręſcientia, & an verę ſit in Deo pręſcientia.

Ad Simpl. lib. 2. q. 2. RESPON. Præſcientia, futurorum eſt ſcientia. Sed quid futurum eſt Deo qui omnia ſuper greditur tempora? Si enim in ſcientia res ipſas hẽt, non ſunt ei futurę ſed pręſentes, ac per hoc nõ iam præſcientia, ſed tantum ſcientia dici poteſt. Si autem ſicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum ſunt, quę futura ſunt, ſed ea præuenit ſciendo, bis ergo ea ſentit, vno quidem modo ſecundum futurorum præſcientiam, altero vero modo, ſecundum præſentium ſcientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit ſcientię Dei, & hoc non eſt admittendũ in Deo. Nam ſi de nouo quę prænoſcit, cum veniunt in eſſe cognoſcit, certe bis ei innoteſcunt, & ſic temporaliter accederet aliquid ſcientiæ Dei quod eſt falſiſſimum. Reſtat ergo, vt dicamus, quod nihil accedit ſcientiæ Dei, ſed Deus ſic nouit in præſcientia res, vt etiam noſcit dum in eſſe ſunt, quia ipſi non ſunt futurę, ſed præſentes, & cum haheat omnia futura ſibi pręſentia, concluditur quòd potius in ipſo debet dici ſcientia, quàm præſcientia.

QVAEST. CCCXXXIX.

AN Deus vere pęniteat ſe feciſſe aliquid, vti faciunt homines, cum dicat pœnitet me quòd conſtituerim regem Saul.

1.Re.15 Ad Simpli. li. 2. q. 2. RESPON. In hominibus opus pœnitendi eſt, cum proculdubio voluntas mutandi reperitur, ſed in homine cum dolore animi eſt, reprehendit enim in in ſe quod temere fecit. Auferamus ergo iſta quæ de humana infirmitate, atque ignorantia veniunt, & remaneat

neat ſolum velle, vt non ita ſit aliquid quemadmodum erat, ſic poteſt aliquantulum intimari menti noſtræ qua regula intelligatur ꝙ pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur vult non eſſe aliquid ſicut fecerat vt eſſet, ſed tamen & cum ita eſſet, ita eſſe debebat, & cũ ita eſſe iam non ſinitur, iam non debet ita eſſe perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia, in cõmutabili voluntate diſponit. Vnde reſpectu rei, quæ aliter eſt nũc quàm prius erat, quę mutata eſt Dei voluntate, poſſumus dicere ꝙ Deum pœnitet, reſpectu vero diuinę voluntatis quæ nunquam mutatur, ſed ab eternò fuit vt talis res ſuo tempore mutaretur, nó poſſumus dicere, Deum pœnitet. Ad homines ergo potius pertinet, quòd pęniteant, & non ad Deum, licet & Deo hoc tribuamus loquentes more noſtro. Nam ſicut quędam laudabilia hominum, vt pudorem habere & timorem Dei, non recte dicuntur in Deo, cum in eo non ſit nec pudor, nec timor, ita ſic quędam culpabilia hominum, vt pœnitere iraſci, & huiuſmodi, recte intelliguntur in Deo, non ita vt in hominibus, ſed vocabulis tantummodo communibus longe alia ratione & modo.

QVAEST. CCCLXV.

AN ſuffragia facta pro defunctis valeant & quibus valeant. RESPON. Eccleſia ſupplicare conſueuit pro defunctis. Vnde licet Apoſtolus. S. dicat quòd omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque, ſecundum ea quę per corpus giſſet ſiue bonum ſiue malum, & hoc dictum Apoſtoli habet intelligi ante mortem ideſt dum anima exierit ſtatim de corpore: nó tamen eccleſia inaniter curam habet de defunctis, poſt mortẽ, quia eius ſuffragia illis proſunt, qui ſibi aquiſierunt dum in corpore erant, quòd ſibi poſſent etiam poſt mortem prodeſſe. Sunt enim aliqui quibus ſuffragia nihil proſunt, illi videlicet qui ex hac vita decedunt in mortali culpa. Sunt etiam alij quibus non proſunt, illi videlicet qui tranſacti ex hac vita decedunt vt non indigeant ſuffragijs, ſunt vero alij quibus proſunt, vt illi qui modum viuendi, nec tam bonum habuerunt, quòd non requirantur poſt mortem ſuffragia, nec tam malum, vt eis non proſint iſta, poſt mortem. Non eſt ergo negandũ, ſed & ſi nó legeretur in veteribus libris ſufficeret eccleſiæ authoritas defunctorũ animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris

De Octo q. ad Dulcitium. q. 2.

2. Cor. 5.

ris offertur, vel eleemosynę in ecclesia fiunt, sed eis hęc prosunt, qui cum viuerent, vt hęc sibi postea possent prodesse meruerunt. Dicit etiam in c. 1. de cura gerenda pro mortuis, quòd 2. Mach. c. 12. iubetur offerri sacrificium, pro mortuis.

QVÆST. CCCLXVI.

AN qui viui reperientur in die iudicij, prius moriantur antequam resurgant, vel a mortalitate sint deducendi ad immortalitatem, non pręcedente morte.

Ad Dulcitium. q. 3. 1. Tess. 4

RESPON. Apostolus dicit 1. Corin. 15. stulte tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Dicit etiam in eodem loco omnes, quidem resurgemus. Resurrectio non fit nisi pręcedat mors. Alij codices habent, omnes dormiemus, & clarius dicit hoc modo quòd omnes morientur, hę sententię probant, quòd omnes morientur, sed quia alibi dicit, quòd qui viui tunc erunt, simul rapientur cum cœteris qui mortui sunt, in aera, & sic semper cum domino erunt. Datur intelligi quòd non morientur, sed a mortalitate in immortalitatē trāsferentur sine morte, & ad hoc alludit, symbolū cum dicit, ꝙ iudicabit Christus viuos & mortuos, viuos videlicet, qui tunc erūt viui. De hac materia vellem audire doctiores, sic inquit Aug. Et ideo vt videre potes, non se resoluit hic de hac quęstione.

QVÆST. CCCLXVII.

AN sepultura fidelium facta apud corpora sanctorum prosit animabus ipsorum fidelium.

De cura agen. pro mortuis ad Paul. c. 2. 3. 4.

RESPON. Dicit Christus Mat. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere. Ex quo deducimus, quod quidquid fit de corporibus fidelium post mortem factum, non potest obesse vitæ futuræ, siue sepeliatur corpus, siue non, non obest animę. Dicitur enim a propheta posuerunt mortalia seruorum tuorum escam volatibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terrę, effuderunt sanguinem eorum, & non erat, qui sepeliret. Et hoc fuit dictum a propheta magis ad exaggerandū crudelitatem eorum, qui ista fecerunt non autem ad eorum infelicitatem qui ista perpessi sunt. Et ideo curatio funeris, conditio sepul-

turę,

turę, pompa exequiarum, magis viuorum ſolatia ſunt, quàm ſubſidia mortuorum, ſi enim aliquid prodeſt impio prætioſa ſepultura oberit pio vilis aut nulla, ſed impio nihil prodeſt ergo, &c. Nec ideo tamen, contemnenda & abijcienda ſunt corpora defunctorū maximeque iuſtorum ac fidelium, quibus tamquam organis, & vaſis ad omnia bona opera Spiritus. S. vſus eſt. Si enim paterna veſtis, ac anullus tanto charior eſt poſteris quanto erga parentes maior affectus extitit, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent, vnde & antiquorum iuſtorum funera, officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura preuiſa, ipſique cum viuerent de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filijs mandauerunt. Et hoc habetur in Geneſi plurib. in locis. Et Tobias remuneratus eſt a domino, quia mortuos ſepeliebat Dominus etiam laudat mulerem religioſam, quæ vnguentum proparauerat in die ipſius Chriſti ſepulturæ: verum iſtæ auctoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus, ſed ad Dei ꝓuidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere, ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Et hinc videri clare poteſt, quam grata ſit Deo eleemoſyna, quam viuentibus facimus, quando & pietatem quam mortuis exhibemus, remunerat, ſunt ergo fiendæ exequiæ, piè & chriſtianè. Sed ſi non fiunt, ideſt ſi non ſepeliantur corpora, parum vel nihil obeſt illorū animab. Sed vt quæſito formaliter reſpōdeamus. Dico, quòd ſepeliri corpora apud reliquias ſanctorum nihil aliud prodeſt, niſi quòd parentes, dum vident ſuorum ſepulcra apud corpora ſanctorum, facilius poſſunt recordari, vt commēdent animas ſuorū, orationibus illorum ſanctorum. Locus enim per ſe nihil prodeſt animabus, ſed per occaſionem prodeſt, quia ſi ſunt ſepulta corpora vbi fiunt ſupplicationes, facilius recordantur orare pro eis, licet non ſint ommittendæ illæ ſupplicationes quæ generaliter fiunt pro mortuis, etiam ſi corpora nō ſint ſepulta vbi iſtæ ſupplicationes fiunt, ſepelienda ergo ſunt corpora ſidelium, faciendæ ſunt piæ exequiæ & orandum eſt pro omnibus mortuis, qui fuerunt baptizati dum viuerent, licet neſciamus, an taliter in corpore operati ſint, vt eis ſuffragia prodeſſe poſſint.

Gen. 23. 25. 45. *Mat.* 26.

QVAEST.

QVÆST. CCCLXVIII.

AN animæ defunctorum vere appareant, multis in visionibus, vt eis nuntient aliquid, sicut multi dicunt sibi apparuisse animas suorum parentum, potest etiam quæri de sanctis, qui apparuerunt in auxilium multorum, an fiat hoc ex ministerio angelico, vel ipsi in proprio esse appareant.

Eod. lib. capi. 10. vsque in finem. RESPON. Accidit Mediolani, quòd cum filius cuiusdam iam mortui, agitaretur ab exactoribus vt solueret debitum, quod iam pater soluerat, sed filio non dixerat antequam moreretur se soluisse, ideo dum in anxietate animi staret filius, apparuit ei pater in somnijs, & douit quemadmodum soluerat debitum, & quo modo habebat se liberare de manibus istius exactoris. Eodem tempore, accidit apud Carthaginem, quòd magister artis rethoricæ, nomine Eulogius, qui fuit discipulus ipsius Aug. in tali arte, dum lectioni studeret, quam lecturis erat, inuenit passum difficilem, quem dum non intelligeret, anxius tota nocte vt vix potuerit dormire. Aug. in somnijs ei illum passum exposuit, non August. sed Aug. imago, nesciente hoc ipso Augustino, & tam longe distante, nam Aug. Mediolani erat, & Eulogius Carthaginis. Et ideo dico quòd sicut viui apparent sæpe alijs viuentibus, & dormientibus, dum seipsi nesciunt apparere, vt diximus de Augustino, qui apparuit Eulogio, & nesciebat, ita & credere debemus circa mortuos, vt in somnijs quisque videat mortuum, nesciente mortuo, neque curante, quis, vel vbi, vel quando eius imago somniet. Mortui enim non sentiunt res viuentium, nec curant, quod probatur ex illo di-
4. Re. 22 cto de Iosia rege, nam quia fuit bonus coram domino, & populus suus malus, dixit dominus quòd vellet grauiter punire populum, & tollere regem de hoc mundo, ne dum esset mortuus vide-
Esa. 63. ret tantam calamitatem in suo populo. Dicit etiam Esa. quòd Abraam nesciuit populum iudęorum, quia mortuus fuit multo ante, & certe si animę mortuorum curarent res viuentium, inquit Augustinus. Mater mea tota pia, me ipsum nulla nocte, desereret, quæ dum viueret terra marique secuta est, vt mecum viueret: Absit enim vt facta sit vita fœliciore, crudelis, vsque adeo, vt quando aliquid angit cor meum, me tristem filiũ non consoletur, quem dilexit vnice, quem nunquam voluit mœstum videre. Sed

profecto

profecto quod propheta personat verum est. Quoniam pater *Ps. 26.*
meus, & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus inter sunt? Sed statim dicetur si mortui nesciũt,
nec curant res viuorum, quare Abraam, vt in euangelio habetur *Luc. 16.*
nouit vitam mendici Lazari, & diuitis Epulonis, & diues curauit de fratribus viuentibus, ideo orauit Abraam, vt mitteret Lazarum ad eos? Dico quòd Abraam cognouerit vitam Lazari & Epulonis, hoc sciuit Lazaro indicante, cum in sinum eius portatus est: Cura diuitis vero circa fratres suos, ita fuit, sicut & nostra quam habemus de mortuis, nam pro illis oramus, etiam si nescimus quid patiantur, vel quid agant, ita diues monstrabat se curare de fratrib. etiam si nesciret quid paterentur, vel quid agerent fratres: Ex quo omnino fatendum est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed si sciunt aliquando, hoc fit, vel quia indicatur eis ab his, qui moriendo ad eos pergunt, vel ab Angelis: Et non indicatur tamen eis, nisi id, quod a Deo iudicatur oportunum esse eos scire & audire. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solum præterita, vel pſentia verũetiã futura, spiritu Dei reuelante cognoscere, sicuti fecerunt Prophetæ dum hic viuerent. Cum autem animæ defunctorum res viuorum nesciant, nisi vno istorum trium modorum: Habemus dicere, quòd in somniis nõ apparent, ipsis animabus scientibus, sed nescientibus, vt supra etiã diximus, sed hęc apparitio potius fit Angelicis operationibus, vel ex permissione diuina, vel etiam ex iussione Dei, ut admoneãtur viui, de sepeliendis corporibus suorum defunctorum, & ad deferendam humanitatem mortuis, ad instruẽdas quidem mentes mortalium, hæc a Deo fieri iubentur: Sed an mittantur ad viuos a Deo aliqui ex mortuis, non immerito quæritur, cum in scriptura dicitur, quòd regi Saul Samuel apparens futura prædixit, quamuis ali- *1. Reg.*
qui nolint fuisse Samuelem, sed aliquem malignum spiritũ in tali *cap. 18.*
forma euocatum, sed tamen habemus in euangelio, quòd Moyses *Mat. 17.*
in trẽsfiguratione domini apparuit. Et hic posset solui quæstio de sanctis qui multotiens apparuerũt in auxilium hominum, vt fecit Sanctus Felix confessor dum a barbaris oppugnaretur Nola: qui apparuit ad defensionem: Sed dicitur, quòd & si aliquando sancti sic apparuerunt, vt videantur interesse sanctos rebus viuentium,

quòd

quòd non possunt cœteri mortui, hoc ideo faciunt sancti per diuinam potentiam, quod mortui per propriam naturam non possunt facere: Sed quomodo sancti assint periclitantibus, dum eis auxiliantur, an per seipsos assint vno tempore tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, an tantum meritis suis assint, dũ orãt generaliter pro omnibus supplicationib. sicut & nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præsentamur, nec vbi sint, vel quod agant scimus, an omnipotens Dominus, vbique præsens, nec a nobis remotus, exaudiens preces martyrum, per angelica postmodũ ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, & auxilia, quibus iudicat in huius vitæ miseria esse prębenda. Res hæc altior est, quàm vt a me possit attingi, & abstrusior, quàm vt à me valeat perscrutari, & ideo quod horum duorum sit: an verò fortasse vtrunque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam, martyrum, diffinire non audeo, malem a scientibus ista perquirere.

QVÆST. CCCLXIX.

QVare ante Christi aduentum voluit Dominus, vt multa de scripturis sanctis, scriberentur & dictarẽtur ab antiquis p̃rib. RESPON. Neq; enim ob aliud ante aduentum Domini scripta sunt omnia quæ in sanctis scripturis legimus, nisi vt illius commendaretur aduentus, & futura præsignaretur ecclesia, idest populus Dei, per omnes gentes, quod est corpus eius adiunctis, atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante aduentum eius in hoc seculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Iacob antequam nasceretur, prius emisit manum, demum caput; & nihilominus caput obtinuit principatum ordine naturæ, licet fuerit posterius in nascendo, sic Dominus Christus licet ipse sit caput corporis mystici, tamen præmisit quędam membra ante sui ortum, videlicet sanctos Prophetas, & Patriarcas, tanquam quandam sui corporis partem, qua velut manu se nasciturũ esse pręnuncians, etiam populum precedentem superbè, vinculis legis tanquam digitis quinque supplantauit, quòd & per quinque temporum articulos pręnuntiari venturus Prophetariq́ue non destitit: & huic rei consonans per quem lex data est, Libros sanctos conscripsit. Et superbi carnaliter sentientes, & suam iustitiam volentes

De cathechizãdis rud. c. 3.

lentes

entes cõstituere nõ aperta manu Christi repleti benedictione, sed constricta atque conclusa retenti sunt, itaq; illis obligati sunt pedes & cciderunt, nos vero surreximus & erecti sumus. Quamis ergo vt dixi premiserit dñs Christus quãdam partẽ sui corporis, in sanctis, qui eũ nascendi tempore preierunt, tamen ipse est caput corpotis ecclesiæ, illiq; corpori eidẽ oẽs cuius ille caput est cohæserũt, credendo in eũ, quem pręnuntiabant. Non enim pręcurrendo diuulsi sunt, sed adiuncti potius obsequẽdo. Nã & si manus a capite præmitti põt, connexio tñ eius sub capite est. Quapropter oĩa q̃ ante scripta sunt, vt nos doceremur scripta sunt, & figuræ nostræ fuerunt, & in figura contingebant eis, scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum obuenerunt.

QVÆST. CCCLXX.

CVm rudes chatetizare volumus, vnde sumẽdum est principiũ siue quæ narratio primo est eis fienda.

RESPON. Narratio plena est, cũ quisq; primo cathetizatur ab eo qđ scriptum est, in principio fecit Deus cœlum & terrã vsq; ad præsentia tempora ecclesię, non tñ totã scripturã debemus ei de verbo idest oẽs eius libros exponere, sed summatim vel gñatim cõplecti, ita vt eligãtur quædã mirabiliora quæ suauius audiũtur, & illa precipuę q̃ articulos fidei ostẽdũt, & hæc nõ oportet statim a cõspectu abripere, sed aliquãrũ immorãdo, quasi resoluere atq; expandere, & inspicienda atq; mirãda offerre animis auditorũ, cętera vero cœleri percussione inserẽdo cõtexere, & sic nõ multũ fatigabitur instruens, nec instruendi memoria cõfundetur, & sic paulatim deducendus est, qui chatetizatur ad causam intelligẽdã aduentus dñi maiorẽ, quæ est, vt ostẽderet dilectionẽ suam in nobis, cõmendãs eã vehementer, quia cũ adhuc inimici essemus, Christus ꝓ nobis mortuus est. Nã animus qui torbebat cũ se amari senserit excitatur, & qui iã feruebat, cũ se redamari didicerit, magis accenditur manifestũ est nullã esse maiorẽ causã, qua vel inchoetur, vel augeatᷣ amor, quã cũ amari se cognoscit, ꝗ nõdũ amat, aut redamari se vel posse vel sperat, vel iã probat ꝗ prior amat, & si hoc ẽt in turpibus amoribus quãto plus in amicitia. Quid.n. aliud cauemus in offensione amicitię nisi ne amicus arbitretᷣ, qđ eũ vel nõ diligamus, vel mĩus diligamus, q̃ ipse nos diligit? De seueritate ẽt Dei qua corda mortaliũ salluberrimo terrore quatiuntᷣ charitas edificãda est vt ab

Eod. lib. cap. 3. vsque ad finem.

eo, quē timet amari se gaudens, eū redamare audeat, eiusque in se dilectioni etiam si impune posset, tamen displicere vereatur.

Cum vero dubitatur, an cathetizādus velit fieri Christianus, vel fictè, vel rectè vtile erit, vt præmoneatur antea si fieri potest ab his, qui eum norunt in quo statu animi sit: vel quibus causis commotus ad suscipiendam religionem venerit. Quod si defuerit alius a quo id nouerimus, etiam ipse interrogandus est, vt ex eo, qđ respon derit ducamus sermonis exordiū: sed si ficto pectore accesserit humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens: vtique mentiturus est, tñ ex eo ipso qđ mentitur, capiendū est principium, non vt refellatur eius mendaciū, quasi tibi certū sit: sed vt si dixerit eo proposito se venisse, qđ vere approbandū est, siue ille verū, siue falsum dicat, tale tñ propositū, quali se venisse respōdit, approbātes atque laudantes, faciamus eū delectari esse se talēqualē videri cupit, si aūt aliud dixerit, q̃ oportet esse in aīo eius, qui Christiana fide imbuendus est, blādius, & lenius reprehendendo, tanq̃ rudē & ignarum, & Christianæ doctrinæ finē verissimū demonstrando, atq; laudando breuiter & grauiter: ne aut tēpora futuræ narrationis occupes, aut nō prius collocato aīo audeas imponere, facias eū velle, qđ aut per errorem, aut per simulationē nondū volebat. Qđ si forte se diuinitus admonitum vel territum esse responderit, vt fieret Christianus, lætissimum nobis exordiū aditū p̄bet, quanta Deo sit cura pro nobis, & huic demōstrandū est, ꝙ ipse dn̄s nō eum admoneret aut cōpelleret fieri christianū, & incorporari ecclesiæ, & talib. signis, aut reuelationib. erudiret, nisi iā p̄paratū iter in scripturis sanctis, vbi nō q̃reret visibilia miracula, sed inuisibilia sperare cōsuesceret, neque dormiēs, sed vigilās moneretur, eū securus & tutius carpere voluisset, & tunc exordienda narratio est ab eo, ꝙ fecit Deus oīa bona valde & producenda, vt diximus, vsq; ad p̄sentia tēpora ecclesiæ.

Narratione finita spes resurrectionis intimāda est, & de vltimo iudicio tractādū est. De pœnis impiorū in inferno, & demū animāda est infirmitas hoīs aduersus tentationes, & scandala, siue foris, siue intus in ipsa ecclesia, & de vtilitate tentationū, demū dēt instrui de honesta conuersatione, ne cū malis hoīb. conuersetur. Ad extremū ne spes eius in hoīe ponatur sedulo monēdus est: Sed cū occurrerit, ꝙ aliquis literatus, & doctus venerit, vt fiat Christianus, cū tali nō est sic minute loquendū, sicut fit cū indoctis, sed breuiter perstringenda est narratio cum tali, q̄a & ipse videre voluerit sacras literas,

teras,vt mos eſt literatorũ anteq̃ ad baptiſmũ venerit,ſed hic tñ eſt admonẽdus,vt in ſcripturis humiliter quærat ſi veritatẽ deſiderat, & aſſignetur ei aliquis liber catholicus, in quo poſſit de facili inſtrui. His aũt pactis,& ꝙ non videatur cathetizandus adhuc moueri ad approbandũ,q̃ ſunt fidei,vel verecũdia, vel timore religionis, vel quia nõ intelligat,q̃ ſibi ſunt ꝓpoſita,blando ſermone interrogandus eſt,& excitãdus,vt aperiat voluntatẽ ſuã, & an intelligat,& dãda eſt ei fiducia,vt ſi quid ei cõtradicendũ vr̃,libere proferat : Si hoc euenit, quia auerſus eſt,& ſpiritualiter ſurdus, miſericorditer eſt ſufferendus,ſed denuo decurrẽda ſunt, quę neceſſaria maximè vñr,& de vnitate catholicę fidei de tentationib.de Chriſtiana conuerſatione pp futurũ iudicium terribiliter inculcãda ſunt magiſq́; pro illo ad Deũ,q̃ illi de Deo multa dicenda,& ſi ſenſerimus, quòd hęc non libẽter audiat,ad alia quædam ſtupenda & honeſta hylaritate plena dirigendus eſt ſermo, vt animum eius demulceamus, & dum talibus loquimur, debemus vrgere,vt ſedeant, quia ſtantibus ipſis,cum illis periculoſe loquimur, & breuiter in catechiſmo vti debemus prudentia,modeſtia,& charitate, ſemper oculum habentes ad lucrum animarum.

Cum vero cathetizandum interrogauerimus,an propter pręſentis vitę commodum,an propter futuram requiem, quæ poſt hanc vitam ſperatur,deſideret fieri Chriſtianus,& reſpõdeat ſe omnino propter futuram requiem: ſic eum alloqui poſſumus inſtruendo.

Deo gratias frater: valde tibi gratulor,& gaudeo de te: ꝙ in tantis periculoſis tempeſtatib. de certa ſecuritate cogitaſti: Nã multi volunt quietem in hac vita,& nõ inueniunt,quia oĩa cito trãſeunt, nã dicit oĩs caro fœnũ & claritas hoĩs,vt flos fœni, fœnũ aruit, flos *Eſa.* 40. decidit: verbum aũt dñi manet in ęternum. Ideo qui verã requiem deſiderat,dẽt tollere ſpẽ ſuã de iſtis mortalib.reb. & eã collocare in verbo dñi,qđ in ęternum manet,verbum aũt eſt id per qđ fecit oĩa oĩpotẽs Deus, & verbũ eius ipſe eſt Chriſtus, in quo requieſcũt Angeli & oẽs cœleſtes ſpiritus in ſancto ſilentio. Homo.n.peccãdo requiẽ perdidit quã habebat in eius diuinitate, & recepit eã in eius humanitate, ideoq́; oportuno tpe, quo ipſe ſciebat oportere fieri, homo factus eſt,& de fœmina natus eſt, carne quippe cõtaminari non poterat, ipſe carnẽ potius mundaturus: Ipſum antiqui patres venturũ cognouerũt,& prophetauerũt,& ſic ſalui facti ſunt credẽdo,quia veniet,& ſic diſcurre per oẽs actiones vitę Chriſti, q̃ ex ſo-

la bonitate ad nos venit, & salutẽ tantis mediis nobis operatus est, & sic Deo inspirante vtilia ad conuersum dicentur.

QVAEST. CCCLXXI.

Eod. lib. cap. 17.

QVis est, qui vere vult fieri christianus, ídest quis est verus finis Christiani.

RESPON. Qui enim propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quę post hãc vitã sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, vt nõ eat in ignem ęternum, sed in regnũ ęternũ intret cum Christo, vere ipse Christianus est cautus in omni tentatione, ne prosperis reb. corrumpatur, & ne frangatur aduersis, & in abundantia bonorum terrenorũ modestus, & tẽperans, & in tribulationib. fortis & patiẽs: Qui etiã proficiendo perueniet ad talẽ aĩum, vt plus amet dñm, q̃ timeat Gehẽnam: vt ẽt si dicat illi Deus, vtere delitiis carnalib. sempiternis, & quantũ potes pecca nec morieris, nec in gehennã mitteris: sed tantummodo mecũ nõ eris, exhorrescat & oĩno non peccet, nõ iã vt in illud, qđ timebat non incidat, sed ne illũ quẽ sic amat, offendat: in quo vna est requies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit &c.

QVAEST. CCCLXXII.

Eod. lib. cap. 18.

QVare Deus fecit mulierem in hominis adiutorium.

RESPON. Fecit Dñs homini fœminam in eius adiutorium, non ad carnalẽ concupiscentiã: qñquidem nec corruptibilia corpora tunc habebant, anteq̃ eos mortalitas inuaderet pœna peccati: sed vt haberet & iure gloriã de fœmina, cum ei præiret ad Dominum. Seque illi præberet imitandum in sanctitate atq; pietate, sicut ipse esset gloria Dei, cum eius sapientiam sequeretur.

QVAEST. CCCLXXIII.

Eod. lib.

QVare Deus hoĩem cõdidit, cum præsciret ipsum peccaturum.

RESPON. Presciebat enim Deus eos transgressuros, videlicet Adam & Euam: sed tamen quia conditor est, & effector omnis boni, magis eos fecit: quando fecit & bestias, vt impleret terram bonis terrenis, & vtique melior est homo etiam pecca-

tor, quam bestia, & preceptum, quod non erant seruaturi, magis dedit vt essent inexcusabiles, cum in eos vindicare cœpisset quidquid enim homo fecerit laudabilem in suis sanctis inuenit Deum, si recte egerit laudabilem inuenit per iustitiá premiorum, si peccauerit, laudabilem inuenit per iustitiam suppliciorum, si peccata confessus ad recte viuendum redierit, laudabilem inuenit per misericordiá indulgentiarũ. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamuis eum peccatorum prænosceret, cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adiuuaret, semper, & vbique ipse gloriosus, bonitate, iustitia, clementia? Maximè quia & illud presciebat, de propagine mortalitatis eius futuros sanctos. qui non sibi quererent, sed creatori suo gloriam darent, & eum colendo ab omni corruptione liberati cum Angelis Sanctis viuere semper, & beatè viuere mererentur. Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium vt non seruili necessitate, sed ingenua volũtate Deum colerent, dedit etiam Angelis. Et ideo nec Angeli mali superbiendo & non obediendo ipsi Deo non nocuerunt, sed sibiipsis. Nouit enim Deus ordinare deserentes se spiritus, & ex eorũ iusta miseria inferiores partes creaturæ suæ, conuenientissimis, & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare: Itaq; nec diabolus nec homo, quia peccauerunt & lapsi sunt Deo nocuerunt, nec minuerunt veritatẽ, aut potestatem aut beatitudinem sui conditoris, sed iustissimis Dei legibus ambo damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignoti per turpitudinem pœne, vt & homo a suo creatore auersus, victus diabolo subderetur, & diabolus homini ad creatorem suum conuerso vincendus proponeretur, vt quicumque diabolo vsque in finem consentirent, cum illo irent in eterna supplicia, quicumque autẽ humiliarent Deo, & per eius gratiam diabolum vincerent, æterna præmia mererentur.

QVÆST. CCCLX.

QVomodo Deus est amandus, idest an veluti quædam res quę oculis videtur?

Respon. Amandus est Deus, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, & veritas & sanctitas, & iustitia & charitas, & si quid aliquid tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis sapientię, qui Deum amant vere amant. *Ibidem. cap. 27.*

QVAEST. CCCLXXV.

Ibidem.

PEr quas res tentat nos diabolus.

RESPON. Non solũ diabolus tentat per cupiditates, sed ẽt per terrores insultationum & dolorum & ipsius mortis, quidquid autem passus fuerit homo pro nomine Christi, & pro spe vitæ æternæ, & permanens tollerauerit, maior ei merces dabitur, quia si cesserit diabolo, cum illo dãnabitur: Sed opera misericordię cũ pia humilitate impetrant a domino, vt non permittat seruos suos temptari plusquam possint sustinere.

QVAEST. CCCLXXVI.

De Sermone domini in monte li. 1. c. 3.

QVot sunt illa, quibus impletur peccatum?

RESPON. Nam tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, & consensione, suggestio siue per memoriam fit, siue per corporis sensus, cum aliquid videmus aut audimus vel facimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectauerit, delectatio illicita refrenanda est, velut cũ ieiunamus, & visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione, sed huic tñ non consentimus si eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Et hæc cõsensio licet sit tantum in corde, nota tamen est Deo, licet in facto nõ innotescat hominibus. Et sicut tribus gradibus ad peccatum peruenitur, suggestione, delectatione, & consensione, ita & ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tamquam tres mortes, vna quasi in domo, idest cum in corde consentitur libidini: altera iam prolata quasi extra portam cum in factum procedit assensio: tertia cum vi consuetudinis malę tamquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro putens. Quę tria genera mortuorum dominum resuscitasse, quisquis euangelium legit, agnoscit.

QVÆST. CCCLXXVII.

AN liceat coniugatis ex vtroque consensu abstinere se a commixtione carnali dum viuunt.

RESPON.

RESPON. Beatiora sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreandis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint, quod neque contra illud præceptum sit, quo dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit, qui cũ ea nõ carnaliter, sed spiritualiter viuit: & illud seruatur quod per Apostolum dicitur, reliquum est, vt qui habent vxores, quasi nõ habentes sint. Sed maius scrupulum facit in animis paruulorum adhuc non plenè intelligentium id quod dominus dicit: Quisquis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animã suam, non potest meus esse discipulus. Videtur enim hoc contrariũ esse illi, quod dicit, non debere dimitti vxorem excepta fornicationis causa, & tamen nõ ita est, quod sic manifestatur. Regnum.n. æternum quo discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est non habet huiusmodi necessitates temporales. Non est iudæus, neque grecus, neque masculus neque fœnina, neque seruus, neque liber, inquit Apostolus. Sed omnia & in omnibus Christus. Et ipse dominus dicit, in resurrectione, neque nubent, neq; vxores ducẽt, sed erũt. Oportet ergo vt Angeli Dei in cœlis, sicut quisquis illius regni vitã iã hic meditari voluerit oderit nõ ipsos homines, sed istas necessitudines temporales quibus ista quę transitura est vita fulcitur, quę nascendo, moriendoque peragitur: quod qui non odit, necdum amat illam vitã, vbi nulla erit cõditio nascendi, atque moriendi, quæ copulat terrena coniugia. Itaque si aliquem bene Christianum, qui tamen habet vxorem, quamuis cum ea adhuc filios generet, interrogem, vtrum in illo regno habere velit vxorem, memor vtique promissorum Dei, & vitæ illius vbi corruptibile hoc incorruptionem & mortale hoc induet immortalitatẽ: iam magno vel certe aliquo amore suspensus, cum execratione respondebit, se vehementer id nolle. Rursus si interrogem, vtrum vxorẽ suam post resurrectionem accepta angelica immutatione, quę sanctis promittitur, secum ibi viuere velit, tam vehementer se id velle, quàm illud nolle respondebit. Sic inuenitur bonus Christianus diligere in vna fęmina creaturam Dei, quam reformari, & renouari desiderat, odisse autem coniunctionem copulationemque corruptibilem, atque mortalem: hoc est, diligere in ea quod homo est, odisse quòd vxor est. Ita etiam diligit inimicum, non inquantum inimicus est idem malus homo,

De Sermone domini in monte li. 1. c. 25.
1. Cor. 7.
Luc. 14.
Gal. 3.
Mat. 22.

ſed inquantum homo eſt, diligit enim vt lucrifaciat ad regnũ Dei, ſed odit eum in propinquis ſi impeditur a regno Dei, ita intelligitur & in parentibus, vt diligamus eos inquantum nobiſcum ad regnum Dei peduci poſſunt: oderimus vero inquantum impediũt ad Chriſti amorem, & ad Dei regnum adipiſcendum: poteſt igitur Chriſtianus cum coniuge concorditer viuere, ſiue ſupplens cũ ea indigentiam corporalem, ſiue propagationem filiorum, quod iam nonnullo gradu poteſt eſſe laudabile, ſiue pro fraterna tãtum ſocietate cum ea habitare ſine commixtione aliqua carnali, habens vxorem tanquam non habens, quod eſt in coniugio Chriſtianorũ excellentiſſimum atque ſublime: vt tamen oderit in ea omnes tẽporales neceſſitates, & diligat ſpem ſempiternæ beatitudinis.

QVÆST. CCCLXXVIII.

AN liceat viro dimittere vxorem adulteram & quomodo, ſi licet.

Eod. lib. cap. 26. 27. 28. RESPON. Dominus Matth. 19. dicit vxorem dimitti non debere niſi ob fornicationem, ſed quæritur de qua fornicatione vult intelligere, an de illa quæ fit carnali copula tantum, an etiam ſimul omne vitium mortale commiſſum, quod ſolent ſcripturæ vocare fornicationem, vti idolatria, auaritia, & infidelitas. Dicitur, quòd non tantum pro ſtupris, ſed pro quibuſlibet etiam rebus, quæ animam corpore male vtentem a lege Dei aberrare faciunt, & pernicioſe turpiterque corrumpunt poteſt intelligi, & ideo poteſt vir ſine crimine dimittere vxorem, & vxor virum, etiam in talibus fornicationibus, quia exceptam facit dominus cauſam fornicationis: Quam fornicationem generalem & vniuerſalem intelligere cogimur talibus rationibus. Nam inquit Apoſtolus. 1. Corinth. 7. quòd ſi vir fidelis habet vxorem infidelem, & quòd conſentiat habitare cum eo non dimittat eam, & etiam e conuerſo, non enim præcipit vt non dimittat, ſed monet tantum, nam ſi dimitteret, non ageret contra aliquod præceptum: Sicuti ergo Dominus permittit vxorem cauſa fornicationis dimitti, ita hic Apoſtolus permittit vxorem infidelem teneri, & etiam dimitti, ex quo patet, ꝙ & infidelitas ſit fornicatio cuius cauſa Dominus permittit vxorem dimittere: & hoc clarius ibidem Apoſtolus, cum dicit cœteris autem ego dico, non Dominus. Dominus enim

dixit de coniugatis, qui ambo sunt fideles, Apostolus vero dicit de his quorum alter tantum est fidelis: in primis causa fornicationis permittit dominus dimissionem, in secundis permittit Apostolus & dimissionem, & tentionem, quia in vtrisque eadem causa fornicationis licet in primis sit stuprum, in secundis infidelitas.

Sed an a domino iussum sit viro dimittere vxorem adulteram, siue vxori dimittere virum adulterum, an tantum sit consilium, difficile est scire. Hic Augustinus dicit clare, quòd si fuerit causa fornicationis, non cogit dimittere, sed permittit: si autem non fuerit talis causa, cogit non dimittere: primo autem libro retracta. capit. 19. sic inquit, & vbi dixi hoc permissum esse non iussum, non attendi aliam scripturam dicentem. Prouerbior. 18. Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Ac si velit concludere, quòd iussio est, & non permisio, & sic infidelitas, & huiusmodi non essent accipienda nomine fornicationis hic, ne contradiceremus Apostolo, qui permittit stare cum infideli coniuge.

Notandum, quòd quando alter coniugum vult dimittere alterum propter fornicationem, oportet quòd ipse sit immunis a fornicatione. Nihil enim esset iniquius, quàm fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari: incidit enim in illud Apostoli Roma. 2. In quo enim alterum iudicas teipsum condemnas.

QVÆST. CCCLXXIX.

AN coniuges possint ex consensu suę societatis vti carnaliter cum aliis personis, videlicet maritus cum aliena muliere ex permissu vxoris, vt quia est sterilis, vel quia non potest pati concubitum, ita & vxor cum alieno viro ex consensu mariti sine crimine fornicationis.

RESPOND. In veteri testamento inuenitur exemplum, quòd potest fieri, vt fuit tempore Abrahæ, & Iacob, sed nunc præcepta maiora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana peruenit. Tractanda enim sunt illa ad distinguendas ętates dispensationis diuinæ prouidentiæ, quæ humano generi ordinatissime subuenit non autem ad viuendi regulas vsurpandas: *Eod. lib. cap. 29.*

das: Sed tamen vtrum quòd ait Apostolus. 1. Corinth. septimo. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, & econuerso, possit tantum valere, & probare, quòd permittente vxore, vir possit cum aliena non vxorata concumbere sine crimine: Sed hoc nõ est existimandum, ne hoc etiam fœmina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnullę causę possint existere, vbi & vxor mariti consensu, pro ipso marito facere debere videatur, sicut in Antiochia legimus factum esse. Fuit quidam, qui ab Accindino Pręfecto & Consule vrgebatur, vt solueret libram auri alioquin statuto tempore moreretur nisi soluisset, erat enim in carcere: Venit tempus soluendi, & prę paupertate non poterat soluere: Quidam diues hoc sentiẽs mittit ad vxorem incarcerati, quę forsan pulcherrima erat, pollicens libram auri pro marito, si ei consentiret ad eius concubitum. Illa dixit se habere corpus in mariti potestate, & quòd si ipse vellet pro sui liberatione tale quid committi consensisset: Maritus consensit libenter, & gratias egit de tali occasione, non iudicans, quòd talis concubitus libido esset. Venit mulier ad villam diuitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere, vt solet, sed viuere cupienti: accepit aurum, sed ille qui dedit fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cũ terra. Cum mulier domi iam suę posita inuenisset fraudem, prosiliuit in publicum, eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, qua facere coacta est: interpellat pręfectũ, fatetur omnia, quã fraudem passa esset ostendit. Tum verò pręfectus, primo se reum, ꝙ suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in alium sentẽtiam diceret. De Accindini bonis libram auri fisco inferendam; Illam vero mulierem dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique ęstimare, quod velit. Non enim de diuinis libris historia deprompta est, sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro iubente commissum est, quemadmodum antea cum sine vllo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc euangelij capitulo nihil fortius consideran dum est, quàm tantum malum esse fornicationis, vt cum tanto vinculo sibi coniugia constringantur, hęc vna causa solutionis excepta sit.

QVAEST.

QVÆST. CCCLXXX.

GEnera iniuriarum quot sunt?

RESPON. Nam omnia in quibus improbitatem aliquã patimur, in duo genera diuiduntur, eorum alterum est, quod restitui non potest, alterum quod potest, sed in illo, quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest, quod percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat. Sanum autem firmumque ista non iuuant, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam quæ nulla est. Neque hic ea vindicta prohibetur quæ ad correptionem valet, etiam ipsa enim pertinet ad misericordiã. Sed ad hanc referendã non est idoneus nisi qui dilectione odium superauerit. Sic patres veri corrigunt filios, sic sancti orauerunt vt in corpore malorum fieret vindicta, vt anima saluaretur, sicut de Apostolo legitur, quòd tradidit hominẽ Sathanæ, vt spiritus saluus sit. Aliud iniuriarum genus est, quod in integrum restitui potest. Cuius duæ species sunt, vna ad pecuniam, altera ad operam pertinet. De prima dicit dominus si vnus vult a te tollere tunicam, dimitte ei & vestimentum, nam vestimentum reddi potest, ideo reddi potest & satisfieri pro tali iniuria. De secunda dicit etiam ibidem dominus. Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo, & hæc etiam iniuria potest satisfieri in opere, quia & te, qui es iniuriatus, potest iniurians adiuuare, si enim per illius angariam illum adiuueris, etiam & ille potest restituere, suo opere adiuuans te.

Eod. lib. c. 37.

1. Cor. 5.

Mat. 5.

Nisi forte sic sit distinguendum, vt cum dicit dominus de percussa maxilla, omnia velit intelligi, quę ab improbis ingeruntur, & restitui non possunt, nisi vindicta: Cum dicit de vestimento omnia velit intelligi, quę possunt restitui sine vindicta, & ideo addidit, qui tecum voluerit iudicio cõtendere, nam cum aliquid per iudicium aufertur, nõ ea vi putatur auferri cui vindicta debebat: Cũ dicit de angaria mille passuũ, velit intelligi, & q̃ possunt restitui cũ vindicta & sine vindicta. Nam qui operã indebitam violenter exigit, sine vllo iudicio, sicut facit, qui angariat hominem improbè, & cogit se illicite adiuuari ab inuito, & pœnam improbitatis potest luere, &

operam

operam reddere, si hanc ille repetat, qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus iniuriarum dominus docet patientissimum & misericordissimum & ad plura perferenda paratissimum animum christiani esse opportere.

QVÆST. CCCLXXXI.

CVm dicat dominus Mat. 5. omni te petenti da, an debeamus dare omni petenti, & omnia quæ petit.

Eod. lib. cap. 40. RESPOND. Omni petenti inquit & non omnia petenti, vt id des quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? Quid si postremo stuprum petat? Sed breuiter dico, quòd tantummodo dãdum est, quod nec sibi, nec alteri noceat quantum sciri, aut credi ab homine potest, & cui iustè negaueris quod petit, iudicanda est ipsa iustitia, vt non eum inanẽ dimittas: ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod petit dabis, sed aliquãdo melius aliquid dabis, cum petentem iniustè correxeris.

QVÆST. CCCLXXXII.

QVid est peccatum ad mortem pro quo dicit Ioan. 1. Epis. ca. 1. Est autem peccatum ad mortem, &c.

Eod. lib. cap. 43. RESPON. Peccatum ad mortem fratris, idest christiani puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur. Si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierit hac vitam, quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est vtique desperandũ, nec pro illo imprudenter oratur de quo nõ desperatur.

QVÆST. CCCXXXIII.

QVid sit lumen, & quę sint tenebrę in nobis.

De sermone domini in monte. cap. 21. RESPON. Non enim quòd quisque homo faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumẽ in nobis, quia hoc manifestum est bono animo nos facere, quod facimus, omne enim quod manifestatur lumem est. Nan ipsa facta quę ad hominum societatem a nobis procedunt, incertum habẽt exitum,

exitum, & ideo tenebrę vocantur. Non enim noui cum pecuniam porrigo indigenti & petenti, quid aut facturus sit, aut passurus, & fieri potest, vt vel faciat ex ea, vel propter eã patiatur aliquid mali, quod ego cum darẽ euenire noluerim: neq; hoc animo dederim, itaque si bono feci, quod mihi cum facerem notum erat: & ideo lumen vocatur, illuminatur etiam factum meum: qualemcunq; exitum habuerit, qui exitus quoniam incertus, & ignotus est tenebrę appellatę sunt, si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebre sunt. Lumen enim dicitur quia nouit quisque quo animo faciat etiam cum malo animo facit: sed ipsum lumen tenebrę sunt: quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, & duplici corde, quasi vmbram facit: si ergo lumen, quod in te est tenebrę sunt, ipse tenebrę quante sunt? Hoc est si ipsa cordis intentio, qua facis, quod facis, quę tibi nota est sordidatur appetitu terrenarum rerum, & temporalium, atque cecatur, quanto magis ipsum factum, cuius incertus est exitus, sordidum & tenebrosum est? quia & si bene alicui proueniat, quod tu non recta, & munda intentione facis: quomodo tu feceris: tibi imputatur non quomodo prouenerit.

QVAEST. CCCLXXXIIII.

IN Iudicio temerario quot sunt cauenda.

RESPON. Duo sunt autem in quibus temerarium iudiciũ cauere debemus: cum incertum est, quo animo, quidque factum fuerit: vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, uel malus apparet, si ergo quispiam uerbi gratia, conquestus de stomacho ieiunare noluerit, & tu id non credens, edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis, item si manifestam edacitatem, ebriositatemque cognoueris, & ita reprehenderis quasi nunquam illa possit corrigi atque mutari, nihilominus temere iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quę nescimus, quo animo fiant, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, vt desperemus sanitatem. Euitabimus iudicium de quo dicitur Matth. 5. Nolite iudicare, ne iudicet de vobis. *Ibidem. cap. 28.*

QVAEST.

QVÆST. CCCLXXXV.

QVomodo debeamus alios reprehendere, cum occurrit occasio reprehendendi.

Eod. lib. c. 30. RESPON. Pie cauteque vigilandum est, vt cum aliquem reprehendere, vel obiurgare nos neccessitas coegerit, primum cogitemus vtrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus, & si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si vero habuimus & & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehension em, aut obiurgationem, non odium, sed misericordia præcedat, vt siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersione m valuerit, nam incertus est exitus, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus, si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.

QVÆST. CCCLXXXVI.

VOluntas an tantum in bonis & non in malis dicatur.

Eod. lib. cap. 34. RESPON. Voluntas namque non est nisi in bonis. Nam in malis flagitiosisque factis cupiditas propriȩ dicitur non voluntas. Non quia sic semper loquantur scripturæ, sed vbi oportet, ita omnino proprium verbum tenent, vt non aliud sinant intelligi.

QVÆST. CCCLXXXVII.

QVid est humanæ iustitiæ disciplina vera.

Ex epist. inchoata ad Rom. circa quasi med. RESPON. Ea enim est humanæ iustitiæ disciplina, nō in se amare nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est, nec aprobare peccata sua nec in eis alium improbare, sed seipsum, nec putare satis sibi esse, vt sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur, nec in eis vitandis, vires suas existimare sufficere, nisi diuinitus adiuuetur, iustum enim demum est apud Deum, vt ignoscatur talibus, quæcumque antea commiserūt,

ne

ne quod iniustissimum est cum eis, qui tales non sunt confundantur atque misceantur. Quapropter, & quia talib. nõ ignoscitur iustitia Dei est, & quia ignoscitur gratia est: Iusta est ergo gratia Dei, & grata iustitia, cum in eo quoque etiam pœnitentiæ meritũ gratia præcedat quòd neminem peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua vocationis Dei: Porro iustitię diuinę tanta constantia est, vt cum pęna spiritalis & sempiterna, pęnitenti fuerit relaxata, pręssurę tamen cruciatusque corporales, quibus etiam martyres exercitatos nouimus, postremo mors ipsa, quam peccando meruit natura nostra, nulli relaxetur. Quod enim iustitta iusti homines, & pij, tamen exoluunt ista supplicia, de iusto Dei iudicio venire credendum est: ipsa est quæ in sacris scripturis etiam disciplina nominatur, quam nemo iustorum effugere sinitur. Neminem quippe excepit, cum diceret Hebr. 12. Quem enim diligit Deus corripit & flagellat omnem filium quem recipit: Si autem initium a nobis, quis finis eorum, qui non credunt euangelio Dei, & si iustus quidẽ vix saluus sit, peccator & impius vbi parebit? Manifeste ostendit eadem ipsas passiones, quas iusti patiuntur, ad iudicium Dei pertinere. Quod inchoari dixit ex domo Dei, vt inde conijciatur, quanta impijs futura seruantur.

QVÆST. CCCLXXXVIII.

CVm alicui dicimus gratia salutationis, salus quid sonat.

RESPOND. Iacobus Apostolus in principio suæ epistolæ per salutationẽ dicit tantum, salutem, & non gratia, & pax vt facit Paulus, nihilominus, tantum sonat salus, sicuti gratia & pax quia salus non est nisi in dono Dei, vbi gratia & pax & salutem pro Trinitate posuit. Et hic non est prætereundum, quòd pater valerius animaduertit admirãs, in quorumdam loquutione, cum alter alteri dixisset salus, quęsiuit ab eo qui & latinæ nosset & punice, quid esset salus. Responsum est tria. Tum illę cum gaudio agnoscens, salutem nostram esse Trinitatem, conuenientiam linguarũ nõ fortuitu sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispẽsatione diuinę prouidentiæ, vt cum latine nominatur salus a punicis, idest Chartaginensibus intelligantur tria, & cum punici lingua sua, tria nominant latinę intelligatur salus. *Eod. lib.*

QVÆST.

QVÆST. CCCLXXXIX.

AN lex Moysi improbetur ab Apostolo. Et liberum arbitrium sit homini ablatum.

RESPON. Cum dicit Paulus Ro. 3. per legem enim cognitio peccati &c. vt quidam putant in legis contumeliam obijcienda, sollicite satis legenda sunt, vt neque lex ab Apostolo improbata videatur, neq; homini arbitriũ liberum fit ablatum, itaque quatuor istos gratus hoĩs distinguamus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis, sub lege trhaimur cum ea. Sub gratia, nec sequimur eam, nec trhaimur ab ea, in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante ergo legem non pugnamus, quia nõ solum concupiscimus & peccamus, sed & peccata approbamus, sub lege pugnamus, sed vincimur, fatemur enim mala esse quę facimus, & fatendo mala esse, vtique nolumus facere, sed quia nondum est gratia superamur, in isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus. Et dum surgere volumus & cadimus grauius affligimur. Inde hoc dicitur. Lex subintrauit vt abundaret delictum. Inde & nunc hoc dicitur pet legem enim cognitio peccati. Non enim ablatio peccati est, quia per solam gratiam auffertur peccatum, bona ergo lex, quia vetat ea quę vetãda sunt, & ea iubet quę iubenda sunt, sed cum quisquam illam viribus suis, putat implere, non per gratiam liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio immo etiam tantum nocet, vt vehementiori peccandi desiderio rapiatur. Et in peccatis etiam præuaricator inueniatur.

Liberum ergo arbitrium perfecte fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium vt non peccemus, sed tamen vt peccare nollimus gratia vero efficit, vt non tantum velimus recte facere, sed etiam possimus, non viribus nostris, sed liberatoris auxilio, qui nobis etiam perfectam pacem in resurrectione tribuit, quę parum perfecta bonam voluntatem consequitur gloria enim in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonę voluntatis.

QVAEST. CCCXC.

AN vocati a Deo omnes ab ipso iustificentur, & nõ immerito q̃ritur, cũ dicat Paulus. Ro. 8. Quos vocauit ipsos & iustificauit.

RESPON.

RESPOND. Nam Matth. 22. legimus. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Tamen quia ipsi quoque electi vtiq; vocati sunt, manifestum est, non iustificatos nisi vocatos, quamquam non omnes vocatos, sed eos, qui secundum propositum, vocati sunt, sicuti superius dixit: propositum autem Dei accipiẽdum est non ipsorum: ipse autem exponit, quid sit secũdum propositum, cum dicit. Quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij Dei. Non enim omnes, qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt, hoc enim propositum ad præscientiã & ad prędestinationem Dei pertinet, nec prædestinauit aliquẽ, nisi quẽ pręsciuit crediturum & secuturum esse sanctorum vocationem, quos & electos dicit. Multi enim non veniunt, cum vocati fuerint. Nemo autem venit, qui vocatus non fuerit. *Eod. lib. propositione 55.*

QVÆST. CCCXCI.

AN Deus in pręscientia sua cum eligit nos, eligat opera bona quæ facturi sumus, an tantum fidem.

RESPON. Quod autem ait Paulus. Ro. 9. Nondum enim nascentium neque agentium aliquid boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocãte. dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est. Malach. 1. Iacob dilexi Esau autem odio habui. Nonnullos mouet, vt putent. Apostolum Paulum abstulisse liberum voluntatis arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis, vel malo impietatis offendimus. Dicunt enim, quòd ante aliqua opera seu bona seu mala duorum necdum nascentium, Deus vnum dilexerit, & alterum odio habuerit, sed respondemus, pręscientia Dei factum esse, qua nouit etiam de nondum natis, qualis quisque futurus sit. Sed ne quis dicat. Opera ergo elegit Deus in eo, quem dilexit, quamquam nondum erant, quòd erant futura præsciebat. Quod si opera elegit, quomodo dicit Apostolus non ex operibus factam electionem, propterea ergo intelligendum est, opera bona, per dilectionem fieri. Dilectionem autem esse in nobis, per donum. S.S. Sicut idem Apostolus dicit. Ro. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per. S.S. qui datus est nobis. Non ergo quisquã gloriari dẽt ex operibus tãquã suis, quę per donum Dei habet, cum ipsa dilectio in eo bonum operatur. Quid ergo elegit *Eod. lib. proposit. 60.*

Deus? Si.n.cui vult donat.S.S.per quem dilectio operatur bonum quō elegit cui donet? Si n.nullo merito, non est electio, equales.n. omnes sunt ante meritū, nec pōt in reb.oīno equalib. electio nīari. Sed qm̄ S.S.non datur nisi credentib. nō quidē Deus elegit opera, quæ ipse largitur cum dat.S.S.vt per charitatē bona operemur, sed tñ elegit fidem. Quapropter nisi quis credat in eum, & in accipiēdi voluntate permaneat, non accipit donū Dei.i.S.S.per quem infusa charitate bonum possit operari. Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in prescientia: quæ ipse daturus est, sed fidē elegit in pſciētia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui S. S. daret, vt bona operando ēt vitā eternam consequeretur. Dicit.n.idem Apostolus 1. Cor. 12. Idem Deus, qui operatur oīa, & in oīb. nusq̄ aūt dictū est Deus credit oīa in oīb. Quod ergo credimus nostrū nō est, quod aūt bonum operamur illius est qui credētib.in se dat.S. S.

Sed hic aduerte, ꝙ primo retract.c.23. se retract. & dicit ꝙ etiā fides est inter dona Dei, ergo quod credimus nostrum nō est sicuti concludit superius, & ideo in retract.lib.sic concludit, vtrunq; nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & vtrunque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est Ephes.6.charitas cum fide a Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo.

QVÆST. CCCXCII.

AN iudicare possimus sine crimine, quos certo scimus malo animo delinquere.

Eod. lib. cap. 79. RESPON. Tu quis es, qui iudicas alienum inquit Paulus Ro. 14.ad hoc dicit, vt in his rebus, quæ possunt & bono animo fieri, & malo, iudicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam: In his enim rebus, quę ita comprehenduntur, vt eas bono & casto animo, non posse fieri manifestum sit, non improbatur si iudicemus; Ideo quęcunque facta ita manifestantur, vt non possit dicere. Bono animo feci, iudicanda sunt a nobis, quæcunque autem ita fiunt, vt quo animo fiant incertum sit, non sunt iudicanda, sed seruanda iudicio Dei, sicut scriptum est. Quæ occulta sunt Deo. Quæ autem palam sunt vobis & filijs vestris.

QVÆST. CCCXCIII.

GRatia Dei & pax Dei, quid sint?

RESPON. Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, vt reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo. *Epist. ad Gal. c. 1.*

Sed adde ex primo retract. cap. 24. Si caccipiendum est, vt tamē sciamus etiam vtrunque ad generalem Dei gratiam pertinere, quo modo in populo Dei aliud spetialiter, Israel, aliud Iudas, & tamen vtrunque generaliter Israel.

QVAEST. CCCXCIIII.

QVis est, qui vere dici possit præuaricator.

RESPON. Ille præuaricator non est, qui rem veram cum conaretur destruere, & postea veram esse, ac destrui non posse cognosceret: tenuit eam, vt in ea ędificetur, sed ille præuaricator est, qui cum destruxerit rem falsam, quia destrui potest, eam rursus ędificat. *Eod. lib. cap. 2.*

QVAEST. CCCXCV.

ORdo quid est.

RESPON. Ordo est a carnalibus ad spiritalia surgere, nō ab spiritalibus ad carnalia cadere. *Eod. lib. cap. 3.*

QVAEST. CCCXCVI.

QVare lex Moysi sit data antiquis patribus cum per fidem Christi venturi iustificarentur, quid opus erat lege.

RESPON. Quid ergo lex? Transgressionis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est. Superbienti igitur populo lex posita est, vt quando gratiam charitatis, nisi humiliatus accipere non posset, & sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret: transgressione humiliaretur, vt quæreret gratiam, nec se suis meritis saluum fieri, quod superbum est opinaretur, vt esset non in sua potestate & viribus iustus: Sed in manu mediatoris iustificātis impium. Disposita quidem & administrata est omnis di- *Eod. lib. cap. 3.*

ſpenſatio veteris teſtamenti, ſed in manu mediatoris, vt ipſe liberaret a peccatis, iam per transgreſsionem legis coactos cõfiteri opus ſibi eſſe gratiam & miſericordiam Domini, vt ſibi peccata dimitterentur & in noua vita per eum, qui pro ſe ſanguinem fudiſſet recõciliarentur Deo, in iſtis igitur erat per tranſgreſsiouem legis, confringenda ſuperbia, qui gloriantes de patre Abraham: quaſi naturalem iactabant ſe habere iuſtitiam, & merita ſua in circuncisione, cęteris gentibus tanto pernicioſius, quanto arrogãtius præferebãt.

QVAEST. CCCXCVII.

QVare Apoſtolus ad Rom. 13. & ad Gal. 5. dicit plenitudinem charitatis conſiſtere in ſola dilectione proximi, cum Dominus dicat. Matth. 22. cõnſiſtere in Dei & proximi dilectione.

Eod. lib. in eſp. c. 5 RESPON. Quia homines poſſunt mentiri de dilectione Dei, quia rariores tentationes eam probant, in dilectione autem proximi facilius conuincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt, conſequẽs eſt autem, vt qui diligit Deum ex toto corde, & ex tota anima, diligat & proximum, quia Deus, qui ſic diligitur, præcipit, vt diligatur proximus, ſicut noſmetipſos, ex quo clare ſequitur, ꝙ nemo poteſt Deum diligere, niſi & proximum diligat, cum ergo alterum iſtorum præceptorum includat alterum, ſufficit vnum commemorare, ſed Paulus commemorat dilectionẽ proximi, quia de ipſa facilius quiſque conuincitur: dicit Ioan. 1.4. Qui enim non diligit fratrem quem videt quomodo poteſt Deum quẽ non videt diligere. Mentiebant enim quidá ſe Dei dilectionem habere, & de odio fraterno eam non habere conuincebantur.

QVAEST. CCCXCVIII.

FOrnicatio quid eſt.

Eod. lib. in eſpoſi. cap. 5. RESPON. Fornicatio eſt amor a legitimo connubio ſolutus: & vagus expiandæ libidinis conſectando licentiam, huic opponitur charitas. Quid enim tam legitime ad fecunditatem ſpiritalẽ coniungitur, quàm anima Deo? cui quanto fixius inhæſerit, tanto incorruptior, inhæret autem charitate. Rectè igitur fornicationi opponitur charitas, in qua ſola eſt cuſtodia caſtitatis.

QVAEST. CCCXCIX.

Emulatio quid est.

RESPON. Emulatio est dolor animi, cum alius peruenit ad rem quam duo pluresve appetebant, & nisi ab vno haberi non potest. Hoc vitium sanat pax, qua id appetimus, quòd omnes, qui appetunt si assequantur, vnum in eo fiunt. ***Eod. lib.***

QVÆST. CCCC.

INuidia quid est.

RESPON. Inuidia est dolor animi, cum indignus videtur aliquis assequi etiam quod tu non appetebas. Hoc vitium sanat mansuetudo, cum quisque ad iudicium Dei reuocans, non resistit voluntati eius, & magis ei credit rectè factum esse, quàm sibi, quod putabat indignum. ***Eod. lib.***

QVÆST. CCCCI.

QVomodo homo spiritualis possit a nobis cognosci.

RESPON. Nihil autem sic probat spiritalem virũ: quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potiusquam insultationem, potiusque auxilia, quàm conuitia meditatur: & quãtum facultas tribuitur suscipit. ***Eod. lib. cap. 6.***

INCIPIT TOMVS QVINTVS,

QVAEST. CCCCII.

De Ciuitate Dei. li. 3. c. 8.



QVARE Deus bona in hoc mundo, tribuit communiter tam malis, quàm bonis.

RESPON. Bona æterna tantummodo iustis preparantur, & mala, idest cruciatus tantum modo impijs in posterũ præparãtur, sed in hoc mundo. bona temporalia iustis, & iniustis fiunt communia, multis de causis, primo quia multi mali videntes hoc, quòd Deus tribuit communiter, tam ipsis, quàm bonis ipsa bona, corriguntur aliquando, & sic vt corrigantur, quidam vero non corriguntur, sed ex Dei patientia thesaurizant sibi iram in die iræ, ideo sicut patientia Dei inuitat malos, ita flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Secundo voluit Deus, quòd bona & mala temporalia, iustis & impiis sint communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunque afficiuntur: Tertio vt ostẽdat Deus se nolle in hoc mundo punire omne peccatum. Nam si nũc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret apertè. diuinitas nulla esse prouidẽtia diuina crederetur, similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus, itẽque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia prẽmia, seruiendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis seruitus, sed cupidos, potius & auaros. Vnde licet ista temporalia sint communia bonis & malis, non sequitur tamen, vt non sint ab inuicem distincti. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, & licet sub eodem tormento non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat palea fumat, & sub eadem tribula, stipulę comminuuntur & frumenta purgantur. Ita vna eademque vis irruens bonos probat, & purificat, & malos vastat & exterminat.

QVAEST.

QVÆST. CCCCIII.

QVare Deus mittit flagella, & si propter peccata, quare & boni simul flagellantur, cum non sic grauiter peccent, vt mali,

RESPON. Propter enim horrendam superbiam, luxuriam, & auaritiam atque execrabiles iniquitates & impietates, Deus conterit terras, & populos, in quibus flagellis simul & boni cum malis flagellantur temporaliter, quia licet bonis vita malorum displiceat, & ideo cũ illis non ibunt in ignem æternum: Quia tamen nõ obiurgant vitia eorum cum commode & cũ fructu posśint, & quia venialiter peccant, ideo temporaliter cum malis flagellantur, nam pater filijs, maritus vxori, Dominus seruis, pastor subditis multa parcunt, et non obiurgant, ne eos molestent, ideo propter talia cũ malis flagellantur. *Eod. lib. cap. 9.*

QVÆST. CCCCIIII.

AN Pompa exequiarum prosit defunctis, et an sit nimis curãdum de sepultura.

RESPON. Proinde omnia ista, idest curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura preciosa: oberit pio vilis, aut nulla: Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diuiti, turba famulorum. Luc. 16. Sed multo clariores in conspectu domini vlceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt, non tamen volumus dicere, quòd corpora nostra sint contemnenda, nec sepultura paruipendenda, et maximè apud fideles. Nam si paterna vestis & anullus tanto chariores sunt posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus, quanto magis corpora non sunt contemnẽda, quæ sunt aliquid plus, quàm vestis, quia ad ipsam naturam pertinent hominis, & quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera vsus est. S.S. Nam antiqui patres procurauerunt de sepultura, & de funere, vt Gen. 23. & 25. habetur, & Tobias commendatus est a Deo, qui curam sepeliendi habebat. Et Dominus *Eod. lib. c. 12. & 13.*

Matth. 26. commendauit bonum opus mulieris religiosæ, quod vnguētum preciosum super membra eius effuderit, atq; hoc ad eū sepeliendū fecerit, & laudātur illi, qui de cruce eius corpus acceperunt, & sepelierunt, sed hæ omnes authoritates nolunt inferre, q̧ si aliquibus fidelibus desint ista funera, ideo & in cœlo desit illis quies, sed inferunt, q̧ Deo placent talia pietatis officia: & ordinauit ea ex sui prouidentia, propter fidem resurrectionis astruendá, & vt consideremus, quanta sit remuneratio pro eleemosinis quas viuis exhibemus, si apud Deum non perit illud pietatis officium, quod defunctis exhibemus.

QVÆST. CCCCV.

AN pudicitia sine castitas violetur & amittatur, violato corpore sine consensu voluntatis.

Eod. lib. cap. 16. & 18. RESPON. Sit igitur in primis positum atque firmatum, virtutem qua rectè viuitur ab animi sede membris corporis imperare sanctumque corpus vsu fieri sanctæ voluntatis, stante hoc supposito verissimo, sequitur quòd pudicitia alicuius virginis, non polluatur: si voluntate non consentit; licet violetur corporaliter, quia nemo polluitur nisi proprio peccato, sed libido illa & pollutio erit aliena, & non propria, si aliena ergo erit nō polluet, si verò polluet: non erit aliena. Nam cum pudicitia sit virtus animi, quomodo amittitur violato tantum corpore, & non animo? vtique si amitteretur, pudicitia non esset virtus animi, cum ergo nullus magnanimus, aut fortis in potestate habeat, quod de sua carne fiat, cum violentatur a superioribus viribus, sed tantum quid annuat mente vel renuat, ideo mente tantum fit pudicus, vel impudicus, ex quo non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate.

QVÆST. CCCCVI.

AN licitum sit se occidere, vt fugiat aliquod facinus.

Eod. lib. c. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 26. RESPON. Si enim alicui non licet occidere quempiam etiam nocentem, cum non habeat potestatem ex aliqua lege, profecto etiam qui se occidit homicida est, & tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendū putauit. Nā Iudas a dn̄o iudicatus est, quia laqueo seipsum interemit: vnde non tm̄ reus Christi mortis, sed & suę finiuit hanc vitá, sed q̄d dicemus de his, q̄ se occidunt, vt fugiant facinus? exēpli gratia,

tia, virgo aggreditur, vt violetur, & se occidit, vt non violetur. Hic duo sunt: vnũ certum. s. homicidium, quia se occidit. Alterũ incertum, ꝙ mente stet inconcussa, licet corporaliter violetur, potius. n. dẽt dimitti peccatũ certum, q̃ incertum, & ideo non ei licet, vt se occidat, non. n. debet committere peccatum proprium, vt fugiat alienum. Quapropter illa Lucretia Romana non rite laudatur, a quibusdam, ꝙ se interemit, quia oppressa fuit inuite á filio Tarquinij Regis, bene laudant eam qui dicunt, duo fuerunt & vnus tm̃ adulteriũ cõmisit, cnm ipsa nõ cõmiserit, voluntate nõ cõsentiente, sed ꝙ se occiderit meretur vituperiũ, nunq̃. n. inuenitur preceptũ in libris sanctis, vt quis debeat se occidere carendi, cauẽdive mali alicu ius causa, imò ꝓhibet nos cũ Exo. 20. dicit, nõ occides, sine aliquo addito, nõ. n. addit proximũ, sed tm̃ dicit non occides, ut intelligamus, & nosipsos non licere occidi, nam si non licet contra nosipsos dicere falsum testimonium, multo magis non licebit nos occidere, nullus ergo supra seipsum hẽt potestatem legitimam occidendi se, sine peccato, si a Deo non fuerit desuper particulariter data, vt quidam de Sansone tenent, qui se oppressit cũ Philisteis iubente latenter Spiritu S. qui ꝑ illum miracula faciebat, & quidẽ non sunt laudandi, qui seipsos occidunt, vt fugiant, vel quæque aspera, vel aliena peccata, quia ostendunt aĩum infirmum, & se non posse tollerare, vel duram sui corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionẽ. Maiorque animus merito dicendus est, qui vitam ærumnosam ma gis potest ferre, quàm fugere, & licet in sancta ecclesia habeantur quædam sanctæ fœminæ, quę se in flumen iecerunt, vt insectatores suę pudicitiæ deuitarent non sunt tamen imitandæ, quia & si illę hoc fecerunt non humanitus, sed diuinitus iussę fecerunt. Ideo quia Abraham voluit immolare filium; & quilibet pater debet sic facere? Hæc est igitur conclusio. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortẽ sibi debere inferre velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem nõ polluebat alienum. Neminem propter peccata sua preterita, propter quæ magis hac vi ta opus est, vt possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit.

QVÆST.

QVAEST. CCCCVII.

QVid respondere debemus infidelibus cum insultant nobis, quòd Christus nō liberat nos de manibus hostium nostrorum & de multis calamitatibus.

Eod. lib. cap. 29. RESPON. Si infideles christianis dicant. Vbi est Deus tuus? ipsi dicant, vbi sunt Dij eorum cum talia patiuntur, pro quibus euitandis eos vel colunt, vel colendos esse contendunt? Nam ista respondet. Deus meus vbique præsens est, vbique totus, nusquam inclusus, qui possit adesse secretus, obesse non motus, ille cum me aduersis rebus exaggerat aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemque mihi æternam pro toleratis pie malis temporalibus seruat. Vos autem qui estis, cum quibus loqui dignum sit saltem de Dijs vestris, quantominus de Deo meo, qui terribilis est, super omnes Deos Psal. 95. quoniam omnes Dij gentium demonia. Dominus autem cœlos fecit.

QVÆST. CCCCVIII.

AN demones suo exemplo incitent homines ad facinora perpetranda.

De Ciuitate Dei. lib. 2. cap. 25. RESPON. Cum quidam videret a quodam milite proprium fratrem spoliari, qui mortuus fuerat propter bellum ciuile, noluit vindicare se, & iterum bellum ciuile suscitare suo exemplo, sed potius detestatus bella ciuilia seipsum ibi pemit, & fraterno corpori adiunxit. Et ne hoc facto viso Romani desisterēt a bellis ciuilibus exhorrentes facinus, Demones in quadam campaniæ planitię inter se conflixerunt & pugnare visi sunt, vt suo exemplo incitarent populos ad bella ciuilia. Nam quia colebantur, vt Dij, ideo vidētes Romani Deos suos inter se pugnare, non putabant malum & inter ipsos Romanos pugnare. Et sic ad bella exemplo demonum incitabantur.

QVÆST. CCCCIX.

QVæ prodigia apparuerunt apud Romanos ante Christi aduentum.

RESPON.

RESPON. Nam anteaquam se aduersus Romam sociale latium, commoueret, cuncta animalia humanis vsibus subdita, canes, equi, asini, boues, & quæque alia pecora sub hominum dominio fuerant, subito efferata, domesticę lenitatis oblita, relictis tectis, libera vagabantur, & propter rabiem quam habebant, vastabãt quoscunque inueniebãt, de his etiam loquitur Orosius libro, quinto. Fuerunt & alia prodigia vt Liuius libro 23. boues loquuti sunt, & infantes nondum nati de vteris matrum clamauerunt, serpentes volauerunt, fœminę gallinę, & viri mutauerunt sexum, fœminę in masculinum, & masculini in fœmininum mutauerunt, ista sunt scripta in historijs illorum gentilium, siue vera sint siue non, inferunt tamen hominibus non perniciem, sed stuporem. Dicunt, & quòd pluit creta & lapides, Mare efferbuit in tantum, vt rupes exurerentur, & pices nauium soluerentur, & hoc factum fuit apud mõtem aetnam qui est in Sicilia, qui flãmas euomit per hiatum stadiorum. 20. Fuit etiam in Aphrica multitudo locustarum, quæ cũ omnia ligna & folia & fructus cõsumpsissent deiectæ sunt in mare, nube quadam inestimabili, quibus mortuis, & ad littus redditis corruperunt aerem, & sic maxima pestilentia orta est. *De Ciuitate Dei. li. 3. c. 23 & c. 31.*

QVÆST. CCCCX.

REgna quid sunt sine iustitia?

RESPON. Remota itaque iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Quia & ipsa latrocinia, quid sunt nisi parua regna. Manus etenim ipsa hominum, cum imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege prędа diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius nomen regni assumit, quod etiam in manifesto confert, non adempta cupiditas, sed addita impunitas: elegãter enim & veraciter illi Alexandro Magno, quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, q̃d ei videretur vt mare haberet infestum? ille libera cõtumacia quid tibi inquit vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, imperator. *De Ciuitate Dei. lib. 4. c. 4*

QVAEST.

QVÆST. CCCCXI.

AN congruat bonis latius velle regnare & sic bellare, vt regna aquirant.

Eod. lib. cap. 15. 33. li. 5. cap. 19.

RESPON. Malis bellare, vt dilatent regna videtur fœcilitas, bonis autem tantum neccessitas: nam si finitimi, & cōfinantes sint quieti & aliqua iustitia freti, & non iniuriosi, non congruit bonis bellare, quia maior fęlicitas est, habere vicinum concordem, quam vicinum malum subiugare bellantem, cum autem finitimi sint mali inquieti, & iniuriosi, tunc congruit & bonis bellare, vt subdantur eorum dominio mali vicini, quia peius esset vt iniuriosi iustioribus dominarentur, & ita non tantum dicetur neccessitas apud bonos, sed & non incongruę dicitur fœlicitas, Regna autem ipsa terrena bonis & malis a Deo dantur. Et fortuitu non dantur, quia Deus non est fortuna, sed Deus verus. Sed pro rerum ordine ac tē pore occulto nobis, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum nón subditus seruit, sed eum ipse tamquam dominus regit, moderatorque disponit. Fœlicitatem vero non dat nisi bonis. Hanc subditi possunt habere & non habere ita & regnantes. Quę tamen plena in ea vita erit, vbi nemo seruiet vlli. Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur, & etiam malis, ne eius cultores adhuc in prouectu animi paruuli, hæc ab eo munera, quasi magnum aliquid cō cupiscant, & hoc est sacramentum veteris testamenti vbi occultum erat nouum, quod illic promissa & dona terrena sunt intelligentibus & tunc spiritualibus quamuis nondum in manifestatione prędicantibus, & quæ illis temporallibus rebus significaretur ęternitas, & in quibus Dei donis esset vera felicitas.

QVÆST. CCCCXII.

FAtum quid sit. Et an sub fato stent homines in suis actionibus.

De Ciuitate Dei lib. 5. c. 1 2. & 7.

RESPON. Nam fatum dicunt homines vsitata loquendi consuetudine, vim esse positionis sýderum, qualis est quando quis nascitur, siue concipitur, quod aliqui alienant a Dei voluntate, aliqui ex illa etiam pendere confirmant, sed illi, qui sine Dei voluntate decernere opinantur sydera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorum ve patiamur, ab auribus om-

nium

nium repellendi ſunt, non ſolum eorum, qui veram religionem tenent. Sed qui Deorum qualiumcunque licet falſorum, volunt eſſe cultores. Hæc enim opinio quid agit aliud, niſi vt nullus omnino colatur, aut rogetur Deus?

Et ideo melius eſt adhęrēdum Hyppocrati medico, quàm Poſſidonio ſtoico aſtrologo. Hyppocrates iudicauit duos fratres (qui ſimul egrotare cęperunt, & ſimul ingraueſcebat morbus vtriſque, & inſimul alleuiabatur) geminos eſſe. Et ideo ex ſimilima temperie valetudinis, cum concepti eſſent ſimul ex parentib. taliter affectis dum concumberēt, & nutriti eiſdem cibis & in eadem domo, vbi aerem, & loci poſitionem, & vim aquarum, plurimum valere ad corpus, vel bene vel male accipiendum medicina teſtatur, eiſdē etiam exercitationibus aſſuefacti, tam ſimilia corpora gererent, vt etiam ad egrotandum vno tempore eiſdemque cauſis ſimiliter mouerētur, Poſſidonius vero iudicauit, eos ſic affectos, quia nati eſſent & concepti ſub eadem conſtellatione ſiderum, quod poteſt eſſe falſum, cum videmus multa animalia diuerſa eſſe licet ſint nata eodem temporis momento & ſub eadem conſtellatione. Nouimus etiam geminos, non ſolum actus & peregrinationes habere diuerſas, verum etiam diſpares ęgritudines perpeti. De qua re facillimam quantum mihi videtur rationem redderet Hyppocrates. Diuerſis alimentis, & exercitationibus, quę non de corporis temperatione ſed de animi voluntate veniunt, diſſimiles eis accidere potuiſſe valetudines. Et hic mirum eſſet ſi Poſſidonius vel alius aſtrologus poſſet hic inuenire quid diceret, ſi nollet imperitorum mentibus in eis quas neſciunt rebus illudere: in hac igitur cauſa, multo eſt acceptabilior coniectura medicinalis quàm aſtrologica. His itaque conſideratis, non immerito creditur cū aſtrologi multa vera mirabiliter reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum, nō bonorum, quorum cura eſt has falſas, & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus atque firmare, non horoſcopi notati, & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt.

QVÆST. CCCCXIII.

AN detur in Deo præſcientia & in homine libera voluntas. *Eod. lib.*
RESPOND. Nos contra Ciceronem & quoſdam alios phi *c. 9. & c.*
loſophos confitemur voluntatem ſummamque poteſtatem ac prę *10.*
ſcientiam

ſcientiā Dei. Nec timemus, ne ideo voluntate nō faciamus, q̄d voluntate facimus, q̄a id nos facturos Deus p̄ſciuit cuius p̄ſciētia falli nō pōt. Quod Cicero timuit vt oppugnaret p̄ſcientiā, & ſtoici, vt nō oīa neceſſitate fieri dicerent, quamuis omnia fato fieri contenderent. Cicero ſic dicebat, ſi in præſcientia ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt, & ſi hoc ordine venient, certus eſt, ordo rerum, præſcienti Deo, & ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt & ordo cauſarum. Non enim aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſarum quo fit omne quod fit, fato inquit fiunt omnia, quæ fiunt, quòd ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumque eſt arbitrium voluntatis. Quod ſi concedimus, inquit omnis humana vita ſubuertitur, fruſtra leges dantur fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberentur neque vlla iuſtitia, bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt. Hęc ergo ne conſequantur indigna & abſurda, nō vult eſſe pręſcientiam futurorum, & ſic Cicero coarctat animū religioſum, vt vnum eligat e duobus, aut aliquid eſſe in noſtra voluntate, aut eſſe præſciētiam futurorū, quoniam vtrunque arbitratur eſſe non poſſe, ſed ſi alterum conſtituatur, alterum tolli, ſi elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium, ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præſcientiam, ipſe autem vt vir doctus, ex his duobus elegit voluntatis arbitrium. Quod vt confirmaretur, negauit præſcientiam futurorum atque ita dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. Nos autem aduerſus iſtos ſacrilegos, atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire antequam fiant, & voluntate nos facere, quidquid a nobis, non niſi volentibus fieri ſentimus & nouimus, omnia vero fato fieri non dicimus, immo nulla fato fieri dicimus, vt ponitur in conſtitutione ſyderum, ordinem autem cauſarum, vbi volūtas Dei plurimum poteſt, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, niſi forte vt fatum a fando ideſt loquendo dicimus. Non eſt autem conſequens, vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, q̄ nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe voluntates noſtræ in ordine cauſarum ſunt, qui certus eſt Deo eiuſque præſcientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt, & ſic qui præſcit omnes rerum cauſas præſcit & noſtrorum operum cauſas. Ad contradicendum vero Circeroni, ſufficit vnum ſuum dictum, nam dixit ſuperius, quod aliquid

non

non potest fieri nisi causa efficiens præcesserit. Sed hoc dictum quid eum adiuuat? Sed non omnem causam esse fatalem: quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria, sufficit quia omne quod fit, non nisi causa præcedente confitetur, nam causæ quæ fortuitæ dicuntur, vnde etiam fortuna nomem accepit, non dicimus, quòd sint nullę, sed tantum latentes, easque damus, vel Dei veri, vel quorumlibet spirituum voluntati, ipsasque naturales, nequaquam ab illius voluntate seiungimus, qui est author omnisque conditor naturę, causę vero voluntariæ, aut Dei sunt, aut Angelorum bonorum vel malorum, aut hominum, ac per hoc colligitur, non esse causas efficientes omnium quæ fiunt, nisi voluntarias illius naturę, s. quę spiritus vitę est spiritus uitæ Deus est, qui viuificat oīa in voluntate Dei est summa potestas, qui creatorum spirituū bonas voluntates, adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator & non voluntatum. Malę quippe voluntates ab illo nō sunt, quoniam contra naturā sunt, quæ ab illo est: Corpora igitur magis subiacent voluntatibus, quædam nostris, idest omnium animantium mortalium, & magis hominum quàm bestiarum, quædam vero Angelorum, sed omnia maxime Dei voluntati subdita sunt, cui etiam voluntates omnes subijciuntur, quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit.

Inter ergo causas efficientes, solus Deus est causa quæ facit, & non fit. Alię vero causæ faciunt quidem, sed & fiunt, vt omnes creati spiritus & maxime rationales, corporales autem causę, quę magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandę, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates. Quomodo igitur ordo causarū, qui præscienti certus est Deo id efficit vt nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeaut locum nostræ voluntates?

Contendat cicero cum his, qui dicunt hunc causarum ordinem esse fatalem, & non nobiscum, qui hoc negamus. Quod vero neget ordinam omnium causarum esse certissimum & Dei præscientiæ notissimum, plus eum quàm stoici detestamur. Aut ergo Deū esse negat. Aut confitetur esse: si negat, non est audiendus: Si confitetur & postmodum dicit quòd non est futurorum præscius, est ac si negaret Deū esse. Quia qui nō est omnium futurorum præscius non est Deus.

Quapropter

Quapropter dico, quòd Deus creauit voluntates nostras liberas, quę ideo liberæ sunt, quia ille voluit, & vtrumlibet possunt facere ex contrarijs. Aliud tamen facturæ non sunt, quam quod Deus præsciuit, quia aliud haud dubiè, nunq̃ facient, tam & si possunt: Certũ est, enim fieri pleraq; posse quæ nunq̃ fient, ita res futuræ nõ manant ex Dei scientia, sed scientia Dei potius ex illis, quæ tamen futuræ non sunt Deo, in quo est error multorum, sed præsentes, ideo non recte dicitur Deum eas pręscire nisi relatu, eum sint præsentes, sed rectius dicitur eas scire videre cernere. Quod si indignum videtur a rebus caducis scientiam Dei generari. Dicamus a prouidentia voluntateque Dei, cognitionem eius proficisci, voluntate statuere quod futurum sit: scientiam, quid voluntas statuerit nosse, Origenes super Genesim ait. Quod futurum est causa esse cur id euenturum præuiderit Deus, itaque non id fieri quia præscitur, potius contra, præsciri quia futurum est. Nec ideo volũtas nostra dominatur aliqua necessitate vt faciat quod nolit, stat enim quòd aliquid necesse sit, vt sit. Et tamen, non coacte fit, sed libere. Nam necesse est, Deum semper viuere. Et tamen non coacte dicimus eum viuere, & contra suam voluntatem, & potestatem: ideo in proposito dico, ꝙ licet illa sint futura quę Deus præsciuit non tamẽ hoc tollit libertatem nostram. Non enim ille homo peccat, quia Deus illum peccaturum præsciuit, immo ideo nõ dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest, nõ fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille pręsciuit.

QVÆST. CCCCXIIII.

QVare Imperium Romanum tempore illorum gentilium Romanorum sic Deus dilatauit.

Eod. lib. cap. 12. & 15. RESPON. Nam cum diu fuissent regna orientis illustria, voluit Deus, & occidentale fieri quod tempore esset posterius, sed imperij magnitudine & latitudine illustrius, idque talibus potissimũ concessit hominibus, ad domanda grauia mala multarum gentiũ, qui causa honoris, laudis, & glorię, consulerent patrię, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque eius, saluti suæ præponere, non dubitarent, pro isto vno vitio, idest amore laudis, pecunię cupiditatem,

piditatem & multa alia vitia comprimentes Romani attendebãt ad laudem propriam, ita vt pro laude non timerent, nec mortem, nec amisſionem diuitiarum & abſtulebant a ſe multa vitia pro cõſequenda laude, Deus igitur ſuſcitauit eos, licet haberent vitium vanægloriæ, vt per eos comprimeret eos, qui pluriora vitia habebant, & vt daret mercedem temporalem ipſis, cum multis vitijs pro acquirenda virtute reſiſterent. Merces ęterna non eis conueniebat, cum tales virtutes non pro Dei honore, ſed pro propria laude operarentur, nihil enim Deus relinquit irremuneratum.

QVÆST. CCCCXV.

AN vitium vanęgloriæ ſit Chriſtianis valde deteſtandum.

RESPON. Huic enim cupiditati gloriæ propriæ melius reſiſtitur ſine dubitatione, q̃ ceditr. Tanto enim quiſq; eſt Deo ſimilior, quanto ab hac immunditia mundior. Tam enim eſt hoc vitium inimicum pię fidei, ſi maior in corde ſit cupiditas gloriæ, q̃ Dei timor vel amor, vt dominus diceret. Quomodo poteſtis credere gloriam abinuicem expectantes, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non quærentes. Item de quibuſdam, qui in eum crediderant, & verebantur palam confiteri, ait Euangeliſta, dilexerunt gloriam hominum magis, quàm Dei. *Eod. li. 5 cap. 14.* *Ioan. 5.* *Ioan. 12*

QVAEST. CCCCXVI.

AN ex iudicio Dei prolongentur, ſiue breuientur bella in mundo.

RESPON. Occultis cauſis & ſi non iniuſtis Deus diſponit regna, ſic etiam tempora ipſa bellorum, ſicut in eius arbitrio eſt iuſtoque iudicio, & miſericordia, vel atterere, vel conſolari genus humanum, vt alia citius, alia tardius finiantur, bellum piratarum a Pompeio, bellum punicum tertium a Scipione, incredibili celeritate, & temporis breuitate confecta ſunt, bellum vero punicum ſecundum per annos 18. durauit, bellum punicum primum per 23. annos peractum eſt, bellum Mytridaticum per 40. annos, bellum ſanniticum annis tractum eſt ferme. 50. *Eod. li. 5 c. 21. 22*

QVÆST. CCCCXVII.

Eod. lib. cap. 24.

VNde Imperatores & domini christiani fœlices esse dicantur. RESPON. Neque enim christianos quosdam Imperatores ideo fœlices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios, morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicę domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes, & cauere & opprimere potuerunt, nam & hęc apud infideles Imperatores inueniuntur, sed fœlices eos dicimus, si iuste imperant, si apud se laudantes non extolluntur, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt: Si Deum timent, diligũt, colunt, si plus amant regnum cœleste, quàm terrenum, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt, si eandem veniam, non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quid aspere coguntur plerunque decernere, misericordię lenitate & beneficiorum largitate compensant; Si luxuria tanto est eis castigatior, quanto posset esse liberior, si malunt cupiditatibus prauis imperare, quàm qubuslibet gentibus, & si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem fœlicitatis æternæ. si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales christianos Imperatores dicimus esse fœlices, interim spe: postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

QVAEST. CCCCXVIII.

De Ciuitate Dei. lib.7. c.32.

QVare Iudæi sic per gentes sint sparsi? RESPON. Sparsa enim est illa gens hebræa per cunctas gentes propter testimonium scripturarum, idest vt scripturas suas per totum orbe spargerent, quibus tam aperte quæ in Christo sequuta sunt, erant prędicta, vt nemo eas legat, qui si Christi acta totamque eius vitam cognoscat, dubitare posit, quin ille ipse sit, de quo illa præcinnuntur.

QVÆST. CCCCXIX.

AN Prophetæ intelligant omnia, quæ prædicunt.

RESPON.

Respon. Populus hebræus in vnam quandam rempublicã congregatus est, vbi per quosdam scientes, per quosdam nesciẽtes, id quod ex aduentu Christi vsque nunc & deinceps agitur, prænun tiaretur esse venturum. *Eod. lib. cap. 2.*

Hic expositor Viues sic inquit, ꝙ prophetæ non omnes sua vaticinia intelligebant, nec qui intelligebant, omnia intelligebant. Nõ enim ex se loquebantur, sed ex superiore Dei afflatu, cuius consilia, non omnia erant eis manifesta. Vtebaturque Deus illis, non velut consultis futurorum, sed instrumentis, quibus hoĩes alloqueretur: & si negandũ non est summã visionũ, hoc est id quo prophetię oẽs referebãtur, esse illis a deo patefactũ, puta de Messya venturo.

Nondum enim est finis prophetiarum, & quamquam summa earum absoluebatur in Christo, nihilominus tamen ex eo quædã nascuntur, ad quæ prophetarum oracula quædam peculiaria spectant, quale est illud nõ apud vnum prophetam de reliquijs Israel quę omnes in fine seculi seruabuntur.

QVAEST. CCCCXX.

HYdromantia siue necromantia, & huiusmodi incantationibus siue ludificationibus demonum similia, a quibus ad nos allata fuerunt. Et quot de talibus inueniuntur.

Respon. Numa Pompilius Hydromantiam facere compulsus est, vt in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes demonum a quibus audiret, quid in sacris constituere atque obseruare deberet. Et hoc genus diuinationis, Varro dicit a Persis allatum, quo & ipsum numam, & postea Pytagoram philosophũ, vsum fuisse commemorat, vbi adhibito sanguine etiã inferos perhibet suscitari. Quod genus diuinationis hydromantia siue necromantia dicitur, vbi videntur mortui diuinare. *Eod. lib. cap. 35.*

Hic expositor Viues multa genera talium diuinationum commemorat. Nam diuinatio vel ex terra petebatur, & dicitur geomã tia, vel ex igne & pyromantia vel ignispicina dicitur, vel ex fumo, quę capnomantia dicitur, vel ex auibus quæ auguria, vel extis, quæ aruspicina in qua multum etrhusci valuerunt, vel ex cribo, quę coscinomantia, vel ex securibus, quæ axinomantia, vel ex herbis, quæ hotonomantia sagarum idest incantatricum ars est, vel ex mortuis necromantia, seu necyomantia, vel ex astris, quę astronomia in

qua qui peritiſſimi dicuntur Caldei etiam ſi in Caldea non ſint nati, vel ex ſortibus ceromantia, vel ex manuū lineamētis, quę chiromantia, vel ex facie ipſa & filo totius corporis, quę phyſiognomia vel ex piſcibus, quæ ichthiomantia, quæ obiecta eſt Apuleio, vel ex palpitatione oculorum, quæ ſoliatio, & palmicum auguriū, tum ſomniorum coniecturę, & oīa quæ latiſſime patebāt ad viſa, & audita, in quib. erant & fulgura & fulgetre, mōſtra voces, ſternuta menta. Et ſic mille artes euocandorum demonum, quas ſatius eſt nec nominari quidē, ſed loquamur de hydromantia, quę ab Auguſtino nominata eſt: hęc enim non fit vno modo, & ſimpliciter, ſed multis modis. Nam aliquando imponitur aqua in ampulla vitrea & a puero inſpicitur. Et dicitur gaſtronomantia a tumore & ventri coſitate ampullæ. Aliquando infunditur aqua in peluim & dicitur lecanomantia. Et demones tunc in fundo aquę faciunt ſonitum leuem, & exilem. Et videntur repere, vt quaſi ſonus ille percipi vix poſſit, vt eorum mendacia non poſſint deprehendi, ſed tantum quidquid euenerit putentur dixiſſe. Aliquando inſpectabant in fontibus, indeque imaginibus oblatis videre ſibi futura videbantur.

QVÆST. CCCCXXI.

QVot genera philoſophorum litterarum gręcarum inueniuntur & eorum auctores, qui fuerunt.

De Ciuitate Dei. lib. 8. c. 2 3. 4. 9. et 11.

Respon. Quantum enim attinet ad litteras gręcas, quę lingua inter cœteras gentium clarior habetur, duo genera philoſophorum traduntur, vnum italicum ex ea parte italię, quæ quondā magna græcia nuncupata eſt. Alterum ionicum in eis terris, vbi & nunc græcia nuncupatur, Italicum genus auctorem habuit pytagoram Samium a quo etiam ferūt ipſum philoſophię nomē, exortū. Nam cum antea ſapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ alijs p̄ſtare videbantur, iſte interrogatus, quid profiteretur, philoſophum ſe eſſe reſpondit, ideſt ſtudioſum, vel amatorem ſapientiæ, quoniam ſapientem profiteri arrogantiſſimū videbat. Ionici vero generis princeps fuit Thales mileſius, vnus illorū, ſeptē q̄ appellati ſunt ſapiētes. Hic auditorē habuit Anaximādrū. Anaximāder Anaximenē. Anaximines Anaxagorā. Anaxagoras Archelaum. Archelaus Socratem, qui fuit primus qui vniuerſam philoſophiam, ad corrigendos mores, & componendos flexit, cum

omnes

omnes ante illum magis naturalibus rebus perſcrutandis operam, maximam impenderint, huius auditor fuit Plato, qui omnes prædeceſſores ſuperauit ingenio, & doctrina, & ipſe partitus eſt Philoſophiam, in naturalem, moralem, & rationalem, ſui prædeceſſores aut tantum naturales erant, aut tantum morales. Ipſe vero & Philoſophus naturalis & moralis, & rationalis fuit, & ad veritatẽ fidei Chriſtianæ propius acceſſit, quia finem boni poſuit eſſe ſm virtutẽ viuere, & ei ſoli euenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, & imitationẽ, nec eſſe aliam ob cauſam beatũ, ideoq; nõ dubitat, hoc eſſe Philoſophari, amare Deũ, cuius natura ſit incorporalis, vnde vtiq; colligitur, tunc fore beatum ſtudioſum ſapientiæ: id enim eſt Philoſophus, cum Deo frui cœperit: Et hanc intelligentiam putamus Platonem habuiſſe altero duorum modorũ, vel ex illuminatione Dei, ſiue manifeſtatione, ſecundum quòd dicit Apoſtolus. Quod notũ eſt Dei manifeſtũ eſt in illis Deus enim illis manifeſtauit, aut quia legit, vel audiuit libros Moyſi, vbi tractatur de eſſe incommutabili Dei, cum dicit ego ſum, qui ſum. *Rom. 1.*

QVÆST. CCCCXXIII.

AN demones antecellant homines bonos & pios, eo quia tenẽt locum ipſis hominibus ſuperiorem. Nam Dij in cœlo demones in aere homines in terra habitant.

RESPON. Nullus animus veraciter religioſus arbitretur demones ſeipſo eſſe meliores, eo quia tenent locum ſuperiorem, & quia habeant corpora meliora, videlicet aerea ſecundum Platonicos, non ſic ſpiſſa, vt nubes, ſed clariora adeo, vt oculis noſtris ſint inuiſibilia; nam ſi propter locum eſſent meliores, ſequeretur, quòd & aues, quę in aere volitant, & tenent ſuperiorem locum nobis, ꝙ hominibus pręponerentur, & hoc eſt abſurdiſſimum, ſi etiam propter corpora potiora, quia ſunt velociores eſſent meliores, ſequeretur, ꝙ & multa animalia bruta antecellerent homines cum eos vincant & acrimonia ſenſuum, & motu facillimo, atque celerrimo & vallentia virium, & annoſiſſima firmitate corporum. Quis hominum videndo ęquabitur Aquilis, & Vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, ceruis, auibus omnib. Quis multum valendo Leonibus, & Elephantibus? Quis diu viuẽdo ſerpentibus, qui etiam depoſita tunica, ſenectutẽ deponere, atq; in iuuentã redire perhibentur, ſed ſicut his omnibus ratiocinãdo *Eod. lib. cap. 15.*

& intelligendo, meliores ſumus, ita etiam demonibus bene atque honeſte viuendo meliores eſſe debemus, ob hoc enim & prouidentia diuina eis, quibus nos conſtat eſſe potiores, data ſunt quædam potiora corporum munera: vt illud quo eis pręeminemus, etiam iſto modo nobis commendaretur multo maiore cura excolendum eſſe, quàm corpus, ipſamque excellentiam corporalem, quam demones habere noſſemus, præ bonitate vitæ qua illis anteponimur, contemnere diſceremus, habituri & nos immortalitatem corporum, non quam ſuppliciorum ęternitas torqueat, ſed quam puritas pręcedat animorum.

QVAEST. CCCCXXIII.

AN demones ſint internuncij inter Angelos & homines, vt per ipſos homines acquirant beneuolentiam, ſiue diſplicentiã cum Angelis, tanquam noſtri mediatores inter nos & Angelos.

Eod. lib. cap. 24. & 25. RESPON. His enim demonibus, ſancti Angeli cœleſtis habitationis, ſiue ſedes, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, amici eſſe omnino non poſſunt, a quibus tam longe abſunt animi affectione, quàm longe abſunt a virtutibus vitia, & a bonitate malitia: & ideo cum non ſit amicitia inter eos, nec demones ſunt internuncij, nec interpretes inter homines & Angelos, propter ſuos peſſimos, ac turpiſſimos mores. Et ideo ſi ad beneuolentiam Angelorum venire volumus, nõ per medietatem demonum, veniendum eſt, ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, qua cũ illis ſumus, & cum illis viuimus, & cum illis Deum quem colunt: colimus, & ſi eos carnalibus oculis videre non poſſumus, ex quo dicimus, quòd male viuendo ſeiungimur ab illis, & non quia corporaliter habitamus in terra, & bene viuendo coniungimur illis.

QVÆST. CCCCXXIIII.

QVem honorem ſanctis martyribus Chriſtiani veri impendũt?

Eod. lib. cap. 27. RESPON. Non enim nos Chriſtiani, ſanctis martyrib. templa, ſacerdotia ſacra, & ſacrificia conſtituimus, tanquam Deo, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus tamen memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſque ad mortem ſuorum corporum, pro veritate certarunt, vt vera

religio innotesceret falsis religionibus fictisque conuictis. Numquam enim auditum est, quòd cum nostri sacerdotes offerunt sacrificia, quòd dicant. Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui & homines & martyres eos fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociauit, vt ea celebritate, & Deo vero de victorijs illorum gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memorię renouatione adhortemur. Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis ornamenta sunt memoriarum non sacra, vel sacrificia mortuorum tamquam Deorum, quia vni Deo tantum est licitum sacrificare.

QVAEST. CCCCXXV.

AN perturbationes, siue passiones, siue affectiones, quæ in animo hominum solent accidere, cum eis aliquid occurrit lętum vel triste, cadant in sapientem, vel non.

RESPON. Fuerunt duæ opiniones vna Platonicorum, altera Stoicorum. Platonici dixerunt, & etiam Peripatetici, quòd passiones tales possunt in sapientem cadere, sed sapiens tenet eas rationi subiectas, & mens eis dominatur, & redigit eas, ad modum nenecessarium: Stoici vero nolunt vllo modo tales affectiones in sapientem cadere, adeo quòd si quis turbatur, vel aliquo timore concutiatur, non possit dici sapiens. Atque isti Philosophi contrariantur potius verbis, quàm re ipsa, quod manifestatur ex tali exemplo, nam Aulus Gelius narrat, se nauigasse cum quodam Philosopho Stoico, sed cum accidisset turbationem maximam maris concitari, Philosophus ille vi timoris expalluit, sed sedata postmodum tempestate Aulus Gelius gratia discendi interrogauit ipsum Philosophum quæ nam illa ratio esset pauoris sui? At Philosophus traxit de Sarcinula sua, Stoici epicteti librum, in quo erant scripta, quæ conueniebant decretis Zenonis & Chrisippi principum Stoicorũ, in eo libro erat, quòd Stoici volunt, quòd animi visa, quæ appellãt phantasias, nec in potestate est vtrum & quando incidant animo, cũ veniant ex terribilibus rebus, necesse est etiam sapientis animũ moueant: ita vt paulisper, vel pauescat mętu, vel tristitia contrahatur: tanquam his passionibus pręuenientib. mentis & rationis offi-

De Ciuitate Dei. lib. 9. c. 4 & 5.

cium: nec ideo tamen in mente fieri opinionem mali, nec approbari ista. eisque consentiri, ex quo ponunt differentiam inter stultum & sapientẽ, stultus animo & mente consentit & cedit his passionibus, sapiens vero, quamuis ab eis concutiatur, & necessitatẽ patiatur, retinet tamen mentis sententiam stabilem & inconcussam, vnde qui bene considerat istorũ opiniones quasi inter se nihil differunt cum vtrique mentem rationemque sapientis ab earum dominatione defendunt, nostra vero christiana eruditio, ipsam mentem subijcit regendam & iuuandã, mentique passiones ita moderandas, atque frenandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur. Denique in disciplina Christiana, non tam quæritur, vtrum pius animus irascatur: sed quare irascatur: nec vtrum sit tristis: sed vnde sit tristis: nec vtrum timeat, sed quid timeat: Irasci enim peccanti, vt corrigatur, contristari pro afflicto, vt liberetur, timere periclitanti ne pereat nescio vtrum quisquam sana consideratione reprehendat.

QVÆST. CCCCXXVI.

Misericordia quid sit inuestigatur.

Eod. lib. cap. 5. RESPON. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtique si possimus, subuenire compellimur. Seruit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, vt iustitia conseruetur, siue cum indigẽti tribuitur, siue quum ignoscitur pœnitenti.

QVÆST. CCCCXXVII.

An Angelis conueniant istę animi passiones, & si non re, saltẽ ex genere loquutionis.

Eod. lib. RESPON. Sancti enim Angeli, quum & sine ira puniãt, quos accipiunt ęterna Dei lege puniendos, & miseris, sine miserię compassione subueniant, & periclitantibus eis, quos diligũt, sine timore opitulentur, tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanæ, etiam in eos vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem, sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen vlla passione turbatur. Hoc enim verbum vindictę vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus.

QVAEST.

QVÆST. CCCCXXVIII.

QVid & quantum demones cognouerunt de Christo, & in quo differat scientia eorum a scientia sanctorum Angelorum.

RESPON. Ipsi autem demones etiam hoc ita sciunt, vt eidem domino infirmitate carnis induto dixerint. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, Venisti ante tempus perdere nos? Vnde dicimus, quod tantum eis innotuit de Christo, quantum ipse voluit, tantum autē voluit, quantum opportuit, sed sic innotuit non sicut Angelis sanctis, qui perfruuntur participata eius ęternitate secundum id quod Dei verbum est, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrranica potestate fuerat liberaturus prædestinatos, innotuit ergo demonibus, non per id quod est vita ęterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, id est secundum quod est Dei verbum cui viuendo per fidem, quæ in illo est corda mundantur, sed per quædam temporalia suę virtutis effecta, & occultatissimę signa præsentię, quę Angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum, potius quàm infirmitati hominum, possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit: Dubitauit de illo demonum princeps, eumque tentauit, an Christus esset explorans, quantum se tentari ipse permisit, vt hominem quem gerebat, ad nostrę imitationis exemplum temperaret, & ex his quæ diximus facile dignoscitur differentia inter scientiam Angelorum & demonum, nam sancti Angeli cognoscūt in verbo causas rerum mutabilium, & temporalium, principales quidem causas conspiciunt in verbo, per quod factus est mundus, quibus causis quędam probātur, quędam reprobantur, & cuncta ordinantur, & ideo, nunquam falluntur, demones vero non ęternas temporum causas & quodammodo Cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum, maiore experientia, multo plura quàm homines futura perspiciunt. Dispositiones quoque suas aliquando prenuntiant, & ideo sępe falluntur, quia coniectant ista mutabilia, mutabilibus caussis, quod sancti Angeli non faciunt, cum ipsi æternis causis & certissimis & immutabilibus Dei legibus in verbo visis prenuncient.

eod. lib. c. 21. 22

QVÆST. CCCCXXIX.

AN Platonici teneant beatitudinem esse soli vero Deo inhærere, sicuti nos Christiani tenemus.

De Ciuitate Dei. lib. 10. ca. 2. 3. RESPON. Non est nobis vllus cõflictus cum philosophis Platonici de obiecto beatitudinis, nam Plotinus explanãs sensum Platonis asserit animam nostram non aliunde esse beatam quàm obiecto quodam luminis intelligibili, quod Deus est, quod lumem ipsa anima non est, sed ab ipso est credita, ita & nos dicimus, quòd bonum nostrum de cuius fine inter multos philosophos est magna controuersia, nullum aliud est, quàm illi cohærere, & in hoc mundo eum ex toto corde & tota anima & tota mente diligere, vt post hanc vitam, adhęreamus Deo, & eo fruamur vt beati simus. Licet nobiscum hoc senserint, tamen adorauerunt creaturam, & ei sacrificauerunt, quia cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt.

QVAEST. CCCCXXX.

AN vni soli Deo sit sacrificandum, & quo fine vult sibi Deus fieri sacrificia.

Eod. lib. cap. 4. 5. 6. 7. RESPON. Quis vnquam sacrificandum censuit, nisi ei quẽ Deum, aut sciuit, aut putauit aut finxit? Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, Duo illi fratres Cayn, & Abel, satis indicant, quorum maioris Deus reprobauit sacrificium, minoris aspexit. Et non est credendum, quòd Deus requirat sibi sacrificari, quia his rebus corporalibus indigeat. Non enim Deus indiget, non solum pecore, vel alijs rebus terrenis, sed nec nostra iustitia.
Psa. 15. Dicente propheta, bonorum meorum non eges, immo tenẽdum ęst, totum quod recte colitur Deus, homini prodesse, & non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse si biberit, aut luci si viderit, illi igitur antiqui patres qui pecora sacrificabant, hoc agebant, vt inhęrerent Deo talia enim sacrificia, hoc significant, sacrificium enim visibile inuisibilis sacrificij sacramentum idest sacrum signum est, illa enim sacrificia facta per res corporales significant sacrificium quod vere a nobis requirit Deus pro vtilitate animæ nostrę, videlicet cor contritum & humiliatum, de quo propheta

pheta sacrificium Deo spiritus contribulatus &c. proinde verum sacrificium est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhęreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus. Vnde & ipsa misericordia qua homini subuenitur si propter Deum non fit, non est sacrificium. Et si enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res diuina est, ita vt hoc quoque vocabulo id latini veteres appellauerunt. Vnde ipse homo Dei nomini consecratus & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in seipsum facit, proptrea scriptum est. Miserere animæ tuę placens Deo. Cum etiam castigamus corpus in ieiunijs, & cœteris afflictionibus propter Deum, & vt fugiamus peccata, tūc facimus sacrificium, de quo Paulus dicit: obsecro vos per misericordiam Dei &c. Cum igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ siue in nos ipsos siue in ꝓximos quæ referuntur ad Deum, opera vero misericordiæ, non ob aliud fiant nisi vt a miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus, quæ beatitudo non fit nisi Dei adhęsione, profecto efficitur, vt vniuersa societas sanctorum offeratur Deo per Sacerdotem magnum, idest Christum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, vt tāti capitis, corpus essemus ſm formā serui. Hanc.n. formā obtulit, in hac oblatus est, in hac Sacerdos, in hac sacrificium est. Multi enim dicit Paulus summus vnum corpus in Christo singuli autem alter alterius membra, habentes dona diuersa, secundum gratiam quæ data est nobis, Hoc est sacrificium christianorū, multi vnū corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, vbi ei demonstratur, quòd in ea oblatione quā offert, ipsa offeratur. Et ideo merito Angeli Sancti nolunt nos sibi sacrificare, sed ei tantum, cuius & ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt, Christus secundum formam serui se obtulit Deo vt doceret soli Dei sacrificari oportere.

Rom. 12.

Rom. 12.

QVÆST. CCCCXXXI.

AN miracula faciat Deus per sanctos suos Angelos, siue quocūque modo & quo fine, & cum sit ipse Deus inuisibilis quomodo se pręstitit visibilem.

Eod. lib. c. 12. 13

RESPON. Non sunt audiendi, qui Deum inuisibilem, visibilia

lia miracula operari negant nam creauit mũdum visibilem, & hoc est maius miraculum. Quidquid enim fit in h oc mundo mirabile profecto minus est, quàm totus hic mundus, idest cœlum, & terra, & omnia quę in eis sunt, quę certę Deus fecit, sic etiam omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est, homo. Quecumque igitur miracula siue per Angelos, siue quocumque modo, ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius, in quo solo beata vita est, cultum religionemque commendent ea vere ab eis, vel per eos, qui nos secundũ veritaté pietatéq; diligunt, fieri Deo ipso in illis operãte credendum est. Quod autem Deus se pręstitit visibilem illis antiquis patribus, nõ in illa natura qua deus est, se pręstitit, sed sicut sonus, quo auditur sententia in silentio intelligentię constituta non est, hoc quod ipsa, ita & speties, qua visus est Deus, in natura inuisibili cõstitutus, nõ erat quodipse. Verumtamẽ ipse in eadem specie corporali videbatur, sicut illa sententia in ipso sono vocis auditur, nec illi ignorabant inuisibilem Deum in specie corporali nequaquam se posse videre: Loquebatur enim cum Moyse, & tamen in ipsa loquutione dicebat, Moyses, ostende mihi temetipsum scienter vt videã te non ergo Moyses videbat eum in propria forma, quia non postulasset visionem eius.

QVAEST. CCCCXXXII.

QVare, Deus in demonibus permisit aliquam potestaté in Dei ciuitatem, aliquando ad eam tentandam.

Eod. lib. c. 21. 22 RESPON. Moderatis autem prefinitisque temporibus, etiam potestas permissa demonibus est, vt hominibus quos possidẽt excitatis, inimicitias aduersus Dei ciuitatem tyrranice exerceant, sibique sacrificia, non solum ab offerentibus sumant, & a volentibus expetant verum etiã ab inuitis persequendo violenter extorqueãt, non solum perniciosa non est, sed etiam vtilis inuenitur ecclesiæ, vt martyrum numerus impleatur, quos ciuitas Dei tanto clariores, & honoratiores ciues habet, quanto fortius aduersus impietatem potestatum etiam vsque ad sanguinem certant, & vincunt hanc potestatem aeream fideles athletæ exorcizando, non placando, & orãdo Deum. Non enim vincit aut subiugat aliquem ipse dyabolus, nisi societate peccati, & quia purgatio peccatorũ facta est, per Christum oblatum in cruce ideo vincunt in nomine Christi potestates aereas cuius sacrificio purgati sunt a peccatis,

QVÆST.

QVÆST. CCCCXXXIII.

AN Sanctissima Trinitas, videlicet Pater & Filius, & Spiritus Sanctus debeant nominari tria principia.

RESPON. Philosophi cum loquuntur & maxime Platonici, qui posuerunt Deum patrem & Deum filium idest paternam mentem de Spiritu S. parum aut nihil loquuti sunt, cum ergo loquuntur de his personis, nominant principia, quia ipsi non timent offendere aures religiosarum mentium. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licent ia, etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem. Non itaque nos cum de Deo loquimur dicimus duo, vel tria principia, sicut nec dicimus duos, vel tres Deos, nec etiam dicimus, quod sabelliani dicunt, videlicet eundem esse patrem, qui est & filius, & eundem esse Spiritum. S. qui est, & pater, & filius, sed dicimus patrem esse filij patrem & filium esse patris filium, & patris, & filij Spiritum. S. nec patrem esse nec filium. Et non ideo dicimus tria principia, sed vnum principium, & vno tantum principio nos purgari, quamuis apud illos philosophos pluraliter sint dicta principia. *Eod. lib. 11. c. 23*

QVAEST. CCCCXXIIII.

AN santissima Trinitas sit simplex, vel compositum bonum, & si simplex, quare sit.

RESPON. Est enim Deus simplex solum bonum, & ob hoc etiam solum incommutabile. Ab hoc bono simplici, creata sunt omnia bona, sed non simplicia, & ob hoc mutabilia, creata dico, & facta, & non genita. Quia quod de simplici bono genitum est, pariter simplex est. Et hoc est, quod illud de quo genitum est, quæ duo patrem & filium dicimus, & vtrumque hoc cum Spiritu Sancto vnus est Deus, qui Spiritus patris, & filij, Spiritus Sanctus propria nominatione dicitur. Alius est enim pater a filio & filius a patre, & Spiritus S. a patre & filio alius, & non aliud est. Et ideo pater est bonum simplex, sic filius, sic Spiritus. S. & ista tria vnum bonum simplex quia vnus Deus, & non tres Dij, quia & filius qui genitus est, est illud de quo genitus est, & Spiritus S. qui à pr̃e, filioq; ꝓcedit est, illud idẽ quãtũ ad substãtiã a quibus ꝓcedit, *De Ciuitate Dei. lib. 11. cap. 10.*

iste

Istæ enim personæ diuinæ dicuntur bonum simplex, quantum ad id quod habent, idest quantum ad esse substantiale, & non quantũ vna refertur ad alteram, idest quatenus, quòd pater refertur ad filium, & filius ad patrem & Spiritus Sanctus ad patrem & filium. Non enim est de istis diuinis personis, quantum ad esse substantiale, sicuti est de aliqua creatura, vtputa de vase, quod in se habet liquorem, vel de corpore, quod in se habet colorem, vel de aere, qui in se habet lucem, vel de anima q̃ in se habet scientiam, nihil enim horum est id quod habet. Nam vas non est liquor, nec corpus color, nec aer lux, nec anima scientia, Et ideo possunt his rebus priuari, & in alias qualitates mutari, quapropter sunt bona composita, & sic mutabilia, sed pater & filius & Spiritus Sanctus, non sic, nam pater exclusa relatione est id quod habet, sic filius. sic spiritus, si habet vitam est etiam ipsa vita, si habet bonitatem est etiam ipsa bonitas, & ideo est bonum simplex, & dicitur natura simplex, quia non habet aliquid, quod possit amittere, nec aliud est habens, & aliud quod habet, nec aliud est in eis qualitas, & aliud substãtia, nec aliorum participatione, vel diuina, vel sapientia, vel beata sunt, & licet pater sit sapiens, filius similiter, & Spiritus Sanctus, tamen nõ tres sapientes, sed vnus sapiens, vna sapientia, quia licet sint tres personæ vnus tamen tantum Deus.

QVÆST. CCCCXXXV.

AN mundus possit esse sine Dei cognitione, vel nobis esset notus si non haberet esse.

Eod. lib. & cap.

RESPON. Deus mundum fecit, & non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest, porro si sciens fecit omnia, ea vtique fecit, quæ nouerat, ex quo occurrit animo, quiddam mirum, sed tamẽ verũ, quod iste mundus nobis notus esse nõ posset, nisi esset, Deo autẽ nisi notus esset, esse nõ posset.

QVÆST. CCCCXXXVI.

AN Angeli omnes, idest tam qui permanserunt, quàm illi, qui ceciderunt fuerint creati beati vel non. Ratio quæsiti est, quia lux fuerunt facti, quãdo facti sunt, & est illa lux de qua dixit Moyses, & facta est lux, ergo non erant tenebrę, sed quia vera beatitudo

non

non datur nisi sit æterna,& quòd sciatur ab eis, qui ea fruuntur, ꝙ sit in æternum permansura. Ideo Angeli, qui ceciderunt, vel non sunt creati beati, quia non permanserunt ęternaliter in beatitudine, vel si creati sunt beati, datur aliqua beatitudo, quæ non est ęterna, & non scitur in ęternum permansura, ideo merito à nobis quæritur.

RESPON. Certum est, quòd vera,& perfecta beatitudo efficitur ex his duobus, videlicet & fruitione Dei incommutabilis, & ꝙ sit talis fruitio sine vlla molestia. Alterum est, quòd ab eo, qui fruitur, sciatur certò, & sine vllo errore, se ęternaliter permansurũ in illa fruitione: & talem beatitudinem habere Angelos bonos pia fide credimus,& hanc met Angelos malos non habuisse antequã peccarent, antequam illa luce, sua prauitate, idest nescientes ante vel an essent casuri, vel perseueraturi priuarentur, cõsequenti ratione colligimus: habuisse tamen aliquam, & si non præsciam beatitudiné, si vitam egerunt ante peccatum, idest si data fuit aliqua mora inter eorum creationem & peccatum, profecto credẽdi sunt: Angeli vero boni statim, vt creati sunt perfectam beatitudinem habuerunt, quia fuerunt certi de illa, & quòd essent in ęternum in ea permansuri, sed dices ergo creati sunt Angeli inęquales, & qui permanserunt,& qui ceciderunt,& hoc admittere est durum, sed videtur potius dicendum, quòd fuerint creati ęquales, idest ęqualis fœlicitatis in illo principio suæ creationis, in qua fœlicitate & veritate aliqui noluerunt permanere (sicut dicitur de diabolo, quòd ab initio homicida erat & in veritate non stetit, ab initio dicitur peccasse diabolum, quia fuit primus, qui peccauit, & ab eius superbia cœperit esse peccatũ) aliqui vero permanserunt, sed qui permanserunt post ruinam,& casum aliorum, certificati sunt de sua sempiterna fœlicitate, quam certitudinem ante nesciebant, & ideo ante erant beati, sed non perfectè beati, nisi post talem certitudinem: ex quo colligitur esse gradus in beatitudine, videlicet quòd aliqui possint dici beati, licet non sint certi de illa an semper sint possessuri eam, vt de primo homine Adam dicitur, dicebatur beatus dum erat in Paradiso aute peccatum, licet nesciret certitudinem suæ beatitudinis. Dicuntur & iusti in hac vita beati, licet sint incerti, an sint perseueraturi in illa iustitia vsque in finem. Nemo enim sine Dei reuelatione certus est de sua perseuerantia in bono,& ideo etiam dantur gradus beatitudinis, quæ ab hominibus iustis habetur in hoc mundo,

Eod. lib. c.11.12 13.15.

nam

nam beatior erat Adam ante peccatum in Paradiso, quàm quilibet homo iustus positus in hac carne mortali, & incertus de sua perseuerantia: Demum ipso Adam in Paradiso posito, & in illa felicitate, & incerto sui casus, vel suæ perseuerantiæ, beatior est quilibet homo in hoc mundo positus etiam si esset in tormentis, dummomodo sit certus, quòd sociabitur in Paradiso cum Angelis.

Viues super huius libri capitulum vndecimum, de Angelis sic dicit. Ex his igitur sic opinor Angeli omnes, & hij qui perpetuo sunt boni, & beati, & hij qui perpetuo mali, & miseri simul sunt a Deo generati, atque illustrati luce quadam, qua mediante possent de facili se, & alias res, & verum Deum cognoscere, quantũ rei creatę liceret per Deum gradatim tamen. Non enim omnes paribus sunt ingenij potentiæque viribus prædití. Taliter igitur illustrati proposita est optio, an vellẽt in omnibus summo Deo parere, an facere potius ipsos sibi viam, qua insisterent. Momenta temporum qualia sunt apud Angelos, in hæc omnia tã citissime facta sunt, humana mens capere nequit, multo minus qualia apud deum, qualiacunque, sint modeste & pie semper loquendo. Dico igitur, ꝙ prius seipsos suumque patrem inspexere, & suo arbitrio relicti, an ad seipsos an ad patrem vellent se vertere, vnde credo, quòd cũ cognouissent suam excellentissimam naturam, viderunt & simul ianuam eis esse apertam ad maximam venturam felicitatem, & ex hac cognitione & spe, ac fiducia tante beatitudinis gauisi sunt valde, & sic aliquatenus & tenuiter prægustauerunt venturam fœlicitatem, & sic aliquatenus beatos posse dici, Sed Angeli, qui ceciderunt ducti falso gaudio, idest inflati illo gaudio voluerunt totam illam beatitudinem & non tantum partem possessionis, noluerunt tanquam participes fieri, sed cum deo contendere cœperunt de regno, iam orbati sapientia, & sic non cognoscentes bene se, nec patrem deum, tanquam ingratissimi deturbati sunt: Boni Angeli, qui perstiterunt ducti sunt pio & vero illo gaudio, idest non inflati sunt, sed cognoscentes Dei gratiam, tantum voluerũt, quantum cognouerunt Dei voluntatem esse. Hæc dixit Viues secundum suam opinionem, non taliter affirmando, quòd meliori iudicio non se remittat.

QVAEST.

QVÆST. CCCCXXXVII.

CVm verum ſit quòd Deus pręſciuit omnia quare creauit homines,& Angelos quos præſciuit male operaturos. *Eod. lib. 17. c. 18*

Respon. Deus ſicut naturarum bonarũ optimus creator eſt (nam Angeli mali & homines mali, natura ſunt boni,ſed voluntate mali) ita malarum voluntatum iuſtiſſimus ordinator, vt cum male illæ naturę bone,vtuntur naturis bonis ipſe bene vtatur etiã voluntatibus malis. Itaque fecit,vt diabolus inſtitutione illius bonus,voluntate ſua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis eius,ideſt,vt poſſint tẽtationes eius ſanctis quibus eas obeſſe deſiderat. Et quoniam Deus cum eum conderet futurę malignitatis eius non erat vtique ignarus,& præuidebat,quæ bona de malo eius eſſet ipſe facturus,propterea ait. Draco hic quem finxiſti ad illudendum ei,vt in eo ipſo,quod eum finxit, licet per ſuam bonitatem bonum iam per ſuam pręſcientiam præparaſſe intelligat,quomodo ille vteretur in malo. Neque enim Deus vllum,nõ dico Angelorum,ſed vel hominum crearet,quem malum futurum eſſe præſciſſet,niſi pariter noſſet,quibus eos bonorum vſibus commodaret atq; ita ordinem ſeculorum , tãquam pulcherrimum carmen,etiam ex quibuſdam,quaſi anthitetis honeſtaret: Anthiteta ſunt ornamenta elocutionis,quæ latinæ appellantur oppoſita,ſiue contrapoſita,& tali ornamento vtitur Apoſtolus cum dicit per arma iuſtitiæ a dextris & a ſiniſtris , per gloriam & ignobilitatẽ &c. ſicut ergo iſta contraria,contrarijs oppoſita,ſermonis pulchritudinem reddunt,ita quidẽ non verborum,ſed rerum eloquentia,contrariorum oppoſitione,ſeculi pulchritudo componitur,& hoc docet apertiſſime hoc modo,contra malum bonum eſt, & cõtra mortem vita,ſic contra pium peccator,& ſic intuere in omnia opera altiſſimi,bina & bina,vnum contra vnum.

Pſ. 103 *1. Cor. 6.* *Eccl. 33.*

QVÆST. CCCCXXXVIII.

IMago ſanctiſſimæ Trinitatis quomodo inuenitur in homine.

Respon. Nam nos homines , & ſumus, & nos eſſe nouimus,& noſtrum eſſe ac noſſe diligimus: tria dixi, videlicet nos eſſe, nos noſſe eſſe,& nos diligere noſtrum eſſe:& noſſe quod ſim, verũ eſt,& ideo non fallor me eſſe, & ex cõſequenti non fallor me noſſe *Eod. li. cap. 26.*

esse,& ista duo amo, & non fallor amare me esse & me nosse, ista tria sunt, sed vna anima tantum quæ scit se esse, & diligit vtrũque: in eo quòd est, potest referri ad patrem: in eo quòd se esse noscit, ad filium, qui est sapientia patris: in eo quòd diligit vtrunque ad Spiritum. S. qui amor dicitur & charitas & bonitas.

QVAEST. CCCCLI.

AN numerus senarius,& septenarius significent perfectionem siue perfecti sint,& si sic, quare.

Eod. lib. c. 30. 31 RESPOND. Cum per senarium numerum sit in creatione mũdi operum perfectio significata & operata, ideo & numerus perfectus est. Nam iste senarius numerus primus completur suis partibus idest sexta sui parte,& tertia,& dimidia, quæ sunt vnum & duo & tria, quæ in summam ducta sex fiunt: partes autem in hac consideratione numerorum intelligendæ sunt, quę quotę sint, dic potest sicut dimidia tertia, quarta,& deinceps, ab aliquo numero denominatę. Neque enim exempli gratia, quia in nouenario numero quatuor, pars aliqua eius est, ideo dici potest, quota eius sit, vnum autẽ potest, nam nona eius est,& tria potest, nam tertia eius est, coniunctæ vero iste duę partes eius, nona scilicet, & tertia, idest vnum, & tria, longe sunt a tota summa, quod est nouem, item in denario numero quaternarius aliqua eius pars est. Sed quota sit dici non potest, vnum autem potest nam decima pars eius est: habet & quintã quæ sunt duo, habet & dimidiam quæ sunt quinque, sed hæ tres partes eius videlicet decima, quinta, & dimidia, idest vnum & duo & quinque, simul ductæ, non complent decem, sed tantum octo faciunt. Duodenarij vero partes numeri in summam ductę, trãseunt eum, habet enim. 12. quòd est vnum habet sextam, quæ sunt duo, habet quartam, quæ sunt tria, habet & tertiam, quę sunt quatuor, habet & dimidiam quæ sunt sex, vnum autem & duo & tria & quatuor & sex. non 12. sed 16. faciunt, non sic autem est, de primo senario numero, quia senaria pars, quod est, vnum & tertia, quę duo,& dimidia. quæ sunt tria, simul ductę non excedunt neque deficiunt, sed sex iuste faciunt. ideo est perfectus numerus Septenarius, vero numerus alia ratione perfectus est in eo enim requies Dei commẽdatur, in qua primum sanctificatio sonat. Et de hoc numero pro nunc satis sit admonere, ꝙ totus impar primus numerus, ternarius est totus par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat.

Et

Et ideo pro vniuerso sępe ponitur, vt est illud septies in dię laudem dixi tibi, idem significat, quod in alio loco dicitur semper laus eius in ore meo. *Ps. 118.* *Ps. 33.*

QVAEST. CCCCXL.

AN Angeli sint creati ante mundum hunc visibilem.

RESPON. Moyses dicit in principio fecit Deus cœlum, & terram, in principio idest in verbo Dei, nam verbum Dei, nominat principium, & ideo dicitur, ꝙ Deus omnia in sapientia fecit, idest in verbo suo, sequitur igitur, quòd & Angelos fecit in illa sapientia, idest in illo principio, ergo Angeli non sunt facti ante mūdum, cum Deus in principio fecerit, cœlum & terram. *Eod. lib. cap. 32.* *Ioan. 8.* *Ps. 103.*

QVAEST. CCCCXLI.

AN Angeli mali sint natura mali vel tantum vitio, & mala voluntate, vel etiam natura differant, ab Angelis bonus.

RESPON. Angeli boni, & mali quamuis inter se habeant contrarios appetitus, non tamen sunt naturis principijsque diuersi, cū Deus vtrosque creauerit, sed voluntatibus, & cupiditatibus contrariantur, boni enim Angeli persistunt in communi bono, quod est, Deus, & in eius veritate & charitate, & æternitate: mali vero sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent a superiore bono, idest Deo ad propria defluxerunt, & habentes elationis fastum, pro excellentissima æternitate vanitatis fastum, pro certissima veritate studia partium, pro indiuidua charitate, superbi fallaces, inuidi effecti sunt, boni igitur beati sunt, quia adhęrent Deo. Mali miseri sunt, quia elongantur a Deo. Et si profecto, non adhęrere Deo vitium est, omne autem vitium naturę contrarium est, nocet naturę, & contra naturā est. Non ergo Angeli boni adhęrentes Deo differunt a malis Angelis natura, quia vtrorumque bona est, sed vitio differunt, quo tamen vitio etiam valde magna multumque laudabilis ostenditur ipsa natura, cuius enim recte vituperatur vitium proculdubio natura laudatur. Nam recta vitij vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis, sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas id ostenditur quod ad naturam oculorum pertinet visus, ita cum vitium creatur angeli- *De Ciuitate Dei. lib. 12. c. c. 1. 2. 3.*

cæ dicitur, non adhęrere Deo: hinc apertissime declaratur eius naturę, vt Deo adhęreat conuenire. Natura ergo nec Angeli nec homines sunt mali, sed vitio contrario naturæ, sequitur etiam quòd mali Angeli, non sunt ab alio principio a quo & boni facti sunt, cũ boni, & mali, sint natura boni, quæ ab vno bono Deo facta est: ideo in scripturis sanctis non dñr inimici Dei, ꝙ inimici sint natura, sed vitio. Natura enim non est contraria Deo, sed vitium, qui a quod malum est contrarium est bono, & Deus est summum bonum.

QVAEST. CCCCXLII.

QVę est causa beatitudinis & miserię bonorum, & malorum Angelorum.

Eo. li. 12 c. 6. 7. 8. 9. RESPON. Proinde causa beatitudinis Angelorum bonorum ea verissima reperitur, quod ei adhærẽt qui summè est: Bona enim voluntate, qua creati sunt non ad seipsos, qui minus erant, sed ad eum qui summè est, conuersi sunt, adiuuante tamen hanc bonam voluntatem eorum illo, qui eam creauit in eis, creauit enim eos Deus bonos, & ex cõsequenti cum bona voluntate, non enim ipsi Angeli fecerunt sibi post creationem bonam voluntatem, quia si a Deo creati essent sine bona voluntate, vtique sine illa mali fuissent, & postmodum facientes sibi bonam voluntatem meliores a seipsis facti essent quam a Deo, & hoc non est dicendum, creati ergo sunt boni, idest cum bona voluntate, & etiam adiuti a Spiritu Sancto, vt tali bona voluntate conuerterentur ad summum bonum, vnde non tantum potest dici de hominibus, sed & de Angelis, quòd charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. *Rom. 5.* Cum vero causa miseriæ Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quod ab illo, qui summè est auersi, ad seipsos conuersi sunt, qui non summè sunt, & hoc vitium, quid aliud quàm superbia nuncupatur? Initium quippe peccati est superbia, vt habetur. *Eccl. 10.* Mala igitur voluntas eorum, fuit causa efficiens suæ miseriæ, quia noluit se ad Deum conuertere. Si autem quæratur causa postmodum efficiens malæ voluntatis, non inuenitur: cum ipsa mala voluntas sit quæ faciat opus malum. Si enim inueniretur, ergo aliquid aliud daretur, quod faceret opus malum, videlicet malam voluntatem, & sic mala voluntas non faceret omne opus malum. Et tamen ipsa est, quæ illud facit.

cit. Nemo ergo quærat efficientem causam malę voluntatis. Nō enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio, deficere namque ab eo, quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Quærere enim has causas deficientes, est ac si quisque quæreret videre tenebras, audire silentium: quod tamen vtrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, cum hæc tamen priuatiue sciantur, & sic sciendo nesciuntur, scio tamen in quo fit mala voluntas, & etiam, quòd si nollet non fieret, & ideo non neccessarios, sed voluntarios defectus iusta pœna consequitur, deficitur enim non ad mala, sed malo, idest non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinē naturarū, ab eo, quod summe est, ad id quod minus est. Neque enim auaritia est vitiū auri, sed hominis peruerse amātis aurum, iustitia derelicta, quæ dēt auro anteponi. Nec luxuria est vitium pulchrorū corporum, sed animę peruęrsę amātis corporeas voluptates, neglecta tēperantia, qua rebus spiritualiter pulchrioribus, & suauioribus incorruptibiliter, coaptamur. Nec iactantia vitium est laudis humanę, sed animę peruerse amantis laudari ab hominibus spreto testimonio conscientię. Nec superbia vitium est dantis potestatem, vel ipsius etiam potestatis, sed animę peruerse amantis potestatem suam potentioris iustitia contēpta. Ac per hoc qui peruerse amat cuiuslibet naturę bonum, etiam si adipiscatur, ipse fit bono malus, & miser meliore priuatus.

QVAEST. CCCCXLIII.

QVomodo sit intelligendum, ꝙ vita ęterna sit promissa homini ante tempora ęterna cum non dentur tempora ęterna. Dicit tamen Apostolus esse promissa ante ęterna tempora. *Tit. 1.*

RESPON. Non solum Deus erat ante tempora ęterna idest ante illam longam durationem quę ante tempus inceptum pōt imaginari, sed ēt promisit vitam ęternā, quam manifestauit tēporibus suis idest congruis, quid aliud q̃ verbum suum? Hoc est enim vita ęterna. Quomodo aūt promisit vitā ęternam, cum vtique hominibus promiserint, qui nondum erant ante tēpora ęterna, nisi quia in ipsius ęternitate, atque in ipso eius verbo eidem coęterno, iam prędestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat. *Eod. li. cap. 16.*

QVÆST. CCCCXLIIII.

AN numeri sunt infiniti.

Eod. lib. cap. 18. RESPON. Deus enim cum noscat numeros, vtique noscit infinita, nam infiniti sunt numeri, quia quotiescumque putaueris faciendum esse finem, in quocumque numero semper potest addi vnus, vel plures numeri, & duplicari, & semper multiplicari, ita vero suis quisque numerus proprietatibus terminatur, vt nullus eorum par esse cuique alteri possit. Ergo & dispares inter se atque diuersi sunt, & singuli quique finiti sunt, & omnes infiniti sunt.

QVAEST. CCCCXLV.

AN Angeli siue alia creatura possint creare aliam quãtumcumque minimam creaturam.

Eod. lib. cap. 24. 25. RESPON. Platonici tenent quòd ista inferiora sint ab Angelis crata iussu Dei, qui creauit cœlum & terram, & etiam corpora nostra, non tamen animæ ab ipsis sint creatæ, sed hoc est impium credere, nam solus Deus est conditor, & creator cuiuslibet naturæ quantumcumq; minimæ vel mortalis, & ideo licet Angelus iussu Dei, vel permissione, adhibeant operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo, non tamen eos dicimus creatores animalium, sicut nec dicimus agricolas frugum vel arborum creatores. Dicen-
1. Cor. 3. te scriptura de agricolis. Neque, qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, terram etiam qui gignit non
1. Co. 15 dicimus creatorem, dicente Paulo quòd Deus est, qui dat corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus, nec matrem quę in vtero portat filium dicimus creatricem, sed potius illum qui de
Hier. 12 quodam suo famulo dixit priusquam te formarem in vtero noui te. Vnde licet mater pręgnans taliter in animo sit affecta vt fœtum valeat quibusdam inducere qualitatibus, vel ex mixtione corporũ
Gen. 30. quando in actu conceptus sunt, sicuti fuit de virgis Iacob, non tamen dicimus quòd fecerit illam naturam quæ gignitur, sicuti & ipsa non se facit.

QVAEST.

QVÆST. CCCCXLVI.

AN mors quæ primo homini data est in pœnam, & quæ pertrã sijt in omnes homines, sit etiã bonis & sanctis pœna peccati, si enim data est in pœnam mali, quomodo est bona bonis siue pęna bonis? in quibus nihil puniendum inuenitur.

RESPON. Quapropter fatendum est primos quidem homines, ita fuisse institutos, vt si non peccauissent, nec aliquam mortẽ sensissent, sed si peccauissent, non tantum eos, sed & omnes ex eorum stirpe exortos, mulctatos fuisse morte: voluit Deus vt & sua progenies eadem pœna teneretur obnoxia. Non enim aliud ex eis quam quod ipsi fuerant, nasceretur, pro magnitudine quippe culpę illius, naturam damnatio mutauit in in peius, vt quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur, in nascentibus cœteris. Neque enim homo ita ex homine sicut homo ex puluere, puluis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens, proinde quod est terra non hoc est caro, quamuis ex terra facta sit caro. Quod est autem parens homo, hoc est & proles homo: in primo igitur homine per fœminam in progeniem transiturum vniuersum genus humanum fuit quando illa coniugum copula, diuinam sentẽtiam suæ damnationis excepit. Et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret & puniretur hoc genuit, quantum quidẽ attinet ad peccati & mortis originem: & sic videtur quòd Aug. velit dicere quòd talis pœna, nec longe fiat a sanctis hominibus, cum facta sit connaturalis omnibus hominibus de Adam ordine naturali nascentibus, & si diceres mirũ est, quòd cum in baptismo peccatum sit deletum, pro cuius pęna data est mors, quare & mors, non sit deleta? Dicitur ꝙ deleta est culpa, sed remansit pęna nõ in toto sed in parte, nam tota pęna peccati Adę est mors corporalis & mors animæ idest eius dãnatio: abstulit per baptimum dñs mortẽ spiritualẽ, sed non corporalẽ. Et hoc fecit, vt homines non tm̃ pro fugienda morte currerent ad baptismum & dimitterent præmiũ, inuisibile quod in futuro expectatur, si enim subito post baptismũ sequeretur immortalitas corporis, fides tolleretur, certamen non esset, & ex cõsequenti nec victoria, nec gloria victoriæ, & ideo propter hoc reliquit eã, vt per gratiã Saluatoris, quæ erat pœna pecca-

De Ciuitate Dei. lib. 13. c. 3. 4. 5. 6.

ti cõuersa sit in vsus iustitię, licet enim mors de se sit mala, fit tamẽ bonum bonis, & iustis, quia sufferendo eam cum patientia, auget patientium gloriam, & maximè in his, qui paulatim moriuntur, qui maximum dolorem sentiunt, qui autem celeri raptu vel ictu alicuius rei ex improuiso, & statim moriuntur, non tantam pœnã sentiunt ita nec tantam patientiam aquirunt.

QVAEST. CCCCXLVII.

AN mors suscepta pro nomine Christi a nõ baptizatis, plus valeat quàm baptismus.

Eo. li. 13 cap. 7. RESPON. Qui enim pro confessione Christi occiditur, licet non sit baptizatus. Dominu saluatur licet dicat unã quandã senten-
Ioan. 3. tiam generalẽ: nisi quis renatus fuerit ex aqua & S.S. &c. nihilominus inuenitur, & vna alia sententia non minus generalis pro ta-
Mat. 10. libus accomodata; Videlicet qui me confessus fuerit coram homi-
Mat. 16. nibus &c. & alio loco qui perdiderit animam suam propter me in-
Ps. 115 ueniet eam. Hinc est, ꝙ in Psal. scriptum est, præciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Quid enim præciosius quã mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? pluris enim meriti est, qui occiditur pro Christo sine baptismo, quamuis posset differre mortem negando Christum. & demum rescipiscendo, & sic currere tandem ad baptismũ, quàm sir ille, qui videns sibi iuminere periculum mortis naturaliter, & currit ad baptismum, et sibi deleantur omnia peccata. Nam ille, qui occiditur pro Christo sine baptismo, maluit pro Christo finire hanc vitam confitendo eum, quàm negando ad baptismum peruenire, quod si fecisset, vtique & negatio dimissa esset cum cęteris peccatis, sed non tanti meriti esset.

QVÆST. CCCCXLVIII.

QVę mots sit data homini pro trangressione præcepti, an tantũ corporalis, vel simul & corporalis, & spiritualis, idest mors animæ, quæ est priuatio gratiæ.

Eod. lib. cap. 12. RESPON. Cum quæritur, quam mortem Deus comminatus est homini transgredienti, dicitur quòd omnem mortem, & corporis & animę, & primam, & secũdam, sicut enim vniuersa ter-

ra

ra ex multis terris, & vniuersa ecclesia ex multis ecclesijs constat, sic vniuersa mors ex omnibus, quoniam prima constat ex duabus, vna animæ, altera corporis, vt sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, & sine corpore ad tempus pœnas luit, secunda vero vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit.

QVÆST. CCCCXLIX.

QVare omnes homines sint rei peccato Adę. cum ipsi non illud commiserint.

RESPON. Deus enim rectum, & iustum Adam creauit, sed sponte deprauatus est, & iuste damnatus damnatos & deprauatos generauit, omnes enim fuimus in illo vno quādo oēs ille vnus corrupit. Nondum erat nobis sigillatim creata & distributa forma, in qua singuli viueremus. Sed iam natura erat seminalis, ex qua propagaremur, qua scilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obstricta, iusteque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur, ac per hoc a liberi arbitrij malo vsu series huius calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine deprauata velut radice corrupta, vsque ad secundę mortis exitum, quæ non habet finem : solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit. *Eod. lib. 31. c. 14*

QVÆST. CCCCL.

AN sancti habebunt in resurrectione corpora, sicuti primi parentes habuerunt in paradiso terrestri ante peccatum, vel potius spiritualius?

RESPON. Dicit Paulus, quòd seminatur corpus animale, & resurget corpus spirituale, nō quòd corpus conuertatur in spiritū, sed sicut caro dum seruit spiritui dicitur spiritualis, ita tunc erit, quia corpus gloriosum subdetur spiritui summa & mirabili facilitate obtemperandi, ideo dicetur spirituale: etiam quia non indigebit alimentis pro sustentatione, sicuti Adam in Paradiso terrestri licet si non peccasset, nec mortuus fuisset, usus tamen esset cibis pro alimento, vt ostenderetur non habere ipsum spirituale corpus, non erit ergo corpus gloriosum tale, quale erat in primis hominibus ante peccatum, sed spiritualius. Poterunt quidem comedere si volent, non tamen neccessitabuntur, sicut & de Ange- *Eod. lib. c. 20. 22 1. Co. 15*

lo,

lo ad Tobiam misso dicitur, quòd Tobiæ dixit videbatis me manducare, sed visu vestro videbatis, idest necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis. De Saluatore etiã nostro post resurrectionem legitur manducasse cum discipulis, sed non ex indigentia, sed potentia, non enim talis cibus conuertebatur in substantiam, sed consumebatur a gloria illa corporis, vt inquit Viues. Igitur corporibus gloriosis non auferetur potestas edẽdi, ac bibendi, sed egestas, vnde & spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent.

QVAEST. CCCCLI.

QVid sit viuere secundum carnem & secundum spiritum, siue secundum hominem, & secundum Deum.

De Ciuitate Dei. lib. 14. c. 2. 3. 4. 6. RESPON. Caro in scripturis sanctis accipitur varie, aliquando pro carne tantum, non considerata anima, vt dicitur non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominis, alia pecoris, alia volucrum &c. aliquando pro tota natura hominis accipitur, secundũ
1. Co. 15 illum modum loquendi quo vtimur, partem pro toto accipientes,
Rom. 3. vt dicitur ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, idest omnis homo: cum igitur quæritur, quid sit viuere secundum carnem. Respondetur, quòd est viuere secundum hominem, idest secundũ seipsum & non secundum Deum, & qui sic viuit similis est diabolo, qui & ipse voluit viuere secundum Angelum, & non secundum Deum, ideo in veritate non stetit: & ideo dicimus, quòd ille homo viuit secundum carnem, & non secundum spiritum, nec secundũ Deum (non quia caro sit causa peccati, immo est anima peccati causa, sed corruptio carnis est pœna peccati) sed quia viuit secundum hominem accipiendo partem pro toto. Nam multa peccata committit homo, quæ non sunt carnalia, vt adorare idola, hæresim amplecti, inimicitias habere, & talium origo est superbia, quæ etiam
Gal. 5. in diabolo regnat sine carne, & ideo & in nobis possunt esse ab alio fonte, quàm a carne: nihilominus Apostolus nominat talia opera carnis esse, quomodo ergo ista sunt opera carnis, si ab anima, aut ab eius superbia, quæ non sunt caro deriuant? nisi quia sunt hominis opera, quem sicut dixi nomine carnis appellat, qui vult ergo viuere secundum spiritum, & debet secundum Deum, & non secundum seipsum viuere, nam qui viuit secundum Deum, secundum

veritatem viuit, qui vero ſecundum ſeipſum viuit, ſecundum mendacium viuit, & hoc viuere ſecundum ſeipſum prouenit à voluntate hominis, quæ ſi eſt peruerſa, & pverſos habebit motus et actus, ſi eſt recta, non ſolum inculpabiles verum etiam laudabiles motus habebit, voluntas quippe eſt in omnibus, imò omnes nihil aliud, quàm voluntas ſunt. Nam quid eſt cupiditas et lætitia, niſi volũtas in eorum conſenſionem, quę volumus: et quid eſt mętus, atque triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his, quæ nolumus? ſed cum conſentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas, cum aũt conſentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur: Itemque cum diſſentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis voluntas mętus eſt, cum autem diſſentimus ab eo, quod nolentib. accidit talis voluntas triſtitia eſt, et omnino pro varietate rerum quę appetuntur, atque fugiuntur, ſicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus, mutatur et vertitur. Quapropter homo, qui ſecundum Deum, non ſecundum hominem viuit, oportet vt ſit amator boni, vnde fit conſequens, vt malum, oderit, et quoniam nemo natura malus eſt, ſed tantum vitio, ideo odiat vitium, et amet hominem.

QVAEST. CCCCLII.

AN primi homines ante peccatum habuerint paſſiones videlicet timorem cupiditatem, dolorem et huiuſmodi.

RESPON. Si enim habuiſſent tales paſſiones, vtique nõ fuiſſent beati in illo amenitatis loco, quia qui timet vęl dolore afficitur, nunquam abſolute dici poterit beatus, demum quid timere, vel dolere poterant illi homines in tanta bonorum affluentia poſiti? vbi nec mors metuebatur, nec vlla mala corporis valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis fœliciter viuentis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum: erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino malum aliunde, quod contriſtaret irruebat: Sed dices forte cupiebãt prohibitum lignum ad veſcendum contingere, ſed mori metuebant, et ſic cupiditas et mętus inerat eis, ſed abſit hoc, cũ in eis nullum fuiſſet peccatum, nec etiam cupiditas rei prohibitæ erat, quia concupiſcere rem prohibitam eſt peccatum, ſed ſi ſe abſtinet a tali re prohibita non amore

Eod. lib. cap. 10.

iuſtitiæ,

iuſtitiæ, ſed tantum timore pœnæ, ſi enim hęc in eis fuiſſent, vtiq; peccatum fuiſſet ante peccatum. Quam igitur fœlices erant primi homines & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis, ſic fuiſſent omnes deſcendẽtes ab eis, & in ea fœlicitate permanſiſſent donec electorum numerus compleretur, niſi peccaſſent, completo poſtmodum numero pdeſtinatorum, ad maiorem beatitudinem, quæ in cœlis eſt, perueniſſent, ſine experimento alicuius laboris, doloris vel mortis.

QVÆST. CCCCLIII.

QVomodo Adam incœpit peccare, antequam peccaſſet, id eſt vnde ſumpſit principium auertendi ſe à Deo, & ſimiliter Eua.

Eo. li. 14 ci 13. 15 RESPON. In occulto enim illi primi homines mali eſſe cœperunt, vt in apertam inobedientiam poſtmodum laberentur. Nõ enim ad malũ opus perueniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas: porro malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe niſi ſuperbia? initium enim omnis peccati eſt ſuperbia. Quid eſt autem ſuperbia, niſi peruerſę celſitudinis appetitus? peruerſa enim celſitudo eſt deſerto eo, cui debet animus inhęrere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit cum ſibi nimis placet, ſibi vero ita placet, cũ a Deo deficit, quòd ei magis placere debuit, quàm ipſe ſibi, ſpontaneus eſt iſte defectus, quoniam ſi voluntas in amore Dei a quo illuſtrabatur, vt videret, & accendebatur, vt amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum auerteretur, & tenebreſceret, & ſic nec Eua putaſſet verum quod ei dixit ſerpẽs, nec Adam præpoſuiſſet voluntatem vxoris Dei præcepto. Quia ergo homo contempſit Deum, placendo ſibi inobediens ei fuit, merito pro pœna inobedientia retributa eſt. Ante peccatum licet nõ potuiſſet omnia ipſe homo, quidquid tamen non poterat, non volebat, & ideo poterat omnia quæ volebat. Nunc modo poſt peccatũ, vellet multa, & non poteſt, defecit illa potentia. Quoties voluntati eius, ipſe eius animus, & eius caro, non obtemperat? plerunque turbatur animus, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quidqd aliud patimur, inuiti patimur, quod non pateremur inuiti, ſi volũtati noſtræ, noſtra natura omni modo, atque ex omnibus partibus obediret.

QVÆST.

QVÆST. CCCCLIIII.

AN primi homines ante peccatum, id est si nunquam peccassent, per coitum, sicuti, & nunc fit generassent, & cum illa libidine.

Respon. Quisquis dicit, non fuisse primos parentes nec coituros, nec generaturos, si non peccassent est, ac si diceret, quòd peccatum necessarium fuit, propter numerositatem sanctorum, id est, ideo necessarium fuit, vt possent generare, & sic multiplicare, vt numerus electorum impleretur, & hoc credere est absurdum: & ideo dicimus, quòd fuissent ille nuptiæ dignè fœlicitate Paradisi, si non peccassent, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent: sed quomodo id fieri posset, scilicet sine hac libidine, nunc non est quo demonstretur exemplo, nec ideo tamen incredibile debet videri, etiam illud vnum membrum sine ista libidine, voluntati potuisse seruire, cui tot membra nunc seruiunt: Videmus enim cętera membra, maxima facilitate sine renisu obedire voluntati modo qui peccauimus, & postea non credemus, quòd ante peccatum illud vnum membrũ, sine libidine, quæ peccato inobediens retributa est, non obedisset ad nutum voluntatis, ad opus generationis filiorum? Nam nunc post peccatum animus noster, qui ordine naturali debet corpori imperare, nõ potest mouere, siue imperare, vt moueantur illa membra pudenda sine libidine, (quòd factum fuisset ante peccatum,) & ideo dicuntur pudenda, quia pudet animum sibi ab ipsis resistere cum sit superior eis, si enim imperat, vt moueantur sine libidine, mouentur quidẽ sed non sine libidine, & in hoc animo resistunt, & ideo pudet, si vero in alijs affectionibus ipsius animi sibi resistitur, non sic pudet, quia licet vincatur a seipso vincitur, & non ab inferiori se. Seminasset igitur prolem vir in illo innocentiæ statu, & suscepisset fœmina genitalib. membris, quando id opus esset, & quantum opus esset voluntate motis, non libidine concitatis: Si enim videmus Deum quibusdam hominibus dedisse quasdam naturas multum dispares a cæteris, quare non potuisset dare etiam illis primis hominibus, vt membra genitalia mouerentur ad nutum voluntatis, tunc sine libidine, quòd nunc nisi libidine non mouentur? Scimus enim quosdam homines facere quædam mira, quæ alij non possunt

Eod. lib. c. 23. 24

sunt

ſunt facere, & maximè de membris ſuis. Aliqui enim ſunt qui mouent vnam aurem tantum ſi volunt, vel ambas, non moto capite, ſunt qui vorant plurima, & etiam emittunt integra, tanquam ſi emitterent de ſaculo, quidam faciunt voces animalium, vt niſi viderentur, crederemus eſſe illa animalia, quorum emittunt voces. Quidam ab imò ſine pudore tot ſonitus quot volunt pro arbitrio emittunt. Ipſe ſum expertus ſudare hominem ſolere cum vellet. Quidam etiam flent & lachrimas abundanter emittunt cum volunt, ſed aliud mirabilius, & multo incredibilius dicã, ſed hoc plerique fratres recentiſſima memoria experti ſunt, fuit quidã presbyter in paræcia eccleſiæ Calamenſis, nomine Reſtitutus, qui quãdo ei placebat, rogabatur autem vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant adimitatus, quaſi lamentantis cuiuſlibet hominis voces, ita ſe auferebat a ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo, vt non ſolũ pungentes nõ ſentiret, ſed aliquando etiã igne vreretur amoto ſine vllo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere, & tanquam in defuncto, nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tanquam de longinquo ſe audiſſe poſtea referebat. Cum itaque corpus corruptioni ſubiectum in talibus affectionibus, & motionibus extra vſitatum naturæ modum mirabiliter ſeruiat, Quid cauſæ eſt, vt non credamus ante inobedientiæ peccatum, ad propagandam prolem ſine vlla libidine ſeruire voluntati humanæ humana membra potuiſſe?

QVÆST. CCCCLV.

AN anni quos ante diluuium vixerunt illi antiqui fuerint tot menſium, & tanti temporis, quot nunc noſtri ſunt.

De Ciuitate Dei. lib. 15. cap. 12. 14.

RESPON. Fuerunt qui dixerunt, quòd vnus annus noſter tãtum valet, quantum decem anni illius temporis valuerunt, & ideo cum legitur quempiam vixiſſe nongentos annos, debet intelli 90. de noſtris. Diuidunt enim annum noſtrum in 10. partes, & eaſdem partes vocant annos. Quarum partium vna habet quadratũ ſenarium eo quòd Deus ſex diebus perfecerit opera ſua, vt in ſeptimo requieſceret: nam vna pars continet 36. dies, & ſexies ſeni, qui numerus quadratum ſenarium facit 36. dies fiunt, qui multiplicati decies ad 360. perueniunt. i. 12. menſes lunares, propter quinque dies enim reliquos, quibus ſolaris annus impletur, & diei quadrã-

te,

te, propter quem quater ductum eo anno quo bisextum vocant, vnus dies adiicitur, addebantur a veteribus postea dies, vt occurreret numerus annorum; quos dies Romani intercalares vocant. Non enim isti qui sic computant annos, vt vnus annus noster decē illos habuerit, sunt audiendi, licet suum dictum velint defendere, ex more multarum gentium. Legitur enim apud Ægyptios, posuisse annum quatuor mensium, Arcadas sex mensium, Lauinios tredecim mensium, alij ęstate vnum determinabant annum, & alterum hyeme, alij quadripartitis temporibus, sicut arcades inquit, quorum anni trimestres fuere, & volunt ostendere, quòd non est incredibile, ꝙ illi antiqui vixerint tot annos, in tali breuitate acceptos, sed nos dicimus, quòd annus tunc accipiebatur, sicuti & nūc videlicet 12. mensium, & hoc duabus rationibus demonstratur, primo quia si fuissent tam breues anni, vt non essent nisi 36. dies, sequeretur hoc impossibile, ꝙ Seth filius Adam habuisset tātum 11. annos quando genuit Enos, habebat enim, vt inquit scriptura centum quinque annos, quando genuit Enos, sed centum quinque de 36. diebus faciunt 11. de nostris, ita & Cainam filius Enos, secundū Hebræos habebat 70. annos tantum quando genuit filium, & sic sequeretur, quòd habuisset tantum septem annos de nostris, & natura non comportat, vt homo in tam parua ętate generet, sed si diceretur, quòd tunc fortiores in illa parua ętate, quàm nunc in natura, ita vt possent generare, sed nec hoc valet, ideo probamus annos, vt nunc fuisse alia ratione. Legitur enim sexcentesimo anno Noe factum fuisse diluuium. Cur ergo ibi legitur, & aqua diluuij facta est super terram sexcentesimo anno vitæ Noë, secundi mensis, septima & vicesima mensis. Legitur etiam, quòd post diluuiū Arca, mense septimo, septima, & vicesima mensis requieuit super montes Ararath. Aqua autem minuebatur, vsque ad 11. mensem, in 11. autem mense, prima mensis apparuerunt capita montium, quomodo annus 36. dierum posset diuidi in tot mēses, & tot dies, oportet ergo concludere, quòd annus eorum lunaris, erat sicut noster modo.

Gen. 5.

Gen. 8.

QVÆST. CCCCLVI.

QVare nunc in matrimonio, non se iungunt, cum quibusdam gradibus homines, qui sunt affinitate attinentes, sicuti fiebat

ſunt facere, & maximè de membris ſuis. Aliqui enim ſunt qui mouent vnam aurem tantum ſi volunt, vel ambas, non moto capite, ſunt qui vorant plurima, & etiam emittunt integra, tanquam ſi emitterent de ſaculo, quidam faciunt voces animalium, vt niſi viderentur, crederemus eſſe illa animalia, quorum emittunt voces. Quidam ab imò ſine pudore tot ſonitus quot volunt pro arbitrio emittunt. Ipſe ſum expertus ſudare hominem ſolere cum vellet. Quidam etiam flent & lachrimas abundanter emittunt cum volunt, ſed aliud mirabilius, & multo incredibilius dicã, ſed hoc plerique fratres recentiſſima memoria experti ſunt, fuit quidã presbyter in paræcia eccleſiæ Calamenſis, nomine Reſtitutus, qui quãdo ei placebat, rogabatur autem vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant adimitatus, quaſi lamentantis cuiuſlibet hominis voces, ita ſe auferebat a ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo, vt non ſolũ pungentes nõ ſentiret, ſed aliquando etiã igne vreretur amoto ſine vllo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere, & tanquam in defuncto, nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tanquam de longinquo ſe audiſſe poſtea referebat. Cum itaque corpus corruptioni ſubiectum in talibus affectionibus, & motionibus extra vſitatum naturæ modum mirabiliter ſeruiat, Quid cauſæ eſt, vt non credamus ante inobedientiæ peccatum, ad propagandam prolem ſine vlla libidine ſeruire voluntati humanæ humana membra potuiſſe?

QVÆST. CCCCLV.

AN anni quos ante diluuium vixerunt illi antiqui fuerint tot menſium, & tanti temporis, quot nunc noſtri ſunt.

De Ciuitate Dei. lib. 15. cap. 12. 14.

RESPON. Fuerunt qui dixerunt, quòd vnus annus noſter tãtum valet, quantum decem anni illius temporis valuerunt, & ideo cum legitur quempiam vixiſſe nongentos annos, debet intelli 90. de noſtris. Diuidunt enim annum noſtrum in 10. partes, & eaſdem partes vocant annos. Quarum partium vna habet quadratũ ſenarium eo quòd Deus ſex diebus perfecerit opera ſua, vt in ſeptimo requieſceret: nam vna pars continet 36. dies, & ſexies ſeni, qui numerus quadratum ſenarium facit 36. dies fiunt, qui multiplicati decies ad 360. perueniunt. i. 12. menſes lunares, propter quinque dies enim reliquos, quibus ſolaris annus impletur, & diei quadrã-

te,

te, propter quem quater ductum eo anno quo bisextum vocant, vnus dies adiicitur, addebantur a veteribus postea dies, vt occurreret numerus annorum; quos dies Romani inter calares vocant. Non enim isti qui sic computant annos, vt vnus annus noster decẽ illos habuerit, sunt audiendi, licet suum dictum velint defendere, ex more multarum gentium. Legitur enim apud Ægyptios, posuisse annum quatuor mensium, Arcadas sex mensium, Lauinios tredecim mensium, alij ęstate vnum determinabant annum, & alterum hyeme, alij quadripartitis temporibus, sicut arcades inquit, quorum anni trimestres fuere, & volunt ostendere, quòd non est incredibile, ꝙ illi antiqui vixerint tot annos, in tali breuitate acceptos, sed nos dicimus, quòd annus tunc accipiebatur, sicuti & nũc videlicet 12. mensium, & hoc duabus rationibus demonstratur, primo quia si fuissent tam breues anni, vt non essent nisi 36. dies, sequeretur hoc impossibile, ꝙ Seth filius Adam habuisset tãtum 11. annos quando genuit Enos, habebat enim, vt inquit scriptura centum quinque annos, quando genuit Enos, sed centum quinque de 36. diebus faciunt 11. de nostris, ita & Cainam filius Enos, secundũ Hebræos habebat 70. annos tantum quando genuit filium, & sic sequeretur, quòd habuisset tantum septem annos de nostris, & natura non comportat, vt homo in tam parua ętate generet, sed si diceretur, quòd tunc fortiores in illa parua ętate, quàm nunc in matura, ita vt possent generare, sed nec hoc valet, ideo probamus annos, vt nunc fuisse alia ratione. Legitur enim sexcentesimo anno Noe factum fuisse diluuium. Cur ergo ibi legitur, & aqua diluuij facta est super terram sexcentesimo anno vitæ Noë, secundi mensis, septima & vicesima mensis. Legitur etiam, quòd post diluuiũ Arca, mense septimo, septima, & vicesima mensis requieuit super montes Aratath. Aqua autem minuebatur, vsque ad 11. mensem, in 11. autem mense, prima mensis apparuerunt capita montium, quomodo annus 36. dierum posset diuidi in tot mẽses, & tot dies, oportet ergo concludere, quòd annus eorum lunaris, erat sicut nõster modo.

Gen. 5.

Gen. 8.

QVÆST. CCCCLVI.

QVare nunc in matrimonio, non se iungunt, cum quibusdam gradibus homines, qui sunt affinitate attinentes, sicuti fiebat

bat in mundi principio, quòd frater sororem in coniugem & consobrinus consobrinam accipiebant.

Eod. lib. cap. 16. RESPON. Charitas, & tunc & nunc porrexit, vt vinculis diuersarum necessitudinum, siue relationum, homines quibus esset vtilis atque honesta concordia simul necterentur, sed tunc necessitas voluit, vt singulę personæ multas necessitudines haberent, nam frater accipiendo sororem in vxorem erat maritus & frater, & mulier erat vxor & soror, & pater erat socer, & pater, & sic vnus diuersas necessitudines, & colligationes habebat. Quando autem multiplicatus est mundus condecens fuit, vt charitas, quæ ad multa se extendit: & plures homines sociali honestate & concordi affinitate necteret: & sic multi haberent etiam multas necessitudines, ex quo factum est, vt id quod licitum erat necessitate compellēte, modo illicitum & damnabile sit, religione prohibēte, propterea mos inoleuit sanctus etiam apud infideles, vt coniugia inter fratres, & sorores exhorrescant. Illicitum postmodum namque est, subuertere limitem morum: Si non licet transgredi limitem agrorum auiditate, possidendi, quanto magis non licet auiditate concubendi transgredi limitem morum. Ad humanum enim sensum, vel alliciendum vel offendendum, mos valet plurimū, ex hoc enim quòd nunc impediuntur connubia inter parentes, sequitur quòd immoderatio concupiscentiæ coerceatur.

QVÆST. CCCCLVII.

QVomodo Deus loquitur creaturis spiritualibus & corporalib. cum per scripturas habeamus, ꝙ Deus loquutus est.

De Ciuitate Dei. lib. 16. cap. 6. RESPON. Nec sic loquitur Deus Angelis, quomodo nos inuicem loquimur nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, siue per illos Deus nobis, sed ineffabili modo suo, nobis autem hoc indicatur nostro modo, Dei quippe sublimior ante suum factum loquutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentem, atque transeunteum, sed vim sempiternæ manentem, & temporalrter operantem. Hac loquitur Deus Angelis sanctis, nobis autem aliter longe positis. Quando autem etiam nos aliquid tale locutionis, interioribus auribus capimus, Angelis appropinquamus. Loquitur ergo veritas incommutabilis, aut per seipsam ineffabiliter creaturæ rationalis mentibus, aut permutabilē

creaturam

creatura loquitur, siue spiritalibus imaginibus nostro spiritui, siue corporalibus vocibus corporis sensui.

QVAEST. CCCCLVIII.

AN dentur Antipodæ, idest vbi homines a contraria parte terræ, vbi sol oritur, quando occidit nobis, aduersa pedibus nostris calcant vestigia.

RESPON. Qui dixerunt Antipodas dari, moti sunt eo quòd terra rotunda sit, & teneat medium locum inter connexa cœli, manens suspensa, & sic opinantur alteram terræ partem, quæ infra est habitatione hominum carere non posse, & tamen non attendunt, quòd non est consequens, quòd etiam terra sit rotunda, vt dicũt, ꝙ ex omni parte sit nuda aquis, & etiam si esset nuda, non sequitur, ꝙ sit ẽt habitabilis, quia scriptura non potest mentiri, quæ dicit omnes gentes in 72. linguas, & in 72. gentes diuisas esse, & non in plures, & absurdum nimis esset, vt diceret, aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immensitate traiecta nauigare, ac peruenire potuisse, vt etiã illic ex vno primo homine genus institueretur humanum, nulla igitur ratione est credendum Antipodas dari. Hic clare August. dicit Antipodas non dari, sed Viues dicit, quòd tam certum est Antipodas esse, quòd omnino negari nõ possit, & ad illos esse viam compertissimum est cum & quidam antiquorum fugientes Augusti Cæsaris potentiam nauigarunt vsque ad Gades Herculis, aliqui vero ab Herculeo freto in Arabicum mare rubrũ, ex quo manifestum est certissime dari.

Eod. lib. 16. c. 9

Gen. 11.

QVÆST. CCCCLIX.

QVæ fuit prima lingua data generi humano, & quare in quibusdam remansit cum Deus linguas diuisit,

RESPON. Per diluuium deletæ sunt domus omnium hominum, in quibus erat vna tantum lingua, præter domum Noè iusti, in qua remansit illa lingua, quæ in domo Heber in quam domus Sem filij Noe, & sua progenies deducta est, & ideo quia in familia Heber remansit, dicta est Hebræa ab ipso Heber, in illa enim diuisione linguarum, & ob ipsam obtinuit nomen proprium. Quemadmodum & aliæ linguæ vocatæ sunt nominibus pro-

Eo. li. 16 cap. 11.

prijs. Ante diuisionem illam, vocabatur lingua humana, siue humana locutio, quia communis erat, illa enim sola vniuersum genus humanum loquebatur, in diuisione obtinuit nomen ab Heber, quia remansit in eius familia, non enim est facta confusio linguę in tali familia, propter vestigium iustitiæ, quod in ea erat, sicuti domus Noè, quia iustus erat a diluuio conseruata est, ita & in familia Heber non fuit flagellum confusionis linguarum, quia iustitia Noè, in Sem & Heber deducta est.

QVÆST. CCCCLX.

QVot sunt mundi partes, & vnaquæque quam mundi partem occupet.

Eod. lib. 16. c. 17. RESPON. Quidam diuiserunt orbem vniuersum in duas tãtum partes videlicet in Asiam, & Europam, Aphricam vero voluerunt esse partem Europe? Alij vero in tres partes orbem diuiserũt, videlicet in Asiam, Europam, & Aphricam, separant enim Aphricã ab Europa: respectu diuisionum marium. Quæ autem istarum sit maior: non est vnius sententiæ, quidam ęquales fecerunt. Attamen maior est Asia, quia tenet dimidium orbem. Cętere duæ alium dimidium, Asia enim a meridie per Orientem vsque in Septentrionem peruenit: Europa vero a Septentrione, vsque in Occidentem, & Aphrica ab Occidente vsque in Orientem, & sic tantũm occupat Asia sola, quantum Europa & Aphrica occupant.

QVÆST. CCCCLXI.

AN continentes siue castitatem seruantes sint meliores coniugatis, & ipsis anteponendi sint.

Eod. lib. 16. c. 37 RESPON. Continentia Dei solo iudicio, coniugio præfertur est tamen melior coniugatus fidelis, quàm continens infidelis, & si ambo sunt fideles, melior est coniugatus fidelissimus & obediẽtissimus Dei præceptis, quàm continens minoris fidei, si autem pares sunt in fide & charitate non est dubium, quòd continens coniugato præferri debeat.

QVÆST. CCCCLXII.

TEmpus quod proprie prophetarum dicitur, vnde incipiat, & desinat inquirimus.

RESPON. Quamuis multi nominentur prophetæ, vt sancti Patriarchæ, & quicunque aliqua prędixerunt, quæ pertinent ad ciuitatem Dei regnumque cœlorum nihilominus tempus prophetarum proprie dictum, incepit ex quo Samuel prophetare cœpit, & deinceps donec populus Israel captiuus in Babiloniam duceretur, atque inde secundum S. Hieremiæ prophetiam, post 70. annos. reuersis Israelitis Dei domus instauraretur totum tempus est prophetarum. Qui quidem aliquando prophetabant quædam tantummodo ad terrenam ciuitatem Hierusalem spectantia, vt est illud, quando Natham propheta obiurgans Dauid, multa prædixit mala futura suo populo, quædam prophetabant tantummodo spectantia ad cœlestem Hierusalem, vt est illud. Ecce dies veniẽt dicit Dominus & consumabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, &c. Quedam vero prophetabant, quæ ad vtramque ciuitatem spectabant, vt est illud, de his quę prædicuntur de ędificio templi, quod ędificatum fuit per Salomonem, talia contigerunt in terrena Hierusalem quantum pertinet ad historiam, & quantum ad figuratum pertinent ad cœlestem Hierusalem, & sic habemus tripartitã esse significationem prophetiæ prophetarum.

De Ciuitate Dei. lib. 17. *c.* 1. 3.

1. *Re.* 12

Hier. 31

QVÆST. CCCCLXIII.

AN verum sit q̃ hoĩes diabolica arte conuertantur in bestias.

RESPON. Licet credendum non sit quòd conuertantur homines in animalia, apud quosdam tamen erit difficile hoc eis persuadere, cum dicant se talia expertos esse, auditum est enim & nostro tempore in Italia, quasdam mulieres stabularias solere dare in caseo venenum quoddam suis malis artibus imbutas, quibus vellent, & possent & illico vertebantur in iumẽta, & viatores deferebant onera, et expleto opere iterum ad se redibant, nec tamẽ in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanãq; seruari, et hęc vel falsa sunt, vel tam inusitata, vt meritò non credantur, firmissime tamen credendum est omnipotentem Deum oĩa posse facere, q̃ voluerit, siue iudicando, siue p̄stando, nec demones aliquid operari,

De Ciuitate Dei. lib. 18. *cap.* 18.

ſecundum naturæ ſuę potentiam, quia & ipſa angelica creatura eſt, licet proprio ſit vitio maligna niſi quod ille permiſerit, cuius iudicia occulta ſunt multa, iniuſta nulla. Nec ſane demones natu ras creant, ſi aliquid tale faciunt, de quibus factis iſta vertitur quæ ſtio, ſed ſpetietenus, quæ a vero Deo ſunt creata, cõmutant, vt videantur eſſe quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim demonum arte vel poteſta te, in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti, ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſiue ſonniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cũ corpus non ſit, cor porum tamen ſimiles mira celebritate formas capit, ſopitis aut op preſis corporeis hominis ſenſibus, ſed aliorum ſenſuum neſcio, quo ineffabili modo figura corporea poſſe produci, ita vt corporea ipſa hominum, alicubi iaceat viuentia quidem, ſed multo grauius, atque vehementius quam ſonno ſuis ſenſibus obſeratis: Phã taſticum autem illud veluti corporatum, in alicuius animalis effigie appareat ſenſibus alienis, talisque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet, in ſomnis, & portare onera, quę onera ſi vera ſunt corporea portantur a demonibus, vt illudatur hominibus, partim vera corpora onerum partim iumẽtorum falſa cernentibus. Nam quidam nomine Præſtantius, patri ſuo contigiſſe indicabat, vt venenum illud per caſeum in domo ſua ſumeret, & iaceret in lecto ſuo quaſi dormiens, qui tamẽ nullo modo poterat excitari, poſt aliquot autem dies eum velut euigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia narraſſe, quæ paſſus eſt, caballum ſe ſcilicet factum, annonam inter alia iumenta baiulaſſe militibus, quæ dicitur retica eo quòd ad retia deportabatur. Quod ita vt narrauit, factum fuiſſe compertum eſt, quæ tamen ei ſua ſomnia videbantur.

QVÆST. CCCCLXIIII.

Eod. lib. 18. c. 21 Locus meretricum quare dicatur lupanar?

RESPON. Meretrices enim antiquitus vocabantur lupæ, vnde etiam nunc turpia loca earum lupanaria nuncupantur.

QVAEST. CCCCLXV.

ROMA quo tempore iudeorum condita ſit?

RESPON.

RESPON. Tempore quo Roma condita est populus Israel habebat in terra promissionis annos septingentos decem & octo. ex quibus 27. pertinent ad Iesum naue deinde ad tempus iudicũ trecenti vigintinouem, ex quo autem ibi reges esse cœperant, anni erant trecenti 62. & rex tunc erat in Iuda, cuius nomẽ erat Achaz, vel sicut alij computant, qui ei successit Ezechias, quem quidẽ constat optimum & pijssimum regem Romuli regnasse temporibus, in ea vero his temporibus Hebraici populi parte, quę appellabatur Israel regnare cœperat Oseę. *Eod. li. cap. 22.*

QVÆST. CCCCXLVI.

QVot sunt Sybillę, & quid prophetauerint de Christo, saltem erithrea, vel cumana, vt magis quidam putant.

RESPON. Agustinus tantum duas hic nominat scilicet Sybillam Erithream & Cumanam, dicit tamen secundum Varronem prures esse, & quę sunt Viues in suis commẽtariis nominat: prima Sybilla fuit Persica, hanc aliqui nominãt Caldęam alij Hebręam, proprium eius nomen Sambecha, nata in ciuitate Noè, prope mare rubrum sita, & hęc 24. libros ędidit de vaticinijs Christi, & de eius aduentu. Secunda fuit Lybica. Tertia fuit Delphica. Quarta Cumea in Italia, et hanc quidam Italicam nuncupant. Quinta Erithrea, et Lactantius dicit in Babylone natã esse. Sexta Samia, et dicta suo nomine Phito. Septima Cumana nomine Amalthea. Octaua Hellespontiaca in Agro Troiano nata Vico Marmisso circa oppidum Gergetium. Nona Phrigia, quę vaticinata sit Ancyre. Decima Tyburs nomine Albunęa, quę tyburi colitur, vt Dea. Has Sybillas tradit Varro, feruntur, et alię nonnullę, vt Colophonia quę dicta est Lampusia, Calchante nata, Sybilla Elissa, et Cassandra Priami filia, quæ ruinam patriæ cecinisse dicitur, et dedisse responsa consulentibus, et qui Epirotica Sybilla Thesprotię nata, et Thessalica Mantho Tiresiæ Thebani filia, posset et Sybilla dici Carmentis Archas Euandri mater, et Fauna fatui Fauni regis soror et coniunx. Dubitauit Didius Grammaticus, an Sopho Sybilla fuerit, sed quæ fuerit, quæ carminibus fata Romana cecinit requisiuit Varro, sed multi Cumanam putant, versus quidã de Christo vaticinantes sunt hi. *Eod. lib. cap. 23.*

Iesus capeliteræ faciunt.

Iudicij signum tellus sudore madescet.
E cœlo rex adueniet per secla futurus
Scilicet in carnem præsens, vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Celsum cum sanctis Eui iam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicet ipse.

Christos græcè cape literæ faciunt.

Cum iacet incultus densis in vepribus orbis
Reijcient simulacra viri cuncta quoque gazam
Exuret terras ignis pontumq; polumq;.
Inquirens tetri portas effringet auerni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni.
Tradetur sontes ęterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur.
Secreta atque Deus reserabit pectora luci.

Dei filius Saluator cape literæ græcè capte faciunt.

Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes
Eripitur solis iubar, & chorus interit astris.
Soluetur cœlum lunaris splendor obibit.
Deijciet colles valles extollet ab imò.
Non erit in rebus hominum, sublime vel altum
Iam æquantur campis, montes & cærula ponti.
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes terrentur, fluminaq; igni.
Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto,
Orbe gemens per facinus, mìserum, variosq; labores
Tartareumq; chaos, monstrabit terra dehiscens
Et coram hic domino, reges sistentur ad vnum.
Decidet e cœlis, ignisq; & sulphuris annis.

Lactantius quædam vaticinia de Christo per Sybillam facta, licet non exprimat quæ fuerit, & ipse inserit suo operi, & sunt hec.

In manus iniquas infidelium postea veniet, & dabunt Deo Alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatos sputos. Dabit vero ad verbera simpliciter, sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, vel vnde venit, vt inferis loquatur & corona spinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, inhospitalitate hanc monstrabũt mensam.

menſam, ipſa enim inſipiens gens tuum Deum non intellixiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed & ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti. Templi vero velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa, nimis in tribus horis: & morte morietur trib. diebus ſo-no ſuſcepto & tunc ab inferis regreſſus ad lucem lętam veniet, primus reſurrectionis principio, reuocatis oſtenſio.

QVAEST. CCCCLXVII.

AN ſcientia philoſophorum ſit antiquior ſcientia noſtra ſacra & ipſa prophetia an noſtra ſcientia ſacra ſit antiquior ſcientia philoſophorum.

RESPON. Quando notitia ſcripturæ noſtrorum prophetarũ fere ad oẽs gentes iam peruenerat philoſophi gentiũ nondũ erant, qui etiam nomine vocarẽtur, quod cœpit a Samio Pytagora, qui eo tempore quo iudęorum ſoluta eſt captiuitas cœpit excellere atq; cognoſci. Multo ergo magis cœteri philoſophi poſt ꝓphetas reperiũtur fuiſſe, de Socrate legitur in chronicis, qui fuit celeberrimus philoſophus poſt Eſdram inuenitur fuiſſe, non multo poſt Plato ẽt natus eſt, ſi aũt dicas ꝙ fuerunt qui non vocabãtur philoſophi, ſed ſapiẽtes, vt Thales mileſius Anaxagoras Anaximãder Anaximenes & nonnulli alij nec iſti fuerũt ante prophetas, cum Thales primus horum tẽpore Romuli quo ꝓphetia noſtra iã in culmine erat, clarere inceperat, ſi ergo aliqui ſapientes priores noſtris prophetis inueniũtur, vtiq; erunt illi Theologi poetę, videlicet Orpheus, Linus Muſeus, & ſi quis alius fuit apud græcos, ſed nec iſti anteceſſerunt noſtrum Theologũ Moyſem. Dices iterum in Ægypto ante Moyſem fuit quædam ſapientia, quia dicitur ꝙ Moyſes eruditus erat omni ſapientia Ægyptiorũ, ſed dico quòd nec hæc ſapientia Ægyptiorum fuit antiquior doctrina noſtrorum prophetarum, quia Abraam qui erat ante, fuit propheta, in Ægypto enim antequã Iſis Inachi filia (quæ prima regnare cępit argiuis, quando Abrahæ iam nepotes reperiuntur exorti) non erat ſapientia alicuius valoris, ſed per ipſam aucta eſt, & ideo tamquam deam colendam putauerũt, fuerunt poſtmodum etiam ante Noè & Enoch ſeptimus ab Adã qui & ipſi prophetauerunt. Noè prædixit diluuium. Enoch vero per Iudam in ſua canonica propheta prædicatur, licet in canone librorum ſanctorum non ſit ſua prophetia, & mirum eſt a ſacra

Eo.li. 18 *c.* 37. 30

Exo. 2.

scriptura canonica adducantur multi in testimonium cũ non sint
Iudæ. 1. in canone, vt scripta istius Enoch ab Apostolo Iuda citatur. Et scripta Samuelis, Nathan, & Gad prophetarum, citantur 1. Paral. c. vlt. & tamen nulli horum sunt in canone, & vnde prouenit hoc? Licet causa huius dubij principalis me lateat. Attamen dico duo, vnum est, quòd ideo non proponuntur in canone, quia reprobetur auctoritas istorum hominum, qui Deo placuerunt, sed quia ex antiquitate nimia, suspecta habentur an sint sua. Alterum est, quòd sua dicta partim erant ex reuelatione diuina, & ex dono prophetię prolata; & hæc sunt quæ a canonica scriptura citantur, partim & historica diligentia, & humana intelligentia prolata, & ideo non sunt posita in canone, quia non tota eorum scriptura ex reuelatione prophetica dictata fuit.

QVÆST. CCCCLXVIII.

QVot sunt sectę tractantes de finibus bonorum & malorum, & quæ inter eas verior sit?

De Ciuitate Dei. lib. 19. c. 1. 2. 3. 4.

RESPON. Marcus Varro in lib. de philosophia ponit 288. sectas, non quæ essent, sed quæ esse possent, ponendo aliquas differentias. Ex quo aduertendum est quatuor esse quædam, quæ homines sine magistro, sine vllo doctrinæ adminicullo, sine industria, vel arte viuendi, quæ virtus dicitur, & proculdubio discitur, velut naturaliter appetunt, aut voluptatem qua delectabiliter mouetur corporis sensus, aut quietem, qua fit vt nullam molestiam quisq; corporis patiatur, aut vtranque, quam tamen vno nomine voluptatis Epicurus appellat, aut vniuersaliter prima naturæ, in quibus, & hęc sunt & alia, vel in corpore, vt membrorum integritas & salus atq; incolumitas eius, vel in animo, vt sunt ea, quę vel parua, vel magna hominum reperiuntur ingenijs. Hæc igitur quatuor. i. voluptas, quies, vtrunq; prima naturæ, ita sunt in nobis, vt vel virtus, quam postea doctrina inserit, pp hæc appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut vtraq; pp seipsa, & sic pp istas differentias fiunt 12. sectę. Declaremus vnum, vt cętera intelligantur, voluptas corporis, aut virtuti subditur, aut præfertur, aut iungitur, si subditur voluptas est propter virtutem, idest vtitur voluptate, verbi gratia ad procreandos filios, vt ex multitudine filiorum ampliet patriã & sic illã adiuuet, & sic vna secta, si præfertur voluptas propter seipsam

sam tunc appetitur, & virtus tunc est propter ad implendam voluptatem, quæ vita est nimis deformis, & sic alia secta. Si vero iunguntur, videlicet voluptas & virtus; tunc neutra earum est propter alteram, sed propter seipsas ambę appetuntur, & sic tertia secta: dicamus & hoc idem de alijs tribus, hoc modo triplicentur, & sic erunt 12. istę vero 12. sectę, si addatur hęc differentia, scilicet socialitas, quia quidam his vtuntur propter se tantum, quidam propter socium etiam, cui debent velle, quod sibi, & sic duplicando fiunt 24. istæ postmodum 24. adhibita alia differentia nouorum academicorum, quidam enim sunt, qui defendunt suam sectam, vt certam, quidam vt in certam verisimilem tamen & sic duplicando fiunt 48. Rursus istæ 48. possunt duplicari alia differentia, videlicet quia quidam eas sequuntur habitu cœterorum philosophorũ, quidam habitu cynicorum, & sic fiunt 96. Rursus quia vnusquisque istas 96. potest sectari aut vt ociosam deligat vitam, sicut faciũt hi qui tantummodo studijs doctrinæ vacare voluerunt, aut negociosam vitam: sicut hi qui cum philosophantur tamen administratione reipublicæ, regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt, aut ex vtroque genere temperatam, sicut hi qui partim eruditio ocio, partim necessario negocio, alternantia vitæ suæ tempora tribuerunt, & sic triplicando eas fiunt 288. sed quia istę 288. nullam inferunt quæstionem de sectando summo bono, ideo nec sectę vere vocandæ sunt, vnde ad 12. primas tantum est reuertendum, in quibus quæritur quid sit bonum hominis, quo assecuto sit beatus, sed cum istę 12. surgant ex illis primis quatuor triplicando ad quatuor tandem etiam est reuertendum, & cum istarum quatuor vna videlicet prima naturę contineat in se, & voluptatem, & quietem, ideo ad tres tantum reducendæ sunt videlicet ad voluptatem & quietem & ad prima naturæ, & ex his tribus quærendũ est quę sit verior dicit igitur Varro, quòd cum homo constet ex anima & corpore, & summum bonum hominis quo fit beatus ex vtriusque rei bonis, animæ scilicet & corporis constare debet. Ac per hoc prima illa naturæ propter seipsa esse appetenda existimat, ipsamque virtutem quam doctrina inserit, velut artem viuendi, quæ in animę bonis est, excellentissimum bonum. Quapropter eadem virtus, idest ars agendæ vitæ, cum acceperit prima naturæ, quę sine illa erant, sed tñ erant etiam, qñ eis doctrina adhuc deerat, oĩa pp seipsam appetit, simulq; etiam seipsam, omnibusq; simul & se-

ipsa

ipsa vtitur, eo fine vt omnibus delectetur atque perfruatur, magis minusque vt quoque inter se maiora atque minora sunt, tamē omnibus gaudens, & quædam minora si necessitas postulat, propter maiora vel adipiscenda vel tenenda contēnens omnium autem bonorum, vel animi, vel corporis nihil sibi virtus omnino præponit. Hæc enim bene vtitur & seipsa, & cœteris quæ hominem faciunt beatum bonis, vbi vero ipsa non est quamlibet multa sint bona, eius sunt, cuius sunt, ac per hoc nec eius bona dicenda sunt, cui male vtenti, vtilia esse non possunt. Hæc ergo vita hominis, quæ virtute, & alijs animi & corporis bonis, sine quibus virtus esse non potest fruitur, beata esse dicitur, si vero & alijs sine quibus esse virtus potest, vel vllis, vel pluribus, beatior, si autem prorsus omnibus, vt nullum omnino bonum desit, vel animi vel corporis, beatissima. Non enim hoc est vita, quòd virtus, quoniam non omnis vita, sed sapiens vita virtus est, & tamen qualiscumque vita, sine vlla virtute potest esse, virtus vero sine vlla vita, non potest esse. Hæc sunt quæ Varro sentit de beata vita, sed nos christiani nō ponimus, vitā beatam in hac mortali vita, sed dicimus summum bonum, vitá ęternam esse & summum malum æternam mortem esse: propter illam proinde adipiscendam istamque vitandam, recte nobis esse viuendum, illi ergo qui putauerunt in ista vita fines malorum, & bonorum esse, siue in corpore, siue in anima, siue in vtroque siue in virtute errauerunt, & ideo irridet eos veritas per prophetam dicentem.
Ps. 93. Nouit Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ sunt: dum enim homo est, in hac vita, & quantum ad animam & quantum ad corpus varijs miserijs subiacet vt experientia docet, & quomodo si miser est, erit beatus? in corpore patitur infirmitates & frigus, & calor: & similia est in anima etiam sunt cōcertationes contra carnē vt faciat quandoque quod non velit, & quomodo beata? Item non sunt verę virtutes nisi in quibus inest pietas vera, & pietas exercetur in miseros, non ergo nec vbi erit virtus statim erit beata vita. Tantummodo ergo in hac vita spe beati sumus, & non re, ideo dice-
Rom. 8. bat Paulus his qui veras virtutes habebant: spe enim salui facti sumus, spes autem quæ videtur non est spes, sicut ergo spe salui facti sumus, ita spe beati facti sumus.

QVAEST.

QVÆST. CCCCLXIX.

QVantum pax omnibus hominibus ſit dulcis, & amabilis, & quid ſit?

Respon. Tantum eſt enim pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius ſoleat audiri nihil deſiderabilius concupiſci nihil poſtremo poſſit melius inueniri. Sicut enim nemo eſt, qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui pacem habere nolit, etiam illi, qui bella gerunt, nam finis belli victoria eſt, & excõ ſequenti pax. Et qui perturbare volunt pacem in qua ſunt, non oderunt pacem, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari. Non ergo vt ſit pax nolunt, ſed vt ea ſit, quam volunt. Et breuiter nemo eſt, qui non velit aliquam pacem, & coniurati, & latrones vnam pacem diſſipant & aliam ſibipſis præparant, pax itaque corporis eſt ordinata temperatura partium, pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum, pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſque conſenſio: pax corporis & animę, ordinata vita, & ſalus animantis: pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide, ſub ęterna lege obedientia, pax hominum ordinata concordia, pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium, pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium, pax cœleſtis ciuitatis ordinatiſſima, & concordiſſima ſocietas fruendi Deo & inuicem in Deo, pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Ordo eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio, proinde miſeri, inquantum miſeri, vtique in pace non ſunt. Tranquillitate quidem ordinis carent vbi perturbatio nulla eſt. Veruntamen quia merito iuſteque miſeri ſunt, in ea quoque ipſa ſua miſeria, pręter ordinem eſſe non poſſunt.

Eod. lib. 19. c. 12 & 11. & 13.

QVAEST. CCCCLXX.

COnditio ſeruilis ſiue ipſa ſeruitus vnde habuit originem?

Respon. Deus qñ fecit hoīem fecit illũ dñum irrationalium animalium, dum dixit dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli, et non dominum ipſius hominis. Et ideo illi primi iuſti homines, magis conſtituti ſunt paſtores pecorum quàm reges

Eod. lib. cap. 15.



hominum,

hominum, vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum: cõditio quippe seruitutis iure intelligitur posita peccatori. Primus enim locus scripturarum, vbi nominatur hęc seruitus est quando Noè dixit, Chanaam sit seruus seruorum, & hoc vt vindicaret peccatum filij. Nomen itaque istud culpa meruit non natura, origo autem vocabuli seruorum in latina lingua, inde creditur ducta, quòd hi qui iure belli, possent occidi a Victoribus cum seruabantur, serui fiebant, a seruando appellati, quod etiam ipsum sine peccati meritò non est, cum bellum iustum non geratur nisi in vindictam peccati. Prima ergo seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditionis viuculo subderetur, quod non fit nisi Deo iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium.

QVÆST. CCCCLXXI.

AN Episcopatus sit nomen honoris, vel non & quis sit verus episcopus re et nomine.

Eod. lib. 19. c. 19 1. Tim. RESPON. Qui episcopatũ desiderat bonũ opus desiderat, inquit Paulus. Voluit enim exponere quid sit episcopatus, quia nomen est operis non honoris. Grecum est enim atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Latine superintendere possumus dicere, vt intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.

QVÆST. CCCCLXXII.

AN secundum diffinitionẽ Scipionis Romana respublica fuerit vere respublica.

Eo. li. 19 cap. 21. RESPON. Rempublicam sic diffiniuit Scipio. Respublica res populi est, populus autem est cœtus multitudinis. iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus. ius vero sine iustitia geri non potest. Quod enim iure fit, profecto iuste fit. Quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda, iniqua hominum constituta. Deducetur ergo sic in Romana republica non fuit iustitia, nam iustitia est ea virtus, quæ sua cuiq;

distribuit

distribuit. Deo conuenit subdere homines per iustitiam, & Romani tollebant Deo homines, & demonibus subdebant, non erat ergo in eis iustitia, vbi vero non est iustitia, nec ibi est iuris consensus, vbi non est iuris consensus, nec ibi est populus sociatus iuris cõsensu, vbi vero nõ est talis populus, nec respublica est: ergo a primo ad vltimum, secundum istam diffinitionem Romana respublica non fuit vere respublica, si autem populus non isto, sed alio diffiniatur modo, velut si dicatur, populus est cœtus multitudinis rationalis, rerum quas diligit, concordi communione sociatus, profecto vt videatur qualis quisque populus sit, illa sunt intuenda quę diligit. Quęcumque tamen diligat, si cœtus est multitudinis, non pecorum, sed rationalium creaturarum, & eorum quæ diligit communione concordi sociatus est, non absurde populus nuncupatur, & sic secundum istam diffinitionem nostram, Romanus populus, populus est, & res eius sine dubitatione respublica.

QVÆST. CCCCLXXIII.

AN qui in die iudicij viui reperientur sint morituri, & demum resurrecturi.

RESPON. Vt dicamus eos morituros ipse Apostolus Paulus, videtur nos vrgere, vbi dicit in Christo omnes viuificabuntur, & de resurrectione loquens dicit. Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, dictum est etiam primo homini. Terra es & in terram ibis, idest antequam Deus insufflasset spiritum in faciẽ Adę, erat tantum terra, idest corpus exanimatum, & omnis homo debet reuerti ad terram idest ad corpus exanimatum, vt ergo omnis homo viuificetur per resurrectionem, & in terram redeat, necesse est, vt moriatur, & ideo si in verbis Apostoli, vbi dicit, quòd qui in aduentu domini viui inuenientur, rapientur obuiam Christo in aera, & in verbis supra citatis, velimus nullas pati angustias, credamus quòd in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros. Et sic a resurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamuis breuissima, non tamen nulla, nec euadent sententiam iam antedictam videlicet, quòd sint reuersuri in terram, idest corpus eorum fieri exanimatum, licet breuissimo tempore, & quod hoc fieri possit in tam breui spacio, non est dubitandum, cum & Apostolus dicat resurrectionem fieri in ictu oculi, idest in inestimabili velocitate.

De Ciuitate Dei. lib. 20. cap. 20.
1. Co. 15
1. Tes. 4.

QVAEST.

trescit, hoc expertus sum, per annum reseruando, & inueni non olfatum offendentem, sed tantummodo contractiorem & fictiorē factam: videmus paleam ex frigiditate niuem conseruare & ex caliditate poma immatura maturescere, ignis ipse lucidus nigrescit, quod vrit de lignis, & albescit lapides quos coquit, carbones tam sunt debilis firmitatis, vt de facili frangantur, sed tante firmitatis postmodum sunt, vt quoquā humore corrūpi non possint, etiam si subter terrā sepeliantur, calx feruescit adhibita aqua quæ est frigida, & non feruescit adhibitio oleo, quod magis fomes est ignis. Adamas lapis nec ferro nec alia vi preterquā hyrcino sanguine vinci potest. Magnes lapis & ipse virtute mirabili trahit ferrum, vidi enim trahere in aerem annullum ferreum, & demum ille annullus alium annullum ex vi sibi communicata, & alius alium, & alius alium in tantum vt fieret tamquam cathena in aere suspensa. De isto lapide audiui quoddam mirabilius a fratre coepiscopo seuero Milleuitano, qui dum conuiuaretur apud quendam comitē Aphricę nomine Bathanū, comes protulit magnetem & sub argēto tenebat eum ferrumque posuerat super argentum. Deinde sicut subter mouebat manum, qua lapidem tenebat: ita ferrum desuper mouebatur, non moto argento nec aliquid patiente. Agrigentinū etiam sal in Sicilię partibus liquefit in igne, & crepitat in aqua positum. Et sal aliorum locorum oppositum facit. Apud gramantas est fons, tam frigidus diebus, vt de eo bibi non possit, & tam feruidus in noctibus, vt non possit tangi: in epiro est etiam quidā fons, vt faces accense extinguantur in eo sicut & in alijs sed etiam extinctę denuo in eo acceduntur, quod non fit in alijs. Datur etiam lignum ficus egyptię cuiusdam, quòd si iaciatur in aquam non supernatat sicut cœtera ligna, sed mergitur, & cum in immo aliquan diu fuerit, tunc ad superficiem aquæ ascendit & hoc est mirabilius quia iam humore aquæ plenum deberet prægrauari, & fundum aquę petere, & tamen tunc supernatat: ista omnia & multa alia mirabilia naturę, quæ breuitatis causa sub silentio ponimus, non nisi ex omnipotentia Dei proueniunt qui talem naturam ijsdem rebus tribuit, ideo & ille est, qui corpori semper viuenti, & dolenti, & nunquam mori dedit. Non est ergo dubitandum quin possit dare & hanc naturam corpori in resurrectione vt sentiat maximum dolorem, & nunquam moriatur.

QVAEST.

QVÆST. CCCCLXXIIII.

AN corpora in inferno possint continue in igne permanere, & nunquam comburi vel consumi posse.

De Ciuitate Dei. lib. 21. c. 2. 3. 4. 5.

RESPON. Sunt quidam, qui nolunt tantum edoceri per testes idoneos, quod perpetuo possint corpora humana in igne seruari, sed exemplis cupiunt, de hoc certificari. Quibus dicimus esse quędam animalia quæ in medijs ignibus diu viuunt, sed non semper, cum non viuant semper eo quòd sunt mortalia, reperitur etiam quoddam genus vermium, in aquarum calidarum scaturigine quarum feruorem nemo impune contrectat, & ipsi vermes in illa aqua tam calida conseruantur, & extra nequaquam esse possunt, sunt alij, qui non possunt credere, quòd in igne inferni corpora humana post resurrectionem, cum vnita erunt animabus possint sentire dolorem, & semper viuere & nunquam mori, cum talibus videatur hoc consequens verum esse, vbi magnus dolor diu durat, ibi & mors necesse est tandem vt sequatur: non qualiscumque dolor occidit, sed maximus dolor est causa, vt quandoque anima cedat, quæ est annexa corpori ipsis summis doloribus, quoniam & ipsa compago membrorum atque vitalium sic infirma est, vt eam vim, quæ magnum vel summum dolorem facit, non valet sustinere, sed dicimus quòd si nunc hoc consequentes teneret, vt necesse esset animam cedere maximo dolori, non erit tamen tunc in resurrectione siue post resurrectionem, quia tunc ex Dei potentia data erit talis caro, vt possit perpetuo sentire supplicia, & etiam viuere. Tunc enim tali corpori anima & eo connectetur modo, vt illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine soluitur, ita nullo dolore rumpatur, erit enim talis caro, qualis nunc non est sicut talis erit, & mors, qualis nunc non est, non enim nulla, sed sempiterna mors erit, prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab vtraque morte communiter id habetur, vt quod non vult anima, de suo corpore, patiatur, nō erit igitur incredibile quod diximus, cum sciamus Salamandram in ignibus viuere notum est, etiam in montibus Siciliæ, quosdam montes iam diu flammis estuare, & tamen non destruuntur, sed perseuerant, videmus, & multa alia mirabilia Deum in naturalibus rebus operasse, nam caro pauonis mortui, non putrescit,

trescit, hoc expertus sum, per annum reseruando, & inueni non olfatum offendentem, sed tantummodo contractiorem & fictioré factam: videmus paleam ex frigiditate niuem conseruare & ex calíditate poma immatura maturescere, ignis ipse lucidus nigrescit, quod vrit de lignis, & albescit lapides quos coquit, carbones tam sunt debilis firmitatis, vt de facili frangantur, sed tante firmitatis postmodum sunt, vt quoquã humore corrũpi non possint, etiam si subter terrã sepeliantur, calx feruescit adhibita aqua quæ est frigida, & non feruescit adhibitio oleo, quod magis fomes est ignis. Adamas lapis nec ferro nec alia vi preterquã hyrcino sanguine vinci potest. Magnes lapis & ipse virtute mirabili trahit ferrum, vidi enim trahere in aerem annullum ferreum, & demum ille annullus alium annullum ex vi sibi communicata, & alius alium, & alius alium in tantum vt fieret tamquam cathena in aere suspensa. De isto lapide audiui quoddam mirabilius a fratre coepiscopo seuero Milleuitano, qui dum conuiuaretur apud quendam comité Aphricę nomine Bathanũ, comes protulit magnetem & sub argé to tenebat eum ferrumq́ue posuerat super argentum. Deinde sicut subter mouebat manum, qua lapidem tenebat: ita ferrum desuper mouebatur, non moto argento nec aliquid patiente. Agrigentinũ etiam sal in Siciliç partibus liquefit in igne, & crepitat in aqua positum. Et sal aliorum locorum oppositum facit. Apud gramantas est fons, tam frigidus diebus, vt de eo bibi non possit, & tam feruidus in noctibus, vt non possit tangi: in epiro est etiam quidã fons, vt faces accense extinguantur in eo sicut & in alijs sed etiam extinctę denuo in eo acceduntur, quod non fit in alijs. Datur etiam lignum ficus egyptię cuiusdam, quòd si iaciatur in aquam non supernatat sicut cœtera ligna, sed mergitur, & cum in immo aliquandiu fuerit, tunc ad superficiem aquæ ascendit & hoc est mirabilius quia iam humore aquæ plenum deberet prægrauari, & fundum aquę petere, & tamen tunc supernatat: ista omnia & multa alia mirabilia nature, quæ breuitatis causa sub silentio ponimus, non nisi ex omnipotentia Dei proueniunt qui talem naturam ijsdem rebus tribuit, ideo & ille est, qui corpori semper viuenti, & dolenti, & nunquam mori dedit. Non est ergo dubitandum quin possit dare & hanc naturam corpori in resurrectione vt sentiat maximum dolorem, & nunquam moriatur.

QVAEST.

QVÆST. CCCCLXXV.

POenæ inferni quid ſint, an ignis corporalis, vel incorporalis, & ſi corporalis ignis, quomodo ſpiritus incorporales ibi crucian tur per ignem corporalem.

Eod. lib. 21. ca. 9. & 10. RESPON. Deus per Eſa. dixit. Vermis eorũ non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur, & habetur hoc idem, videlicet, quòd pęna damnatorum ſit vermis, & ignis, ex quo quidam corpori pro *Eſa. 66.* pœna tribuunt ignem, & animæ vermem, ideſt conſcientiam ro- *Mar. 9.* dentem, & cruciantem: licet hoc quòd dicunt hi, poſſit ſtare, ego tamẽ facilius exiſtimo, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere, te *Eccl. 7.* ſte, qui dicit. Vindicta carnis impij ignis & vermis, ſed eligant qđ velint an ignem corpori pertinere, & vermem animę, an vtrumque corpori, proprie loquendo, nihil refert, ad tenendum noſtram con cluſionem ſuperius declaratam, quòd miraculo omnipotẽtis Dei, corpora humana in igne perpetuo poſſunt vri, & non conſumi, ſed ſemper cruciari: ſed difficultas remanet, quomodo ſpiritus poſ ſunt cruciari in igne inferni ſi ignis eſt corporeus. Dicitur quòd ſpiritus demones habent & ipſi corpora aerea valde ſubtilia, & ideo cruciatur in eis: quòd aer poſſit vri, patet ex vento nos vrente, q ferueſactus in balneis vrit nos, & nõ vreret, niſi prius vreretur. Apud vero eos, qui non tenent ſpiritus demones habere corporea, poteſt dici, quòd quibuſdam & ſi miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos, pœna ignis corporalis poſſe affligi, ſicuti nũc ſpiritus hominum, qui & ipſi ſunt incorporei ſpiritus, poſſunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari: Adherebunt ergo ſpiritus demones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non vt ignes ipſi quibus adhęrebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ex ſpiritu & corpore, ſed vt dixi miris, & ineffa bilibus modis inhęrendo, accipientes ex ignibus pœnam non dan tes ignibus vitam, quia & iſte alius modus, quo corporibus adhę rent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino virtus eſt nec comprehen di ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt. Dicerem quidem ſic arſuros ſine vllo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos il- *Luc. 16.* le diues quando dicebat, crucior in hac flamma, niſi conuenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi

quos

quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humore exiguum desiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit, vbi tamen erant sine corporibus animæ: Sic ergo incorporalis & illa flamma qua exarsit, & illa guttula quam popo scit, qualia etiam sunt visa dormientium, siue in estasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum. Nam & ipse homo cum spiritu, non corpore sit in talibus visis, ita se tamen tunc similem suo corpori videt, vt discernere omnino non possit. At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, & sulphuris dictum est corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, & hominum & demonum, solida hominum, aerea demonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, demones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, nõ impartiendo vitam corporalibus ignibus, vnus quippe vtriusque ignis erit, sicut veritas dixit. *Mat. 25.*

QVÆST. CCCCLXXVI.

POenæ legum ciuilium quæ delinquentibus infliguntur quot sunt.

RESPON. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium mortem, seruitutem, & istæ pœnæ longiori tempore durant, quàm peccatum perpetratum pro quo infliguntur, nisi forte talio. Quid mirum ergo erit si & Deus minatur ęterna supplicia pro peccato parui temporis mora perpetrato? *Eod. lib. cap. 11.*

QVÆST. CCCCLXXII.

AN dentur pœnæ purgatoriæ post mortem.

RESPON. Temporarias pœnas alij in hac vita tantũ: alij post mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud nouissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium damnatis sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti dicimus in futuro seculo, id est ne futuri seculi ęterno supplicio puniantur, pueri vero baptizati, qui decedunt ex hac vita ante vsum rationis, idest antequam *Eod. lib. c. 13. 16. 24.*

ratio suscipiat pugnam cum carne, non solum non tangunt æternas pœnas, sed nec purgatoria tormenta patiantur. Hij autem qui iam ad vsum rationis venerunt, & postmodum mortui sunt, si taliter vixerunt in corpore, vt orationibus Ecclesiæ, & misericordia non habeantur indigni, & inueniantur tali misericordia egere. Tales constat, ante iudicij diem per pœnas temporales quas eorũ spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus æterni ignis supplicijs non tradendos. Quisquis igitur cupit pœnas euadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam iustificetur in Christo, ac sic vere transeat a diabolo ad Christum: purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremẽdũq; iudicium. Nequaquam tamen negandum est, etiam ipsum æternũ ignem, pro diuersitate meritorum, quamuis malorum, aliis leuiorem, aliis futurum esse grauiorem, siue ipsius vis atque ardor pro pœna digna cuiusque varietur, siue ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur.

QVÆST. CCCCLXXVIII.

AN omnes homines & etiã demones saluabũtur in die iudicij?
Eod. lib. RESPON. Primo circa hoc dubium fuerunt variç opinio
c. 17.18 nes, Quidam dixerunt, ꝙ in iudicio illo vltimo oẽs sancti orabunt
19.20. Christum pro omnibus hominib. tam fidelibus & infidelib. tam
21.22. malis, q̃ non valde malis, nõ obliti sua charitate: si.n.orabant pro
23.24. eis dum erant in præsenti vita, & quando patiebantur eos, quanto
25.26. magis, quando videbunt humiles. & prostratos ante iudicem?
27. Cum etiam dicat propheta in Psal. nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas, & Paulus, conclu
Rom. 11. sit enim Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur, quo significaret, quòd ab illo nemo damnabitur, nemo hominum, isti excludunt demones.

Secunda quidam alij dixerunt, quòd nõ omnes homines saluabũtur, sed tãtummodo baptizati Christi baptismate, etiã si fuerint hæretici, & valde peruersi, ratio est, quia inquit Christus. Hic est pa
Ioan. 6. nis, qui de cœlo descendit: Ego sum panis viuus si quis ex hoc pane manducauerit non morietur, quia isti manducauerunt per baptismum hunc panem, ideo non morientur in æternum quandoque igitur saluabuntur, & hoc erit in die iudicij.

Quidam

3 Quidam alij dixerunt non hereticos saluari, sed tantum catholicos etiam si male vixerint, quia manducauerunt corpus Christi non tantum nomine sed & reipsa, non solum baptizati sunt sed & in ecclesia in qua sola est salus, & quia habẽt fundamentũ quod est Christus, & per ignem liberabuntur.

4 Quidam alij dixerunt eos tm̃ saluari inter catholicos, qui pro peccatis suis eleemosynas fecerũt, dicente propheta iudicium sine misericordia fiet illi, qui nõ fecit misericordiã, qui ergo fecerit misericordiam, licet male vixerit, in die iudicij, & ipse inueniet misericordiam. *Iac. 2.*

5 Quidam alij dixerunt quòd non tantum homines, sed & demones saluabuntur, & fuit Origenes, qui Deum valde misericordẽ voluit prædicare, dicens sibi videri inconueniens, Deum tantum esse misericordem in naturam humanam, & cum ad angelicam vẽtum fuerit, quòd eius misericordia arescat, istę sunt opiniones, & falsæ & ideo ad omnes sic dicitur.

1 Ad primam dicimus, quòd Christus mentiri non poterit cũ dicet in vltima sententia, discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Et hi ibunt in supplicium æternum iusti autem in vitam æternam: si vita sanctorum nunquam habebit finem quia æterna, nec supplicium damnatorum nunquam habebit finem, quia æternum, & hæc sententia percutit omnes opiniones, ad hanc tamẽ particulariter dicimus, quòd sicut ecclesia nunc non orat per damnatis, nec etiam in die iudicij sancti eadem de causa pro ipsis orabũt: nunc ecclesia orat pro inimicis, qui sunt in præsenti vita, quia adhuc habent tempus fructuosę pœnitentiæ, sed tunc non erit tempus pœnitentię, illud igitur dictum nunquid obliuiscetur misereri, &c. non est taliter intelligẽdum, vt loquatur de iudicij, sed tantum de hac vita præsenti in qua est semper præsto misereri conuertenti se ex corde. Et illud Pauli, vult dicere, quòd permisit omnes in infidelitate, vt omnes prædestinatos ex misericordia saluaret tam eos, qui ex gentibus, quàm qui ex iudæis credent, & non vult intelligere omnes homines quotquot fuerint. *Psal. 76*

6 Ad secundam dicimus, quòd Apostoli sententia vera est, quæ dicit manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, Luxuria, Idolorum seruitus, veneficia inimicitię, contẽtiones, emulationes, ire rixe dissẽsiones, hę res & huiusmodi, quę *Gal. 5.*

prędico vobis, ſicut prędixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt, ſi non poſſidebunt tales regnum Dei, ergo in ęterno ſupplicio cruciabuntur, quia non eſt medius locus, vbi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno. Et licet hęretici manducauerint panem Chriſtum per baptiſmum, non tamen vere & ſanctè manducauerunt, quia non in vnitate eccleſiæ permanſerunt, & quomodo tales dicendi ſunt manducaſſe corpus Chriſti & ipſius panem, qui nunquam in corpore Chriſti fuerunt? Ideo tale ſacramentum non eis vtile, ſed potius noxium videtur.

3 Ad tertiam dicimus, quòd iſti licet fuerint in catholica, & ſup fundamento ſint, non tamen ſuper fundamentum hoc bona opera ędificauerunt. Dicit enim Iacobus, ſi quis dicit ſe fidem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum? *Iac. 2.* oportet enim habentem Chriſtum in fundamento taliter habere Chriſtum in corde, vt ei terrena & temporalia, nec ea quæ licita ſunt, atque conceſſa ei præponat, & ſic habebit fundamentum Chriſtum, cum pro ſtatu ſeruando in quo eſt, videlicet in coniugio in quo eſt tranquilliter viuere volendo, condeſcendit ad multa commoda vxoris non tamen illicita. Iſte ędificabit ſuper fundamentũ ligna fœnum & ſtipulam, & ſic per ignem ſaluabitur. Qui autem non ędificant aliquo modo, nec per ignem ſaluabuntur, ſed perpetuo per ignem cruciabuntur.

4 Ad quartam dicimus, quòd eleemoſynæ proſunt & orationes adiuuant, cum pro peccatis præteritis, vt orantes nobis dimitti exaudiamur, & non vt in eis perſeueremus, vt enim eleemoſynæ proficiant pro Chriſto dandæ ſunt, & qui pro Chriſto dant, vtiq; Chriſtum panem iuſtitię non ſibiipſis negant. Quoniam Deus non cui detur, ſed quo animo detur attendit. Qui ergo Chriſtum diligit in Chriſtiano hoc animo ei porrigit eleemoſynam, quo accedit ad Chriſtum, non quo vult recedere impunitus a Chriſto. Tãto enim magis quiſque deſerit Chriſtum quanto magis diligit, quod improbat Chriſtus, iuſtificatis igitur eleemoſynæ ad vitam tantũ proſunt, & non ſceleratis hominibus.

5 Ad quintam dicimus id quod ſupra videlicet quòd Chriſtus non poteſt mentiri, qui dixit: Diſcedite a me maledicti in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, miſericordia.n. Dei non ſe extendit ad demones, quia miſericordię non ſunt capaces, ſunt enim in malitia obſtinati.

QVÆST.

QVÆST. CCCCLXXIX.

AN voluntati Dei possit quisquam resistere, idest operari contra eius voluntatem.

RESPOND. Multa enim fiunt a malis contra voluntatem Dei, sed ille tantę sapientiæ, & tante virtutis, & bonitatis, vt in eos exitus, siue fines, quos bonos & iustos ipse præsciuit, tendant omnia, quę voluntati eius videntur aduersa, sed cum Paulus dicat, voluntati eius quis resistet, quid dicemus ad verba Augustini, qui dixit malos operari contra voluntatem Dei? audi in hoc loco quid dicat Viues. Theologi ad extricanda ista, inuenerunt voluntatem in Deo, signi & beneplaciti antecedentis & consequentis, sed licet hęc sint vera, sunt tamen obscura & captu male intelligibilia, ex quo sic clarius dicerem, quòd est in Deo voluntas vera germanaque, sed homines sicuti ei fingunt, vel attribuunt manus, oculos & alia corporis membra, licet non sit corporalis, sed hoc ideo faciunt, vt facilius eius effectus capiant, & ipsum intelligant, ita & de voluntate dicunt. cum tamen eius voluntas sit omnipotens expressa veraque, neque mutatur vnquam, & omnia quęcunque vult facit, nec vi aliqua impediri, vel auerti potest, vnde volentes nos de facili intelligere faciemus simillimam voluntati hominum optimorum, & valde sapientum, sicuti animi erat attribuimus membra corporalia non damus ei pedes claudi oculos lippos, & talia membra infirma, sed integerrima, & pulchriora damus, itaque cum vir bonus bene viuere velit, omniaque rectè agi gaudeat, contra vero, male viui nolit doleatque. Si id contingat, sic Deus & velle & gaudere nobis dicitur, quòd homines sanctę viuant, & nolle & dolere, quòd praue viuant, tanquam malit illam quę suæ naturæ sunt congruentiora, quibus & videatur delectari quasi rebus cognatis quo circa cum hanc voluntatem facilius sit, quàm illam quã illi Theologi ponũt intelligere: eo quòd nostris similior. Mali viri, cum scelera admittunt, haud dubie & sibi & alijs contra voluntatem Dei facere videntur. Hæc Viues, sequitur Aug. Ac per hoc cum Deus dr̃ mutare volũtatem, vt quib. lenis erat, verbi gratia reddatur iratus illi potius, quàm ipse immutantur, & eum quodammodo mutatum, in his

De Ciuitate Dei. lib. 22. cap. 1.

his quæ patiuntur inueniunt, ſicut mutatur ſol oculis ſauciatis, & aſper quodammodo ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur, cum ipſe apud ſeipſum maneat idem qui fuit.

Dicitur enim voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientiũ
Phil. 2. mandantis eius, de qua dicit Apoſtolus, Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle. Secundum hanc voluntatẽ quã Deus operatur in hominibus etiam velle dicitur, quòd ipſe non vult, ſed ſuos id volentes facit: ſicut dicitur cognouiſſe, quod vt cognoſceretur facit, a quibus ignorabatur. Multa enim volunt fieri ſancti eius, ab eo inſpirata ſancta voluntate, nec fiunt, ſicut orãt pro quibuſdam pie ſancteque & quod orant non facit, cum ipſe in eis hanc orandi voluntatem Sancto ſpiritu ſuo fecerit, ac per hoc ſecundum domini voluntatem orant ſancti, ideſt ſecundum dominũ volunt, & orant, vt quiſque ſit ſaluus, poſſumus illo modo locutionis dicere: vult Deus & non facit, vt ipſum dicamus velle, qui vt velint iſti facit, ſecundum vero illam volũtatem ſuam, quę ſempiterna eſt cum eius præſcientia, profecto in cœlo & in terra, omnia quęcunque voluit, non ſolum preterita, vel præſentia, ſed etiam futura iamfecit: Verũ antequam veniat tempus, quo voluit, vt fieret, id quod ante tempora vniuerſa præſciuit, atque diſpoſuit, dicimus fiet, quando dominus voluerit: Si autem non ſolum tempus quo futurum eſt, verum etiam vtrum futurum ſit ignoramus, dicimus, fiet ſi Deus voluerit, non quia Deus, nouam voluntatem quam non habuit, tunc habebit, ſed quia id quod ex ęternitate, in eius immutabili præparatum eſt voluntate, tunc erit.

QVAEST. CCCCLXXX.

CVr modo non fiunt miracula, ſicut fiebant antequam in Chriſtum crederet mundus, & an modo fiant aliqua, licet non ſic diuulgentur.

Eod. lib. 22. c. 8. RESPON. Neceſſaria erant miracula & prodigia antequã in Chriſtum crederet mundus, ſed ſi quis modo quærit miracula, vt credat hoc eſt magnum prodigium, quòd mundo credente ipſe non credat: & ideo iam credente mundo, non ſunt neceſſaria, nec tam crebra ſunt miracula, fiunt tamen etiam & nunc in eius nomine miracula, ſiue per ſacramenta eius, ſiue per orationes, vel memo

rias

rias ſanctorum eius, ſed non eadem claritate illuſtrantur, quanta illa gloria diffamentur, canon quippe ſacrarum literarum, quem diffamatum eſſe oportebat, illa facit vbique recitari & memoriæ cunctorum inhærere populorum, quę autem fiunt nunc, vix ſciuntur ab his, qui habitant vbi fiunt, & multi ibidem habitantes etiam illa ignorant, & hęc eſt vna ratio, quare nunc videatur nõ fieri miracula, licet multa fiant.

QVÆST. CCCCLXXXI.

AN maledictiones parentum in filios prolatas, aliquando permittat Deus, filijs euenire.

RESPON. Decem quidam fratres fuerunt, quorum ſeptem mares, tres fœminę de Cęſarea Capadocię, ſuorum ciuium non ignobiles maledicto matris recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit: tali pœna ſunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore mẽbrorum. In qua fœdiſſima ſpecie, oculos ſuorum ciuium non ferentes, quaqua verſum cuique ire viſum eſt, toto pene uagabantur orbe Romano. *Eo. li. 22 & cap.*

QVAEST. CCCCLXXXII.

AN ſanctis ſit ſacrificandum & templa edificanda tamq̃ dijs?

RESPON. Nos autem martyribus noſtris, non templa ſicut dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo, & martyrum & noſtro ſacrificium immolamus, ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur, Deo quippe non ipſis ſacrificat, quamuis in memoria ſacrificet eorũ, quia Dei ſacerdos eſt non illorum, ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi. *Eo. li. 22 cap. 10.*

QVÆST. CCCCLXXXIII.

AN resurrecturi sint fœtus abhortiui & infantes in ætate infantili, vel virili, & omnes in statura corporis Christi, & multa alia ad resurrectionem pertinentia.

Eod. lib 22. c. 13 14. 15. & 17. RESPON. Abortiuos fœtus, qui cum iam vixissent in vtero ibi sunt mortui, resurrecturos, vt affirmare, ita negare non audeo, quamuis non videam quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum. Si nō eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliquæ humanæ animę, sine corporibus in ęternum: quæ corpora humana quamuis intra viscera materna gestarunt, aut si omnes animæ humanæ, recipiant resurgentia sua corpora, quæ habuerunt vbicunque viuentia, & morientia reliquerunt, non inuenio quemadmodum dicam ad resursurrectionem non pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in vteris matrum, sed vtrumlibet de his quisq; sentiat, quod de iam natis infantibus dixerimus, hoc etiam de illis intelligendum est, si resurgent. De iam natis infantibus dicimus, quòd resurgent non in ea corporis exiguitate, qua mortui, sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi, in sententia quippe domini, vbi ait capillus capitis vestri non peribit, dictum est non defuturum esse, quod fuit, non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis, profecto infanti deest vtique perfectio magnitudinis corporalis, quæ cum accesserit iam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, vt cum illo concipiantur atq; nascātur, sed habent in ratione, non in mole, sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, ac si quid eiusmodi, in qua ratione vniuscuiusque materiæ indita corporali, iam quodammodo, vt ita dicam, innatum esse vr̄ quod nondū est, imò quod latet, sed accessu tp̄is erit, vel potius apparebit, in hoc ergo infans, iā breuis aut lōgus est, q̄ breuis lōgusve futurus est, & ideo dicendū est q͏̄ infantes resurgent in ea quantitate corporis in quā peruenissent, si vixissent, & in plenitudine ętatis Christi, que est in iuuētute, & doctissimi viri definierunt iuuentutē esse circa 30. annos, & ideo vnusquisque, siue moriatur infans, si-

Luc. 22.

ue

ue senex resurget, in ea ætate iuuentutis, & in ea statura, quàm habuisset infans circa 30. annos si vixisset, & quam habuit tunc, qui postmodum mortuus est, senex. Ex quo habetur, quòd & gigantes resurgent in statura quam habuerunt in illa ætate vel habendi erant si vixissent, vsque ad illam ætatem, & hoc dicere cogit sententia Christi, superius dicta, quæ non vult aliquid perire resurgentium, sed si gigantes non resurgerent in illa sua statura, sed in minori, vtique plurimum periret de eorum corporibus, resurgent & fœminę in suo sexu, licet dicat Paulus quòd occurremus omnes in vnitatem fidei & in virum perfectum, etiam fœminæ bonæ occurrunt in virum perfectum, quando per fidem, & per bona opera in corpore Christi mystico vniuntur: iste vir est totum corpus ecclesiæ, & quia mulieres sanctę sunt membra istius corporis ideo scriptura nõ excludit eas a nomine viri, dicit enim in Psal. beatus vir qui timet dominum, &c. nonne & mulieres multe timẽt dominum ergo & per nomen viri, Psal. intelligit. *Eph. 4.*

QVÆST. CCCCLXXXIIII.

AN resurrectio probari possit per dicta Platonis, & Porphyrij.

RESPON. Singula quædam dixerunt Plato & Porphyrius, quæ si inter se communicare potuissent, facti essent fortasse christiani, Plato dixit sine corporibus animas in ęternum esse non posse, ideo dixit, etiam sapiẽtium animas post quamlibet longum tempus tamen ad corpora redituras, Porphyrius autem dixit aĩam purgatissimã, cũ redierit ad patrem, ad hęc mala mundi nunquam esse reditură: vnũ verum dixit Plato, & alterũ dixit Porphyrius: ista duo copulẽtur simul, & dicetur ꝙ animę sanctę redibunt ad corpora, & non ad miserias huius vitæ amplius redibunt. Et hoc est, qđ nobis dominus promisit in resurrectione, videlicet quòd animæ beatę in ęternum cum sua ęterna carne sint victure. *Eo. li. 22 cap. 27.*

QVÆST. CCCCLXXXV.

VIsio sanctorum in cœlo, siue eorum fœlicitas qualis sit. quęrimus.

RESPON. Si dicere verum velim, quale futurũ sit illud ociũ, illa actio vel potius quies, dicam nescio, quia per sensus corporis, nunquam vidi. Si autem hoc mente, idest intelligentia, vidisse *Eo. li. 22 cap. 29.*

me

me dicam, sed quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam? Ibi est enim pax Dei quæ superat omnem intellectum, sicut dicit
Phil. 2. Paulus. Et si superat omnem intellectum, ergo & intellectum Angelorum. Et quidem pax Dei qua ipse paccatus est, quam solam ipse noscit superat & intellectum Angelorum, igitur omnem intellectum præter Dei. Hanc pacem & nos participabimus & summã sed pro modo nostro, ideo isto modo Sancti Angeli nunc pro suo modo sciunt eam, homines vero in hoc mundo nesciunt eam, & si sciunt imperfectissime sciunt, quia in spe tantùm eam participant, videmus enim nunc per speculum in ęnigmate, inquit Paulus,
1.Co. 13 tunc autem facie ad faciem: pro præmio fidei seruatur nobis ista visio facialis Dei: facies autem Dei, manifestatio eius intelligenda est & non membrum corporale sicuti est nostra facies. Quapropter cum ex me quæritur, quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali? dico non quod video, sed quod credo. Dico itaque, quod visuri sunt Deum in ipso corpore, sed vtrum per ipsum, sicut per corpus nũc videmus solem lunam stellas, & terram & quæ sunt in ea, non parua quæstio est. Durum est dicere, quòd sancti tunc non possint claudere, & aperire oculos quomodocunque eis libuerit. Durius autem, quòd ibi Deum quisquis oculos clauserit non videbit, si enim Helyseus Giezi vidit accipientem munera licet esset
4.Reg. 6. absens corpore, vt dicitur, quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam vnde sunt corpore absentes. Tunc enim erit perfectum id quod
1.Co. 13 non ex parte est, vt inquit Paulus. Corde enim suo Propheta Helyseus vidit, adiuto quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus, sed quanto amplius, tunc omnes munere isto abundabunt cũ Deus erit oĩa in omnib. Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum & in loco suo erunt, vteturque illis spiritus per spiritale corpus. Neque enim & ille propheta quia non eis indiguit, vt videret absentem, non eis vsus est ad uidẽda præsentia, quę tamen spiritu videre posset etiam si illos clauderet, sicut vidit absentia, vbi cum eis ipse non erat. Absit ergo vt dicamus illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt, sed dubium est, an per oculos corporis, cum eos aptos habebunt, videbunt Deum, si tunc oculi non essent potioris potentiæ quam nunc sunt, proculdubio per eos Deus videri non poterit, sed si videbunt illam incorpoream naturam Dei, vtique erunt excellẽtioris

tioris potentię, quam nunc ſunt, Deus vbique eſt totus, & videre eũ vbique hoc eſſet maxime potentiæ, videre videlicet, & incorporalia. Si verum eſſet quòd quidam philoſophi ratiocinantur, videlicet quòd intelligibilia tantum poſſint mente intueri, & ſenſibilia tantum ſenſu corporis intueri, vt nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per ſe ipſa mens valeat intueri, iam dubium ſolutum eſſet, ſcilicet, quòd per oculos corporis ſpiritualis nullo modo poſſet videri Deus: ſed diuina authoritas negat hoc eſſe verum, quia & Deus incorporeus videt, & cognoſcit iſta corporalia, & Helyſeus, ſpiritu, vt iam diximus vidit corporalia, ideſt quæ corporaliter geſta ſunt, per ſeruum ſuum Giezi, ſicut ergo conſtat ſpiritu videri corpora, quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? ſpiritus enim eſt Deus. Quamobrem fieri poteſt, valdeque credibile eſt. ſic nos eſſe viſuros mundana tum corpora cœli noui & terræ nouæ, vt Deum vbique præſentem, & vniuerſa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ geſtabimus, & quæ cõſpiciemus, quaquauerſum oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus, non ſicut nunc inuiſibilia Dei, per ea, quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur per ſpeculũ in ęnigmate vbi plus in nobis valet fides, qua credimus, quam rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales, ſed ſicut homines inter quos viuentes, motuſque vitales exercentes, viuimus, mox vt aſpicimus, non credimus viuere, ſed videmus, cum eorum vitã, ſine corporib. videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conſpicimus, ita quocumque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus incorporeum Deum oĩa regentem, etiam per corpora contuebimur. Aut ergo ꝑ illos oculos ſic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tanta excellẽtia menti ſimile, quo & in corporea natura cernatur, quod vllis exemplis, ſiue ſcripturarum teſtimonis diuinarum, vel difficile, vel impoſſibile eſt oſtendere. Aut quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, vt videatur ſpiritu a ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cœlo nouo & in terrra noua atq; in omni quæ tũc fuerit creatura, videatur & per corpora in omni corpore quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie ꝑueniẽte directi, patebunt ẽt cogitationes noſtrę, inuicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apoſt. ait. Cum enim dixiſſet, nolite ante tempus iudicare quicquam, mox addidit,

addidit. Donec veniat dominus & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique a Deo.

QVÆST. CCCCLXXXVI.

AN Sancti in cœlo recordentur malorum & pœnarum pręteritarum, an omnino in obliuionem habeant.

Eo. li. 22 cap. 30. RESPON. Erit in cœlo beatis voluntas libera ab omni malo liberata, & impleta omni bono, oblita culparum, oblita pœnarum nec tamen ideo ſue liberationis oblita, vt liberatori ſuo ſit ingrata Quantum ergo attinet ad ſcientiam rationalem memor præteritorum etiam malorum ſuorum, quantum autem ad experientis ſenſum, prorſus immemor? Nam peritiſſimi medici arte ſciunt omnes morbos, ſed experientia ſenſus minime, quia non omnes ſunt paſſi, vt ergo ſcientiæ malorum duę ſunt vna qua potentiam mentis non latent, altera qua experientis ſenſibus inhęrent. Aliter quippe ſciuntur omnia vitia, per ſapientiæ doctrinam, aliter per inſipientis peſſimam vitam, ita & obliuiones malorum duę ſunt. Aliter ea namque obliuiſcitur eruditus & doctus, aliter expertus & paſſus, ille ſi peritiam negligat, iſte ſi miſeria careat, ſecundum hãc obliuionem, quam poſteriore loco poſui non erunt memores ſancti præteritorum malorum carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleantur de ſenſibus eorum, ea tamen potentia ſcientię, quę magna in eis erit, non ſolum ſua pręterita, ſed etiam damnatorum eos ſempiterna miſeria non latebit. Alioquin ſi ſe fuiſſe miſe-
Pſ. 88. ros neſcituri ſunt quomodo ſicut ait Pſal. Miſericordias domini in ęternum cantabunt? Quo cantico in gloriam gratię Chriſti, cuius ſanguine liberati ſumus, nihil erit profecto illi iocundius ci-
Pſ. 45. uitati, ibi perficietur quod ait, vacate & videte quoniam ergo ſum Deus, quod erit ibi vere maximum ſabbatum non habens veſperam.

INCIPIT TOMVS SEXTVS.

QVÆ ST. CCCCLXXXVII.



VOT numero sunt heretici, qui post Christi Assensionem exorti sunt, & quid dixerunt contra catholicam ecclesiam.

RESPON. Hæretici post Christi Assensionẽ exorti 90. sunt numero. Et sunt hi videlicet Simoniani à Symone Mago dicti, qui baptizatus fuit a Philippo Diacono. Hic voluit emere Spiritum Sanctum pecunia, vt per impositionem manus eius etiam daretur Spiritus S. Hic docebat indifferenter debere vti fœminis ad turpitudinem, negabat Deum fecisse mundum, negabat & resurrectionem, & asserebat se esse Christum. Item Iouem se credi volebat. Dixerat etiam se in monte Syna legem Moysi in patris persona dedisse Iudæis, tempore Tyberij in filij persona putatiuè apparuisse, postea se in linguis igneis, Spiritum Sanctum super Apostolos venisse, Christum autem nec venisse, nec a Iudæis quidquam pertulisse. *Lib. de hæresib. ad quod vult Deũ*

2 Menandriani dicti a Menandro etiam ipso Mago discipulo eius, qui mundum asserebat non adeo, sed ab Angelis factum.

3 Saturniani a quodam Saturnino dicti qui turpitudinem Symonianam superius dictam de fœminis in Syria cõfirmasse perhibetur, qui etiam mundum solos Angelos septem, præter conscientiam Dei patris fecisse dicebat.

4 Basilidiani a Basilidæ dicti sunt, qui in hoc distabat a Symonianis, quòd 365. cœlos esse dicebat. Mundum istum vel hominem non credunt a Deo factum, sed a 365. cœlo. Amatoria carmina studiose discunt, à Iudæis non credunt Christum crucifixũ, sed Symonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit crucem eius.

5 Nicolaitæ a Nicolao, qui tempore Apostolorum inter septẽ diaconos vnus ordinatus est dicti, & ipsi ponunt indifferentem vsum fœminarum, & nec se separant a cibis idolis immolatis nec a superstitionibus gentilium.

6 Gnoſthici propter ſcientiæ excellentiam ſic appellati, vel ſaltem appellari debuiſſe gloriantur, iſti dicunt animarũ ſubſtantiã, Dei eſſe naturam, earumque aduentum in hæc corpora, cum alijs aeris animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur, nam illas animas, quę ex Dei procedunt ſubſtantia reuerti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonum Deum, & malum Deum in ſuis habere dogmatibus.

7 Carpocratiani a Carpocrate dicti. Iſti dicunt debere nos operari omnem turpitudinem, quæ demonibus placet, & ſic non impedient nobis tranſitum ad cœlũ, dicunt etiam Ieſum Chriſtum eſſe purum hominem natum ex vtroque ſexu, ſed accepiſſe talem animam, quæ ſciret ea, quæ ſuperna eſſent atque nuntiaret, negabant reſurrectionem, abijciebant legem, negabant, & mundum à Deo factum.

8 Cerinthiani a Cerintho dicti, idemq; Merinthiani a Merintho, iſti dicunt mundum ab Angelis factum, & circumcidi oportere, & ſeruari alia legis pręcepta, & Chriſtum eſſe purum hominẽ, & quòd non reſurrexit, ſed ꝙ reſurget, & poſt reſurrectionẽ, regnabunt ſui, in terreno regno Chriſti per mille annos in carnalibus voluptatibus ventris & luxuriæ.

9 Nazarei Chriſtũ Dei filium confitentur, volunt tamen omnia veteris legis carnaliter obſeruari, & non ſpiritualiter, vt vult, Apoſtolus.

10 Hebionei, dicunt Chriſtum purum hominem eſſe & quòd onera legis carnaliter ſint obſeruanda.

11 Valentiniani a quodã Valẽtino dicti qui multa de natura rerũ cõfinxit, hic dixit Chriſtum a patre miſſum, & ſecum attuliſſe corpus ſpiritale, vel cœleſte, nihilque aſſumpſiſſe de virgine Maria, ſed per illam tamquam per rimam, aut per fiſtulam ſine vlla de illa aſſumpta carne tranſiſſe, negat reſurrectionem, malitiam nõ tribuit arbitrio, ſed naturæ mundi, ideſt generi diabolico, dicit. n. diabolũ genitum de 30. ſeculo, confinxit 30. ſecula. Dixit etiam animam tantum, & ſpiritum per Chriſtum ſaluari debere.

12 Secundiani dicunt idem quòd Valentinani, ſed diſtant ab illis in hoc quòd addunt opera turpitudinis.

13 Ptolomei a Ptolomeo dicti, qui tantum 8. Eonas ideſt ſecula maluit dicere diſtans a Valentinis, qui tringinta poſuerunt.

14 Marcite a quodam Marco dicti, qui ipſe negat reſurrectio-

nem

nem,& Christum dicit non vere passum, sed tantum putatiue.

15 Colarbasij a Colarbasio dicti iste sequutus est, Valentinianos & dixit etiam omnium hominum generationem in septem Sydcribus consistere.

16 Hæracleonitę ab Hæraclione discipulo superiorum dicti, isti dicunt duo esse principia, vnũ ex altero,& ex his duobus, alia plurima. Feruntur autem suos morientes nouo modo quasi redimere.i.p oleum, balsamum,& aquam,& inuocationes, quas hębraicis verbis dicunt super capita eorum.

17 Ophitæ a colubro dicti sunt coluber enim grece ophis dicitur, isti nutriunt quendam colubrum in spelũca; qui egreditur de spelunca & lambit oblationes positas super altare innixum spelũcę,& hoc incantate sacerdote, & demum reuertitur in speluncam, & isti confringũt oblationes in Eucharistiam, quasi a serpēte Christo, vt illi putant sanctificatas, venerantur etiam hunc colubrum.

18 Caiani sic dicti, quia Caim honorant, iudam traditorem putant aliquid diuinum esse, Datam & Abiron & Chore,& Sodomitas colunt, blasphemant legem,& Deum legis auctorem,& resurrectionem negant.

19 Sethiani a Seth filio Adę dicti, isti honorant Seth, sed fabulosa,& hęretica vanitate.

20 Archotici a principibus sic appellati, isti resurrectionem negant & vniuersitatem quam Deus condidit, opera principum esse dicunt.

21 Cerdoniani a Cerdone nominati, isti ponunt duo principia sibi aduersantia,& Deum legis,& prophetarum nolunt esse patrem Christi, nec bonum Deum nec iustum, patrem vero Christi bonũ, Christum vero nolunt nec natum ex fœmina nec carnem habuisse nec vere mortuum, nec aliquid passum, sed simulasse pati negant resurrectionem,& vetus testamentum spernunt.

22 Marcionistę a Marcione dicti, iste Marcion sequutus est Cerdonē de duobus principijs, videlicet de vero bono & altero malo.

23 Appellitę sunt quorum Appelles est, princeps, iste ponit duos Deos, vnum bonum & alterum malum, sed non diuersos inter se, quia malum dicit esse a bono tamquam vnum sit tantum principium, sensit etiam male de Christo dicens sumpsisse carnem de elementis mundi, quę mundo reddidit, cum sine carne resurgens in cœlum ascendit.

Seueriani

24 Seueriani a Seuero exorti, vinum non bibunt, quia putāt vitem de Sathana terram germinasse resurrectionem, & testamētum vetus respuunt, istę Seuerus vtebatur incantationibus cuiusdam puellæ, quibus illudebat homines.

25 Taciani a Tacio quodam dicti, etiam Enacrite appellati sunt isti damnāt nuptias, & pares fornicationi faciunt, non manducant carnes, contradicunt saluti primi hominis.

26 Cataphriges sunt ex Phrigia prouincia dicti, quia ibi vixerūt, horum auctores fuerunt Montanus & duæ prophetissę ipsius Prisca & Maximilla, isti dicunt aduentum Spiritus. S. promissum a domino, in se potiusquam in Apostolis eis fuisse redditum, secundas nuptias pro fornicationibus habent, suum sacrificium conficiūt ex pane facto ex farina mixta cum sanguine quem extorquent de toto corpore infantis minutis punctionum vulneribus, qui puer si moritur in illis punctionibus, ab eis habetur pro martyre, si vixerit, habetur pro magno sacerdote.

27 Pepuciani a ciuitate Pepuza dicti, isti conficiunt de sanguine infantis vt Cataphrige, & principatum dant mulieribus, ita vt sacerdotio apud eos honorentur.

28 Arthotyritę sunt quibus oblatio eorum hoc nomem dedit, offerunt enim panem & caseum, dicentes a primis hominibus oblationes, de fructibus terræ, & ouium fuisse celebratas.

29 Tessareschę decatitę, sic dicti eo quòd non nisi 14. luna, mense Martio Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies, & si dies Dominicus occurrerit ipso die ieiunant & vigilant.

30 Alogiani sic dicti quia domini verbum nolūt recipere, logos gręce dicitur verbum quasi sine verbo dicuntur, respuunt euangelium Ioan. & Apocalipsim, & negant ipsius esse.

31 Adamiani ab Adam dicti, isti imitantur nuditatem Adæ in Paradiso quæ fuit ante peccatum, conueniunt mares & fœminę nudi, audiunt lectiones nudi, orant nudi, celebrant sacramenta nudi, ecclesiam putant esse Paradisum, nolunt nuptias, quia Adam in Paradiso non cognouit Euam.

32 Elcesei & Sansei a quodam qui vocabatur Elci, Pseudo Propheta, sunt dicti & decepti, isti adorabant duas mulieres tamquam deas, in cœteris postmodum hębreis sunt similes.

33 Theodotiani a Theodotione quodā instituti, purum hoīem, dicunt esse Christum, iste Theodotion, hoc dixit, quia in persecutione

tione est lapsus, & volens hoc opprobrium deuitare, dixit se non negasse Deum, negando Christum, sed tantum purum hominem.

34 Melchisedeciani, Melchisedech Sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

35 Bardesanistæ a quodã Bardesane dicti, qui lapsus per omnia sequutus heresim Valentini, sed de suo addidit, vt fato ascriberet conuersationes hominum.

36 Noetiani a quodam Noeto, qui dicebat Christum, eundem ipsum esse patrem & Spiritum Sanctum.

37 Valesij seipsos castrant, hoc modo existimantes se Deo seruire.

38 Cathari qui se superbissime nominant propter munditiam, secũdas nuptias damnant, & pœnitentiam denegant in hoc imitantes Nouatum, vnde etiam Nouatiani appellantur.

39 Angelici sic dicti, quia in Angelorum cultu sunt inclinati.

40 Apostolici sic dicti, quia hoc arrogantissime nomen sibi vsurpant, isti non vtuntur coniugibus, nec res proprias habent, & sunt hæretici, quia tenent omnes vtentes coniugibus & propria possidẽtes esse extra spem salutis.

41 Sabelliani a Sabellio discipulo Noeti dicti, dogmatizant illamet quę & Noetiani, sed differunt in hoc, ꝙ dicunt Sabelliani patrem esse passũ, ideo potius vocari deberent patrispassiani.

42 Origeniani a quodam Origene dicti, non ab illo docto omnibus noto, sed a quodam alio, & isti sunt nephãda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.

43 Origeniani alij ab illo Origene Adamãtio dicti, isti negant resurrectionem, dicunt Christũ & Spiritũ S. esse creaturam, Paradisum autem & cœlos, & alia non credunt esse secundũ literam, sed in allegoria, defensores tñ istius Origenis, dicunt ipsum docuisse patrẽ & filiũ, & S.S. vnius eiusdemq; substantiæ, & etiã non negasse resurrectionẽ mortuorũ, sed nõ poterũt isti defensores excusare eũ in hoc dogmate, videlicet ꝙ oẽs ẽt pessimi diaboli & hoĩes ꝗ ex hac vita decesserunt, liberabuntur tandẽ facta purgatione, & reducentur ad Dei regnum, & purgatos & liberatos, denuo ad hæc mala reuerti & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ, semper fuisse & semper fore, in hoc non potest excusari, quia catholica ecclesia ipsum redarguit in hoc dogmate, nec falso arguit.

44 Pauliniani a Paulo Samosateno dicti, isti dicũt Christum non

ſemper fuiſſe, ſed initium ſumpſiſſe in Maria & ipſum eſſe purum hominem.

45 Hanc hæreſim cõfirmauit Photinus, & ideo crebrius nuncupã tur Photiniani, q̃ Pauliniani, iſti nõ tenebant regulã veram baptiſmatis, & licet Photinus non ſenſerit niſi dogmata Pauli, quia tamẽ fortius confirmauit, ſortitur nomen nouæ hæreſis.

46 Manichæi a quodã Perſa extiterunt, qui vocabatur Manin a doctrina ſua inſana, ſed diſcipuli eius in græcia vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores, & eo ipſo mẽdaciores, geminata enim littera, Manichęum quaſi Manna fundentem, pro Mannichqueo, ideſt inſano appellauerunt iſte duo principia interſe diuerſa, atque aduerſa eademque ęterna, & coęterna, hoc eſt ſemper fuiſſe compoſuit, & multas alias ſuperſtitiones, & circa cibos, & circa nuptias, & circa naturam Chriſti finxit, quod eſſet longum eas narrare.

47 Ideo ad Hyerarchitas veniamus, qui à quodam Hyerarcha dicti ſunt, iſti negans reſurrectionem, monachos & monachas, & cõiugia non habentes in communione recipiunt. Ad regnum cœlorum non pertinere paruulos dicunt, quia non ſunt eis vlla certaminis merita quo vitia ſuperentur.

48 Melitiani a Melitio nuncupati, nolentes orare cum conuerſis, ideſt eis qui in perſecutione ceciderunt vel ſchiſma fecerunt, nunc autem dicuntur Arrianis eſſe coniuncti.

49 Arriani ab Arrio dicti, iſti dicunt patrem & Filium & S. S. nõ eſſe vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ, ſed dicunt filium creaturam S. S. creaturã creaturæ, hoc eſt ab ipſo filio creatum. Dicunt Chriſtum habuiſſe ſolam carnem & non animam. Rebaptizabant catholicos ad ſe venientes.

50 Vadiani, qui potius ſchiſmatici, quàm hęretici dicuntur, iſti tamquam ruſtici & idiotæ fingunt Deum cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.

51 Semiarriani, qui ſimilis eſſentiæ dicũt Patrem, & Filiũ, & S.S.

52 Macedoniani a Macedonio dicti, iſti bene ſentiunt de patre & filio dicentes eſſe vnius eiuſdemq; eſſentię, ſed de Spiritu S. hoc nolunt credere creaturam eum eſſe dicentes.

53 Arriani, ab Arrio quodam dicti, qui cum non potuiſſet fieri epiſcopus, vt cupiebat doluit & in hæreſim Arrianã lapſus eſt, ſed illi hereſi addidit, oblationes & orationes nõ debere fieri pro mortuis, nec epiſcopum differre a preſbytero & econuerſo, nec ſtatuta

ieiunia

ieiunia esse celebranda, sed cum quisque voluerit ieiunandum ne videatur esse sub lege.

54 Aetiani a quodã Aetio vocati, demũ idẽ Eunomiani ab Eunomio Aetij discipulo sunt dicti, isti dicunt patrem oĩno dissimilẽ filio & filiũ patri & filio Spir. S. Dicũt ẽt mala quæcunq; ppetrata nõ posse obesse, cuiq̃ dũmodo particeps esset fidei, q̃ ab illo docebat.

55 Appollinaristæ, ab Apollinari dicti, isti dicunt cum Arrianis Christum non habuisse animam, sed verbum pro anima, & quòd caro Christi & verbum sint vnius eiusdemq; substantiæ, sed quòd verbum sit transmutatum in carne.

56 Antidicomarianitæ sic appellati, isti dicunt Mariam Virginẽ post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

57 Psalliani siue Euchitæ, isti orant quasi continue, quia. n. Christus dixit oportet semper orare, & nunq̃ deficere, qđ santissime sic accipitur, vt nullo die in termittantur certa tpa orãdi, isti ita nimis hoc faciunt, vt hic iudicentur inter hæreticos nominãdi, & quia vt aliqui volunt, ponebant purgationem animarum hominum fieri hoc modo, videbatur enim porcam exire de hominis purgati ore, cum suis porcellis, & ignem intrare visibili spẽ non comburrentem, fabulosa tamen sunt hæc.

58 Metangismonitæ sunt qui Metangismon asserunt, dicentes sic esse in p̃re filium quo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes, ita vt filius intret in patrem, tanq̃ vas minus, in vas maius.

59 Seleuciani vel Hermiani ab auctorib. Seleuco & Hermia, isti dicunt materiã elemẽtorũ de qua factus est mundus, non a Deo factã, sed ipsi coęternã, & ꝙ aĩa nostra nõ a Deo, sed ab Angelis creatur de igne & spiritu, & ꝙ malũ aliqñ a Deo est, aliqñ a materia. Negant Saluatorẽ nunc in carne sedere ad dexterã p̃ris, sed ea se exuisse perhibent, & in sole posuisse f̃m dictũ Ps. in sole posuit &c. Negant visibilẽ Paradisum, baptismum in aqua non accipiũt, resurrectionẽ futurã non putant, sed quotidie fieri in generatione filiorũ. *Ps.* 118.

60 Proclianitę sequuti sunt istos, & addiderunt Christum in carne non venisse.

61 Patriciani a Patricio dicti isti dicunt substantiam carnis humanæ non a Deo, sed a diabolo conditam, & ideo eam detestantur.

62 Ascitæ ab vtre dicti, aschos gręcę, latine dicitur vter, isti portãt secum vtrem plenum, continue bachantes, tanquam ipsi sint vtres noui Euangelici vino nouo repleti.

63 Pattalorinchitæ, student nimio silentio, vt labijs, & narib. suis digitum opponant.

64 Aquarij sic dicti, quia aquã offerunt in poculo Sacramenti, & non illud quod omnis ecclesia.

65 Coluthiani a quodam Colucho dicti, isti dicunt Deum non facere mala, contra illud Esa. ego Deus creans mala. *Esa. 45.*

66 Floriniani a Florino, qui dicebat e contrario Deum creasse mala, contra id qđ scriptũ est. Fecit Deus oĩa, & ecce bona valde, ambo enim resistebãt diuinis eloquijs. Creat.n. Deus mala pœnas iustissimas irrogãdo, qđ Coluthus nõ videbat, nõ aũt malas creãdo naturas, atque substantias, inquantum sunt naturæ, atq; substantiæ, vbi Florinus errabat.

67 Aliam hæresim sine authore & nomine cõmemorat Philaster Episcopus Brix. quæ dicebat post resurrectionem vltimam omniũ hominum, mundum debere esse in eodem statu in quo & nũc est, idest non debere esse neq; cœlum nouum, neq; terra noua.

68 Est alia hæresis nudis pedib. ambulantium semper, quia dixit dominus Moysi: Solue calciamentum de pedib. tuis, & iudicatur hæresis, quia non propter afflictionem corporis, sed quia sic perpere illa testimonia intelligunt. *Exo. 3.*

69 Donatiani siue Donatistæ, isti dicebant ecclesiam tantum esse in parte Donati, fecerant enim schisma propter Cecilianum quendam ordinatum Episcopum Carthaginensem contra eorum volũtatẽ, isti ẽt rebaptizabant catholicos, cũ ecclesia catholica ipsa rebaptizet hæreticos habens cõe cum ipsis baptisma: huius hæresis principem accipimus fuisse Donatum qui de Numidia veniens, & contra Cecilianum christianam diuisit plebem.

70 Priscillianistæ a Priscilliano in Hyspania sunt instituti Gnosticorum & Manicheorum dogmata permixta sectantur, dicunt homines esse sub fato & multa alia probra admittunt.

71 Sunt alij hæretici cum hominibus non manducantes, quos cõmemorat. s. Philaster Episcopus Brix. dicunt isti Spiritum S. creaturam esse, sed bene sapiunt de patre & filio.

72 Rethoriani a quodã Rethorio, isti dicunt oẽs hæreticos recte ambulare, & vera dicere, & ꝙ hoc dicant vr̃ tamen incredibile.

73 Alij hæretici dixerunt diuinitatem Christi passam esse & in cruce doluisse.

74 Alij dicunt triformẽ Deum, idest pater & fil. & Spiritus S. sint

partes

partes vnius Dei quinta pars sit pater, alia fil. alia S.S.

75 Alij dicunt aquam non esse creatam, sed Deo coęternam.

76 Alij dicunt corpus hominis & non animam esse imaginē Dei.

77 Alij posuerunt innumerabiles mundos, sicut fecerūt quidam Philosophi.

78 Alij animas sceleratorum dicunt in demones conuerti & in quæque animalia suis meritis congrua.

79 Alij dicunt omnes incredulos descendente Christo ad inferos credidisse, & inde existimant liberatos.

80 Alij dicunt filium Dei semper fuisse & coęternum patri, sed non semper fuisse filiū.i.semper habuisse esse, sed non esse natum filium nisi in tempore. istę hæreses sine authorib. mihi nō vidētur appellande hæreses, sed de opere Philastri sic accepi.

81 Luciferiani a Lucifero dicti, isti potius schismatici, quàm hæretici aliqui volunt nominari, fuerunt tamen quidā dicentes, istos Luciferianos dicere animam ex transfusione generari, & esse de substantia carnis, & quia hanc opinionem pertinaciter firmarunt, ideo hæretici sunt dicti.

82 Iouinianistæ a Iouiniano quodam monacho dicti, isti dicebāt paria esse peccata: nec hominem posse peccare post baptismum acceptum, nec prodesse ieiunia, Virginitatem Mariæ destruebant, æquabant matrimonium castum Virginitati.

83 Arabici ex Arabia dicti, dicebant animam cum corpore mori, sed in fine seculi vtrunque debere resurgere.

84 Heluidiani ab Heluidio dicti cōtradicunt, virginitati Marię, dicunt ex Ioseph post Christum habuisse filios.

85 Paterniani dicunt inferiores corporis humani partes, esse a diabolo factas, & ideo impurissime viuunt, qui eis tribuunt flagitiorum licentiam.

86 Tertullianistæ a Tertulliano dicti, qui transiens ad Cataphriges quos ante dexruxerat, cœpit secundas nuptias damnare, & facere conuenticula. Dicit animas hominum pessimas post mortem in demones verti, statum etiā animę credit per traducē propagari.

87 Abelonij ab Abel filio Adę dicti, cito ad veritatem se conuerterunt, isti non miscebantur vxoribus, & tamen sine vxoribus eis fm suam sectā non licebat viuere, isti sibi adoptabāt pueros & puellas de filiis vicinorū generātium, qui succederent eis post mortem.

88 Pellagiani a Pellagio monacho exorti, isti sunt inimici

gratię Christi qua sumus prædestinati, & adoptati in filios, qua credimus in eum, & qua amamus eum, dicunt sine hac hominē posse facere oīa mandata diuina cum dicat Dn̄s contra eos, sine me nihil potestis facere, non respuebat eam omnino, sed dicebat eā adiuuare, vt homo facilius posset operari. Isti etiam negant dari charitatē qua recte viuitur. Destruunt orationes ab ecclesia factas, dicunt dari nobis gratiam secūdum merita & quòd vita iustorum in hoc seculo sit sine peccato, & quòd paruuli non nascūtur cum peccato originali, & ideo non baptizantur, vt absoluantur ab aliquo peccato, sed ut adoptentur ad regnum Dei.

89 Nestoriani a Nestorio Episcopo Constantinopolitano dicti. Iste Nestorius dixit Christum in vtero Virginis conceptum purū hoīem, sed postea Deum homini fuisse permixtum, nec Deum hominem fuisse passū & sepultū, volebat.n euacuare omne nostrum remediū, quo verbum Dei sic hoīem suscipere dignatū est in vtero Virginis, vt vna psona fieret Dei & hominis, quæ vna persona solueret pro nobis, quod non rapuerat moriendo. Ideo Deus & homo resurrexit a mortuis, & ascendit in cœlum.

90 Euthiciani ab Euthicę ecclesiæ Constantinopolitanæ presbytero monacho dicti. Iste in Christo negabat veritatem humanitatis, quidquid a verbo nostrę proprietatis receptum est. diuinæ tantummodo ascribit essentiæ, vt sacramentum salutis humanæ, qđ non nisi in vtraque substantia est nostram in Christo naturam negando dissolueret, stulta impietate nō inspiciens vnuerso corpori aufferri, quod capiti defuisset. Iste sunt hæreses quas inueni, sunt forsan & alij qui non omnibus, nec mihi sunt noti.

QVÆST. CCCCLXXXVIII.

AN Sancti sint implorandi, vt contra diabolum nobis auxilientur.

Lib. contra Iud. & Paganos. c. 3. RESPON. Absit itaque aliquis pius homo, & aliquam misericordiam pupillo generi humano exhibeat. Ferocem enim aduersarium patitur, & hic pupillus in causa sua defecit, quoniam eū suus aduersarius prauis actibus obligauit. Adhibeamus huic pupillo idoneos defensores, & Apostolorum tanquam iurisperitorum cœlestium ei patrocinium subrogemus. Quid est agendum apud tales pro tali? Apud vos itaque Petre, Paule, Ioannes, cœterique

Sancti

Sancti consiliarij veri iudicis, amici summæ potestatis causam exponimus, quàm optime nostis huius pauperis & pupilli generis humani, qui debitor & reus est factus, & ab aduersario obstrictus tenetur, non est aliud quemadmodum huic subueniatur, nisi ex vestro consilio, & vos enim astrinxerat hæc obligatio, nisi vobis gratia Christi subueniret, liberati liberate: consilium quod a iudice accepistis permittite, vt hoc sequatur, qui captiuus detinetur, atque ex mala seruitute, per vestram defensionem ad veram libertatem perueniat.

QVÆST. CCCCLXXXIX.

QVare sacramenta veteris legis a nobis non obseruentur, cum teneamus & legem Moysi, & Prophetas, idest eorum auctoritatem.

RESPON. Non obseruamus, quia mutata sunt: Mutata sunt autem, quæ mutanda prænunciata sunt, & in eum credimus cuius reuelatione mutata sunt: Non ergo obseruamus sacramenta, quæ ibi præcepta sunt: quia intelligimus, quæ ibi prædicta sunt, & tenemus quę ibi promissa sunt, de hac mutatione nonne Hyeremias Propheta dixit, Ecce dies venient dicit dominus & confirmabo super domum Iacob testamentum nouum, non secundum testamentũ, quod constitui patribus eorum, in die qua apprehendi, manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, cũ ergo in illo veteri testamento pręcepta sint ista quæ nos ad nouum pertinentes obseruare non cogimur, cur non Iudęi se potius in vetustate superuacua remansisse non cognoscunt, quàm nobis noua promissa tenentibus, quòd vetera non obseruemus obijciunt? *Ex oratione aduersus iudæos. ca. 5.6.* *Hier. 31*

QVÆST. CCCCXC.

QVid est pœnitere Deum?

RESPON. Neque enim sicut hominem, pœnitet Deum: sed Dei dicitur pœnitentia, quamuis ab illo institutę rei cuiusque mutatio, quę credebatur esse mansura. *Eod. lib. cap. 9.*

QVÆST. CCCCXCI.

HAERETICVS quid sit, hic est inquirendum.

Lib. ad honoratū de vtilit. credēdi. cap. 1. RESPON. Hereticus differt ab homine, qui hęreticis credit: & ideo vt mea refert opinio. Ille dicendus est hęreticus, qui alicuius temporalis commodi & maxime glorię principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones, vel gignit vel sequitur: ille autem qui eiusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus.

QVÆST. CCCCXCII.

SCriptura vetus quot sensus habet? & quot modis accipi potest?

Eod. lib. cap. 3. RESPON. Omnis igitur scriptura, quę testamentum vetus vocatur diligenter eam nosse cupientibus, quadrifariam traditur, secundum historiam, secundum ethimologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam, secundum historiam ergo traditur, cum docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit, quid nō gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit, secundum ethimologiam, cum ostendit quid, qua de causa, vel factum, vel dictum sit: secundum allegoriam, cum docetur, non ad literam esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda. His omnibus modis dominus noster Iesus Christus & Apostoli vsi sunt. Nam de historia illud sumptum est, cum obiectum esset, ꝙ Sabbati discipuli eius spicas euulsisent. Non legistis inquit, quod fecit Dauid cū esuriret, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis manducauit, quos non licebat ei manducare: neque eis, qui cum eo erant: nisi solis sacerdotibus? ad ethimologiam vero illud pertinet, quòd cum Christus prohibuisset vxorem abijci nisi fornicationis causa: relatumque esset ab interrogantib. Moysem libello dato repudij permisisse licentiā. Hoc inquit Moyses fecit propter duritiā cordis vestri, & sic reddita est causa, cur a Moyse pro tempore bene permissum est, qđ tunc Christus præcipiebat: iam porro analogia est qua vtriusque testamenti congruentia perspicitur: allegoria vero vsus est Christus ex veteri testamento, sic dicens generatio mala & adultera signum quærit, & non dabitur ei nisi signum Ione Prophete: sicut fuit Ionas in ventre cœti trib. diebus, & tribus noctib. sic & filius hominis erit in corde terrę. Item Paulus dicit: Nolo vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & oēs mare transierunt, &c. hic sumit historiam Exodi in sensu allegorico pro plebe christiana futura,

(Marginal references: *Mat. 12.* *1. Re. 21* *Mat. 19.* *Mat. 12.* *1. Co. 10*)

iam dictatam, dicit etiam ad Gala. ad hunc propositum: scriptum est, quòd Abraam duos filios habuit, &c. *Gal.* 4.

QVÆST. CCCCXCIII.

QVot genera errorum sunt, siue accidere possunt, cum homines aliquid legunt.

RESPON. Tria genera sunt erroris, quibus homines errãt cũ aliquid legunt, primum genus est, in quo id quod falsum est, verũ putatur, cum aliud qui scripsit putauerit. Alterum est quamuis nõ tam late patẽs, non tamen minus noxium, cum id quod falsum est, verum putatur, id tamen putatur, quod etiam ille qui scripsit putauit. Tertium est, cum & altero scripto intelligitur aliquid veri, etiam si ille, qui scripsit tale verum non intellexerit, & in hoc genere erroris, non parum est vtilitatis, immo si diligentius consideres totus legendi fructus est integer: primi generis exemplum est, si quis legat Virgilium dicentem Radamantum apud inferos audire ac diiudicare causas mortuorum, & quòd credat, hoc Virgilium, credidisse & non poetice, idest fabulose dixisse, credat & ipse qui legit, sic esse, errat iste duobus modis, & quia credit rem non credẽdam, & quia credit Virgilium sic credere: exemplum secundi generis est, cum quis tam innititur auctoritati alicuius, etiam si dicat falsum ille cui innititur, persuadeat sibi credẽdum quòd sit verum quia hoc dixit talis auctor, verbi gratia, quia Lucretius dixit animã ex atomis esse, & post mortem resolui in eosdem atomos, & interire, credat verum esse quia hoc dixit, Lucretius iste, quippe miserrime errat, exemplũ tertij est cum quis quod legit, accipit in bonam partem licet qui scripsit non sic intelligat, vt verbi gratia Epicurus cum ponat summum bonum in corporis voluntate, tamen quis legit in suis libris, quòd continentiam laudat, & statim propter hoc credit ipsum Epicurum ponere summum bonum in virtute, & non in corporis voluptate, & ideo non esse culpandum. Error in isto homine nihli facit, nec ei obest, cum credat quod verũ est, licet Epicurus hoc non senserit, Epicuri error ponentis, videlicet summum bonum in voluptate corporis quid ei obest? cum iste tali errori non consentiat, immo putet Epicurum abesse a tali errore. Hic error non modo humanus est, sed sępe etiã homine dignissimus.

Eod. lib. cap. 4.

Eneid. 6.

ſimus. Quid enim ſi mihi de aliquo quem diligerẽ nuntiaretur, quod ſibi cum eſſet barbatus pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit: vt etiam iurauerit ſe ſimiliter velle viuere, idque ita mihi probaretur, vt impudenter negarem, non reprehendendus viderer, ſi eum exiſtimarem cum hoc diceret ſignificare, voluiſſe. ſibi placere innocentiam, & ab eis quibus hominum genus inuolueretur cupiditatibus animum alienum, & ex eo magiſque diligerem, quam ante diligebam etiam ſi in illa puerili ætate in ludendo otium adamaſſet? Fac enim eum eſſe defunctum, poſtquam hoc mihi nuntiatum eſt, ex quo non potuiſſem interrogans, ſcire eius mentem, eſſet ne quiſquam tam improbus qui mihi ſuccenſeret. cum hominis laudarem propoſitum, & voluntatem per illa ipſa verba quæ acceperam? Quid quod etiam iuſtus rerum exiſtimator non dubitaret fortaſſe laudare opinionem ac voluntatem meam, cum & innocentia mihi placeret, & homo de homine in re dubia bene potius exiſtimarem, cum etiam malediceret. Quę cum ita ſint, audi etiam earundem ſcripturarum totidem conditiones, & differentias. Nam neceſſe eſt, totidem occurrant. Aut enim vtiliter ſcripſit quiſpiam, & non vtiliter ab aliquo intelligitur. Aut vtrumque inutiliter fit, aut vtiliter intelligit lector, cum ille contra qui legit ſcripſerit. Horum trium primum non improbo, vltimum non curo. Nam neque poſſum reprehendere hominem, qui nulla ſua culpa male intellectus eſt, nec moleſte habere quemquam legi, qui verum non viderit; cum obeſſe legentibus nihil videam: Vnum igitur genus eſt probatiſſimum, & quaſi purgatiſſimum, cum & bona ſcripta ſunt, & in bonam partẽ accipiuntur a legentibus, id quoque tamen adhuc in duo diuiditur, non enim penitus excludit errorem. Nam euenit plerumque vt cum bene ſenſerit ſcriptor, bene etiam Lector ſentiat. Sed aliud quam ille, & ſæpe melius, ſępe inferius vtiliter tamen, cum autẽ & hoc ſentimus, quod ille quæ legimus, & ideſt vitæ bene agendæ accomodatiſſimum, cumulatiſſime ſe ſe habet veritas, nec aliũde aperitur falſitatis locus. Quod genus cum de rebus obſcuriſſimis lectio eſt, rariſſimum omnino eſt, neque id mea ſententia liquido ſciri. Sed tantummodo credi poteſt.

Scripturæ veritas. c. 5.

QVAEST.

QVÆST. CCCCXCIIII.

AN sacra scriptura prius amanda sit quam adiscenda.
RESPON. Agendum enim tecum prius est ò Honorate; vt authores, ipsos non oderis, deinde vt ames, & hoc agendum quo uis alio modo potius, quã exponendis eorum sẽtẽtijs, & litteris. *Eod. lib. cap. 6.*

QVÆST. CCCCXCV.

QVę est via ad disciplinam pietatis inueniendam?
RESPON. Tu scis onorate quanta suspiria dederim, cupiens quo nam modo verum inueniendum esset. Sæpe mihi videbatur non posse inueniri, magnique fluctus cogitationum mearũ in academicorum suffragium ferebantur. Sępe rursus intuens quã tum poteram, mentem humanam tam viuacem tam sagacem, tam perspicacem non putabam latere veritatem; nisi quod in ea quærendi modus lateret eundemque ipsum modum ab aliqua diuina auctoritate esse sumendum. Restabat quęrere quę nam illa esset authoritas, cum in tantis dissensionibus, se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis Silua, cui demum inseri multum pigebat, atque inter hęc sine vlla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur, dissuebam me tamẽ magis magisque ab istis quos iam deserere proposuerã. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam vt diuinam prouidẽtiam lachrimosis, & miserabilibus vocibus vt opem mihi ferret deprecarer. Atque id sedulo faciebam, & iam ferè me commouerant, nonnullę disputationes Mediolanensis Episcopi. Vt non sine spe aliqua ipso veteri testamento multa quęrere cuperem, quę vt scis male nobis commendata execrabamur. Decreueramque tandem esse chatecumenus in ecclesia cui traditus a parentibus eram. Donec aut inuenirem, quod vellem, aut mihi persuaderẽ non esse quęrendum. Hoc ergo modo & simili animę tuæ cura sit. Diu quoque te affectum vides & si iam satis tibi iactatus videris, finemque huiusmodi laboribus vis imponere, sequere viam catholicæ disciplinæ quę ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsque manauit, & abhinc ad posteros manatura est. Nam vera religio, nisi credantur ea quæ quisquis postea si se bene gesserit, dignusque fuerit, assequatur, *Eod. lib. c. 8. & 9*

ſequatur, atque percipiat, omnino ſine quodam graui authoritatis imperio, iniri recte nullo pacto poteſt, ſed quæris fortaſſe, vel de hoc ipſo aliquam accipere rationem qua tibi perſuadeatur, non prius ratione, quam fide te eſſe docendum. Quod facile poteſt. Si modo æquum te præbeas.

QVÆST. CCCCXCVI.

QVid ſit ſuſpitioſus ideſt, quis dicatur, curioſus etiam, & ſtudioſus.

Eod. lib. cap. 9. RESPON. Suſpitioſus eſt, qui non comperta ſuſpicatur, & in incognitis, aliquam tribuit dubitationem, curioſus vero eſt, habens illius rei curam, quam libenter audiret, & nihil ad ſe attinet. Studioſus autem eſt, qui requirit ea quæ ad ſe attinent, non qualiacumque, ſed quæ ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impenſiſſime requirit, eum ſtudentem recte appellamus, præſertim attendentes, quid ſtudeat audire.

QVÆST. CCCCXCVII.

AN in relligione, turpe ſit prius credere quam ſcire?

Eod. lib. cap. 10. RESPON. Grauior culpa eſt religionem tradere indigno, ideſt, pandere ſancta ſecreta ei, qui ficto pectore accedit, quam religioſis viris, de ipſa religione aliquid aſſirmantibus credere. Fac vt quis tibi velit religionem tradere, quonam modo illi fidem facturus es vero & non ficto animo te accedere? Dices bona tua conſcientia nihil te fingere. At ille ſi dixerit. Ecce credo tibi Sed nõne eſt ęquius, vt etiam tu credas mihi cum tu beneficium ſi aliquid veri teneo ſis accepturus, Daturus ego? quid reſpondebimus, niſi eſſe credendum? Dices, nonne melius erat rationem mihi reddere vt ea quocumque me duceret, ſine vlla ſequerer temeritate? Erat fortaſſe, ſed pauci ſunt vt etiam tu exiſtimas, qui ſint idonei ad Deum ratione cognoſcendum. Horum paucorum ne in numero eſſe te credis? Non eſt meum inquis, hoc reſpondere, & hoc vis vt credatur, & creditur. Tu tantum memento, iam enim bis crediſſe tibi incerta dicenti, te illi religioſe admonenti, ne ſemel quidem velle credere. Admittatur te vero animo ad religionem accipiendã accedere, & te eſſe illorum paucorum, qui diuina rationibus

bus capere possunt quid de his qui idonei non sunt ad diuina rationibus capienda. Est ne eis neganda religio? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vide plane quid sit religiosius. Dic mihi quid oberit si credendo veniant ad id, quod ratione idonei possunt capere? Non arbitror cuiusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus assit humi repunt. Tunc autem adest si societatis humanę in Deum tendentibus cura sit, In religione quid iniquius fieri potest, quam vt Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus? credere postremoq; potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendæ veritatis, adhibēdo ijs fidem, quæ ad præcolendum & ad præcurandum animum sunt diuinitus constituta? Tene hoc nihil sine cognitione credédū.

QVÆST. CCCCXCVIII.

IN religione, idest in fide catholica collēdo & diligendo Deum; quot sunt personę laudabiles, & improbandæ?

RESPON. Due enim personæ in religione sunt laudabiles, vna eorum, qui iam inuenerunt, quos etiam beatos dici debent. Alia eorum, qui studiosissime, & rectissime inquirunt verum, primi ergo sunt etiam in ipsa possessione, alteri in via, qua tamen certissime peruenitur, tria sunt alia hominum genera, profecto improbanda ac detestanda, vnum est, opinantium, idest eorum, qui se arbitrantur scire quod nesciunt, alterum eorum, qui sentiunt, quidem se nescire, sed non ita quærunt, vt inuenire possint, tertium eorum, qui neque se scire exstimant, nec quærere volunt. *Eod. lib. cap. 11. 1. Retra. cap. 14.*

QVÆST. CCCCXCIX.

QVis est qui peccat & non peccat?

RESPON. Nam omne factum si recte nō est, factum peccatum est, nec recte factum vllo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur, porro recta ratio est ipsa virtus cui autem hominum virtus nisi sapientis animo præsto est. Solus igitur sapiens non peccat, stultus ergo omnis peccat, nisi in ijs factis in quibus sapienti obtemperauerit a recta, n. ratione talia facta proficiscūtur. *Eod. lib. cap. 12.*

QVAEST.

QVÆST. D.

Eod. lib. cap. 16.

MIraculum quid ſit quæritur.

RESPON. Miraculum voco, quidquid arduum aut inſolitum ſupra ſpem, vel facultatem mirantis apparet, & diuiditur in duo. Quędam enim ſunt miracula, quæ ſolam faciunt admirationem, quędam vero magnam etiam gratiam beneuolentiamque conciliant. Nam ſi quis volantem hominẽ cernat, cum ea res nihil ſpectatori afferat commodi præter ipſum ſpectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui, & deſperato morbo affectus, mox vt iuſſum fuerit cõualeſcat admirationem ſanitatis ſuæ, ſanãtis etiam charitate ſuperabit: talia facta ſunt illo tempore quo Deus in vero homine, quantum ſat erat hominibus apparebat.

QVÆST. DI.

Lib. De vtilitate credẽdi. cap. 18.

QVid de Deo ſit ſentiendum.

RESPON. Deus non eſt author mali, nec vnquam eum, quidquam feciſſe pœnituit, nec vllis commotionis animi tempeſtate turbatur, nec terræ particula regnum eius eſt, nulla flagitia, vel ſcelera probat, aut imperat, nunquam mentitur, non eſt corporeus, nec vllam eius partem corporeis oculis poſſe ſentiri dicimus nihil de ſubſtantia eius atque natura, vllo modo eſſe violabile atq; commutabile, aut compoſitum aut factum.

QVÆST. DII.

Ea. epiſ. cap. 1.

AN omnis punitio facta ante vltimum iudiciũ, ſit ad medicinã?

RESPON. Quidquid diuinitus ante vltimum illud iudicium vindicatur, ſiue per improbos, ſiue per iuſtos, ſiue per neſcientes, ſiue per ſcientes, ſiue occulte ſiue palam, non ad interitum hominum ſed ad medicinam valere credendum eſt, quam qui reſpuerint, extremo ſupplicio pręparantur.

QVÆST. DIII.

Ea. epiſ. cap. 4.

AN vbi eſt ſedes Petri Apoſtoli ſit eccleſia catholica?

RESPON. Sunt multa quæ in catholica eccleſia, & eius

gremio me tenent iustissime, tenet consensio populorum atque gẽtium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita charitate aucta vetustate firmata. tenet ab ipsa sede Petri Apostoli cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit, vsque ad presentem episcopatũ successio sacerdotum, tenet postremo ipsum catholicæ nomẽ, quod non sine causa inter tam multas hereses, sic ista ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes heretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicã conueniatur, nullus hereticorum, vel basilicam suam vel domum audeat ostendere, ista ergo & tanta christiani nominis charissima, vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia.

QVÆST. DIIII.

AN anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte.

RESPON. Animæ natura etiam si non illa eius potentia, consideretur qua intelligit veritatem, sed illa inferior qua continet corpus & sentit in in corpore nullo modo inuenitur locorum spatijs aliqua mole distendi. Nam singulis sui corporis particulis, tota presto est cum tota sentit in singulis, nec minor est pars eius in digito, & maior in brachio, sicut ipse digitus brachio minor est. Sed vbique tanta, quia vbique tota est, cum enim tangitur digitus, non per totum corpus sentit, & tamen tota sentit, totam enim tactus ille non latet, quod non fieret nisi tota præsto esset, nec sic tota presto est, cum tangitur digitus, & sentit in digito, vt ceterum dese rat corpus, & se se ad unum illum locum in quo sentit agglomeret, sed cum tota sentit in digito manus. si alius locus tangatur in pede nec ibi desinit tota sentire, atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest non vnum deserens, vt in altero tota sit, neque ita vtrumque tenens vt aliam partem hic habeat, & alibi aliam, sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam, quoniam sentit in singulis, satis ostendit, se locorum spatijs non teneri. *Ea. epis. cap. 16.*

QVÆST. DV.

AN vbi fuit corruptio alicuius rei, ibi fuerit bonum.

RESPON. Totum illud ꝙ dicitur malũ, nihil aliud est quã corruptio, sed corruptio perite anime imperitia vocatur, corruptio prudentis imprudentia, corruptio iustitiæ iniustitia, corruptio fortitudinis ignauia, corruptio quietis atque trãquillitatis cupiditas, *Ea. epis. c. 35. 39*

vel

vel metus, vel tristitia, vel iactantia, deinde in corpore animato cor ruptio sanitatis, dolor & morbus, corruptio virium lassitudo, corruptio quietis labor, deinde in ipso loco corporis, corruptio pulchritudinis fœditas, corruptio rectitudinis prauitas, corruptio or dinis peruersitas, corruptio integritatis discissio, aut fractura, aut diminutio, vnde videre iam facile est nihil nocere corruptionem, nisi quod labefacit naturalem statum, & ideo eam non esse naturam, sed contra naturam. Quod si non inuenitur in rebus ma lum nisi corrupio, & corruptio non est natura, nulla vtique natura malum est. Attendite quod omne quod corrumpitur bono aliquo minuitur, quia si non corrumperetur, incorruptum esset, si vero etiam non posset omnino corrumpi incorruptibile esset. Necesse est autem, vt siue incorruptio, siue incorruptibilitas bonū sit, si corruptio malum est, vbi ergo est corruptio, primo fuit bonum, quod ex co ruptione minuitur. Aduerte, quod Deus non fecit naturas corruptibiles, inquantum enim naturæ sunt fecit Deus, inquantum autem corruptibiles, non Deus fecit. Non enim est ab illo corruptio, qui solus est incorruptibilis, cum audis naturam ad Deum refer, cum audis corruptibilem ad nihilum refer, ita tamen vt ipsæ corruptiones, quamuis non sint ex Dei arte, eius tamen potestate sint disponendę pro rerum ordine & meritis animarum, ideo rectè dicimus ab illo esse præmium atque supplicium, ita enim fecit corruptionem, vt possit corruptioni eum dare, qui corrumpi meruit, idest qui seipsum cœperit peccando corrumpere, vt cruciantem sentiat corruptionem inuitus, qui blandientem illicita oblectatione concupiscentiam volens commisit,
Esa. 45. in veteri testamento non tantum dicitur Deum condere bona, sed
1. Cor. 3. & mala & Apostolus in nouo testamento dicit quisquis templum Dei corrumpit, quod sumus nos, corrumpet eum Deus, idest cor ruptioni tradet, quia Deus non est corruptor.

QVÆST. DVI.

AN musca sit præstantior Sole, & quęcunque intelligibilia sint ipso præstantiora.

Eod. lib. c. 4. et 5. RESPON. Num etiam muscę animam, quærentibus huic luci prestare censerem? responderē ēt, nec me terreret musca, ꝙ parua est, sed qđ viua formatio. Queritur. n. quid illa mēbra, tā exigua vegetet, quid huc atq; illuc pro naturali appetitu tātillū corpusculum

lum ducat, quid currentes pedes in numerum moueat, quid volantes pennulas moderetur, ac vibret? Quod qualecunq; est bene considerantib. in tam paruo tā magnum eminet, vt cuiuis fulgori præstringenti oculos pferatur. Certe quod nemo dubitat, quidquid intelligibile est omni sensibili, & ob hoc ēt luci huic diuinis legibus antecellit. Ideo lux ista, iure laudatur, quod sit in genere proprio perfecta, tamen quia sensibilium rerum numero includitur, quod genus intelligibilium generi, cedat necesse est.

QVAEST. DVII.

MAli homines quomodo sunt ex Deo, & quomodo non sunt.

RESPON. Sunt quædam auctoritates, quę innunt quasi opposita, dr̄ ꝙ oīa p verbum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Deinde dr̄, propterea vos nō auditis, quia ex Deo nō estis, si omnia sunt à Deo, qūo hi mali nō audientes, non sunt à Deo. Nam facile videre possemus, aliud esse viuere, aliud peccare, & q̃q̃ vitā in peccatis comparatione iustę vitæ, mors appellata sit, vtrunq; tamen in vno homine posse inueniri, vt simul sit viuus, atq; peccator, sed ꝙ viuus ex Deo, quòd peccator non ex Deo, eo quod sunt homines ad Deum, eo vero quod peccatores ad diabolum pertinent. *Eod. lib. cap. 7. Ioan. 1.*

QVAEST. DVIII.

QVod Deus sit summum bonum demonstratur.

RESPON. Quid.n. si cognitio summi, sine cognitione summi boni cōtingere homini non potest? Non enim nosemus tenebras, si in tenebris semper esemus, sed lucis notitia, contrariū suum, non sinit incognitum summum autem bonum i. quo superius nihil ese potest, Deus autem bonum, & Deo superius nihil esse potest, Deus igitur summum bonum. *Eod. lib. cap. 8.*

QVÆST. DIX.

VOluntas quid sit inquiritur.

RESPON. Non peccatur nisi voluntate: Nobis autem voluntas nostra notisima est, neque enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirē. Definitur itaque isto modo, voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid, vel non amittendum uel adipiscendum. *Eod. lib. cap. 10.*

QVÆST. DX.

QVi nocere vult alium quid facit.

Eod. lib. cap. 12. RESPON. Qui enim nocere vult, bono aliquo vult priuare alium propter aliquod bonum suum.

QVÆST. DXI.

AN in nobis sint duę animæ vna bona & altera mala, an vna tãtum, quę voluntate efficitur siue bona, siue mala.

Eod. lib. cap. 13. RESPON. Cur non magis hoc signum est vnius animæ, quę libera illa voluntate huc & illuc ferri, hinc atque hinc, referri põt? Nam mihi cum accidit, vnum me esse sentio vtrunque considerantem, Alterutrum eligendum, sed plerunque illud libet, hoc decet, quorũ nos in medio positi fluctuamus. Nec mirum, ita enim nunc constituti sumus, vt & per carnem voluptate affici, & per spiritum honestate possimus, quare non duas animas hinc fateri cogor, sed vnam animam ex diuersis efficere partibus inferiore ac superiore, vel quod rectè ita dici potest, exteriore atq; interiore.

QVÆST. DXII.

AN anima humana sit Deus, vel de substantia Dei?

Ex libro Contra Fortunatum. Dispu. 1. RESPON. De anima dico non esse Deum, aliud esse Deũ, aliud esse animam, Deum esse inuiolabilem, incorruptibilem & impenetrabilem, & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest. Animam vero videmus & peccatricem esse, & in erumna versari, & veritatem quęrere, & liberatore indigere. Hęc mutatio animę ostendit mihi, quod anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nephas est dicere. Animam sic nego esse substantiam Dei, vt negem illam esse Deum, sed tamen ex Deo authore esse, quia facta est a Deo, aliud est, qui fecit, aliud quod fecit. Qui fecit corruptibilis omnino esse non potest, quòd autem fecit omnino non potest ęquale esse illi, qui fecit.

QVÆST. DXIII.

QVot ſunt genera malorum.

RESPON. Duo ſunt genera malorum peccatum & pœna peccati, peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet, etenim vt bonus eſt Deus, qui omnia conſtituit, iuſtus eſt, vt vindicet in peccatum. Cum ergo omnia optime ſint ordinata, quæ videntur nobis nunc aduerſa eſſe, merito contingit hominis lapſi, qui legem Dei ſeruare noluit. Animæ enim rationali quæ eſt in homine dedit liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere merita, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat vt Deus animæ daret liberum arbitrium. Huic autem animæ obtemperanti legibus ſuis, omnia ſubiecit ſine aduerſitate, vt ei cœtera, quæ cōdidit Deus, ſeruirent, ſi & ipſa Deo ſeruire voluiſſet, ſi autē ipſa noluiſſet ſeruire Deo: ea quæ illi ſeruiebant in pœnam eius conuerterentur. Quare ſi rectè omnia a Deo ordinata ſunt, & bona ſunt, & Deus non patitur malum. *Eod. lib. Diſpu. 1.*

QVÆST. DXIIII.

AN homini a Deo ſit datum liberum arbitrium.

RESPON. Si Deus non dediſſet liberum arbitrium, iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciēdi, nec præceptū diuinū vt ageretur pœnitentia de peccatis, nec ipſa indulgentia peccatorū, quam nobis Deus per dn̄m noſtrum Ieſum Chriſtū donauit quia qui non voluntate peccant, nō peccāt. *Eod. lib. Diſpu. 2.*

QVÆST. DXV.

QVomodo mala conſuetudo impedit noſtram libertatem, ne ſic de facili fiat a nobis, quod bonum eſt.

RESPON. Hodie namq; in noſtris actionib. antequā conſuetudine aliqua implicemur, liberū habemus arbitriū faciendi aliqd vel non faciēdi, cū aūt iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animā pnicioſam dulcedo & voluptas, eadem ipſa ſua cōſuetudine ſic implicatur vt poſtea non poſsit vincere, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt: Videmus multos iurare nolle, ſed quia *Eod. lib. Diſpu. 2.*

iam consuetudinem lingua tenuit, non posse refrenare, cũ ea exeāt de ore ipsorũ. quæ nõ possumus dicere ad mali stirpem nõ pertinere ipsa nimirum mala consuetudo est carnis prudentia, quæ q̃ diu ta est, legi Dei subijci non põt, q̃ diu prudentia carnis est, sed illuminata aĩa, desinit illa esse carnis prudentia: sic. n. dictum est, pruden-

Rom. 8. tiam carnis, non posse legi Dei esse subiectam, quẽadmodum si diceretur glacialẽ niuẽ, calidam esse non posse. Nullo. n. pacto qñ nix est, calida esse põt, sed quemadmodum illa nix calore resoluitur, & desinit nix esse, vt posit calescere, sic illa carnis prudentia. i. consuetudo facta cũ carne, cũ fuerit mẽs nostra illuminata, & ad arbitriũ diuinæ legis, totum hominem sibi Deus subiecerit. pro illa consuetudine animæ mala, facit consuetudinem bonam.

QVÆST. DXVI.

QVomodo Deus faciat mala.

Contra Adimantum. cap. 26. Amos 3

RESPON. Dum dicit Amos Propheta, non est malũ in ciuitate, qđ dñs nõ faciat, malũ hoc loco, non peccatum sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, vnum quod homo facit, alterum quo patitur pœnã, de pœnis ergo loquebatur propheta, cum hoc diceret.

QVAEST. DXVII.

QVomodo sit Deus visibilis & inuisibilis, & quot genera visionũ.

Eod. lib. cap. 28.

RESPON. Esayas Propheta dixit se vidisse Deum, dum dixit, Vidi dñm sedentẽ super soliũ excelsum, & non vidit Deũ corporaliter, sed spiritaliter. Nã multa genera visionũ in scripturis sanctis inueniuntur, vnum secundũ oculos corporis, sicut vidit Abraã tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubro, & discipuli transfiguratum dominum. Alterum secũdum, quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus: nam & pars ipsa nostra, cũ diuinitus assumitur multa reuelantur, non per oculos corporis aut aures, aliumve sensum carnalem, sed tamen his similia, sicut vidit Petrus discũ illum, submitti ex cœlo cũ varijs animalib. ex hoc genere est etiã Esayæ, quod imperitissime impij reprehendunt. Non. n. Deũ forma corporea circũ terminat, sed quẽadmodum figurate nõ ꝓpriè multa dicuntur, ita ẽt figurate multa monstrantur. Tertiũ aũt genus visionis est, ſm mentis intuitum, quo intellecta cõspiciũtur veritas atq; sapiẽtia, sine quo genere, illa duo, quę prius posui, vel

infru-

infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt, cum enim ea, quæ siue corporeis sensibus, siue illi parti animæ, quæ corporalium rerum imagines capit diuinitus demonstrantur, non solum sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta reuelatio, ex hoc tertio genere est visio illa, quam commemoraui dicente Apostolo. Inuisibilia enim Dei a constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Hac visione videtur Deus, cum per pietatem fidei & per agnitionem Dei, morum optimorũ corda mundantur. *Rom. 1.*

QVÆST. DXVIII.

AN adoptio filiorum sit admittenda.

RESPON. Neque enim adoptionis vinculum apud antiquos alienum ab eorum moribus fuit, cum etiam fęminas inuenia mus adoptasse sibi filios, non ex vtero suo natos, sicut Sara ex Agar, & Lia ex ancilla sua, & filia Pharaonis Moysem adoptauit, ipse autẽ Iacob nepotes suos filios Ioseph adoptauit? ipsum vero adoptionis nomen plurimum valere in nostræ fidei sacramento, Apostoli doctrina testatur, & ipsi in nobis metipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, dicens Paulus. Et iterum, vt adoptionem filiorũ reciperemus, misit Deus filium suum factum ex muliere. *Contra Faustum lib. 3. c. 3 Gen. 16. Gen. 30. Exo. 2. Gen. 48. Rom. 8. Gal. 4.*

QVÆST. DXIX.

QVæ differentia sit inter vetus & nouum testamentum?

RESPON. Scriptura ipsa vetus, tunc erat pręceptum, nũc testimonium, Scenofegia non celebrare aliquando peccatum fuit, nunc non est peccatum. Taaernaculo autem Dei quod est ecclesia non compaginari, semper est peccatum, sed tunc agebatur sub prę cepto figurato, nunc legitur in testimonio reuelato. Nam & illud, quod tunc factum est, non diceretur tabernaculum testimonij, nisi alicui veritati, quæ suo tempore declaranda erat, quadam congruẽ tia significationis attestaretur, illud enim erat tempus significãdi, hoc manifestandi. Ergo ipsa scriptura, quę tunc fuit exactrix operum significantium, nunc testis est rerum significatarum & quæ tunc obseruabatur ad pronunciationem, nunc recitatur ad confirmationem. *Eod. lib. 6. cap. 9.*

QVÆST. DXX.

Contra Faustum lib. 12. cap. 8.

AN scriptura vetus significet ea quæ sunt noui testamenti. RESPON. Sex diebus in Genesi consumauit Deus omnia opera sua, & septimo requieuit. sex ętatibus humanum genus, hoc sęculo, per successiones temporum Dei opera designãtur, quarũ prima est ab Adam, vsq; ad Noè. Secunda a Noè, vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. Quinta ad transmigratione vsque ad humilem domini aduentum. Sexta quæ nunc agitur, donec excelsus veniat ad iudicium. Septima vero intelligitur in requie sanctorum, non in hac vita, sed in alia, vbi vidit requiescentem pauperem diues ille, cum apud inferos torqueretur, vbi non fit vespera, quia ibi nullus rerum defectus est. Sexto die in Genesi formatur homo ad imaginem Dei. Sexta ętate seculi manifestatur reformatio nostra, in nouitate mentis, secundum imaginem eius, qui creauit nos: sicut dicit Apostolus, fit viro dormienti coniunx de latere, fit Christo moriente ecclesia de sacramento sanguinis, qui de latere mortui profluxit, vocatur Eua vita & mater viuorum, quæ de viri sui latere facta est: & dicit Dominus in Euangelio, si quis non manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam, & omnia quæ illic intelliguntur, enucleate minutatimque tractanda Christum & ecclesiam præloquuntur, siue in bonis christianis, siue in malis.

QVÆST. DXXI.

Eod. lib. 13. c. 15

AN dicta gentilium in his quæ sunt fidei, sint amplectenda ad probandum, an tantum ad reuincẽdum gentiliũ infidelitatẽ. RESPON. Sybilla porro, vel Sybillæ, & Orpheus, & nescio qs Hermes, & si qui alij Vates, vel Theologi, vel sapiẽtes, vel Philosophi gẽtiũ, de filio Dei, aut de patre Deo, vera prædixisse, seu dixisse perhibentur, valet quidẽ aliquid ad paganorũ vanitatem reuincendã, non tñ ad istorum authoritatẽ amplectendã, cũ illum Deũ nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos, ad idola & dęmonia colenda, partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt.

QVÆST.

QVÆST. DXXII.

AN sint duæ leges, & quæ est sancta, & iusta, & quæ operatur mortem, vt inquit Apostolus.

RESPON. Neque enim alia lex est sancta, & iusta, & bona, & alia, per quam peccatum operatur mortem, sed eadem ipsa est, per bonum inquit Apostolus, mihi operatum est mortē, ergo lex semper est bona, siue obsit inanibus gratia, siue prosit plenis gratia semper est bona, sicut sol semper est bonus, quia omnis creatura Dei bona est siue dolentibus oculis noceat, siue sanos mulceat, proinde quod est oculis sanitas ad videndum solem hoc est gratia mentibus ad implendam legem, & sicut oculi sani non solis delectationi moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reuerberati in densiores tenebras pellebantur, sic anima quæ per charitatem spiritus salua facta est, non iustitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui & præuaricationi, quam lex per literam, cum gratia defuit, faciebat, itaque de illa vtrunque dicitur. Et bona est lex, si quis ea legitimè vtatur, & quod sequitur, sciens hoc, quia lex iusto non est posita, quia non opus habet, terrente litera, quem delectat ipsa iustitia. *Eod. lib. 15. ca. 8.*

QVÆST. DXXIII.

LAtria quid significat?

RESPON. Latria grecum verbū est, & interpretatur seruitus, non quæcunque, sed illa qua tantummodo Deo seruitur, sicut amen interpretatur verum, non vbicunque, & quomodocunq;, sed mystica religione. *Eod. lib. 15. ca. 9.*

QVÆST. DXXIIII.

CHristus quomodo sit similis & dissimilis homini peccatori.

RESPON. Dissimilis homini Christus, quia Deus: scriptū est enim de illo. Qui est super omnia Deus benedictus in secula & similis homini Christus, quia homo: quia de illo itidem scriptum est, mediator Dei etiam hominum homo Christus? Dissimilis peccatori Christus, quia semper sanctus, & similis peccatori Christus, quia Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, *Eod. lib. 16. c. 15 Rom. 9. 1. Ti. 2.*

vt de peccato damnaret peccatum in carne: Homini ex coitu nato dissimilis Christus, inquantum ex Virgine natus est, sed homini nato similis Christus, inquantum & ipse ex fœmina natus est, cui
Luc. 1. dictum est, quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei: Homini propter suum mortuo, dissimilis Christus, inquantum sine peccato, & propria potestate mortuus est, sed rursus homini mortuo similis Christus, inquantum & ipse vera morte mortuus est.

QVÆST. DXXV.

AN cecitas infidelium in ecclesia reddatur infructuosa.

Eod. lib. 16. c. 21 RESPON. Ad aliquem namque vsum sanctorum ordinatur omnis cecitas impiorum a summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate, bene etiam vtitur malis, vt qui suo arbitrio iniuste viuũt, illius iudicio, iuste disponantur.

QVÆST. DXXVI.

QVomodo christiani obseruent, quæ sunt veteris testamenti?

Eod. lib. 18. ca. 4. RESPON. Ea Christiani, ex lege & prophetis non faciũt quibus significata sunt ista quę faciunt, illæ quippe erãt figuræ futurorum quas rebus istis per Christum reuelatis & præsentatis auferri opportebat, vt eo quoque ipso quòd hęc ablata sunt lex & Prophetæ implerentur, ibi quippe, & hoc scriptum est daturum Deum testamentum nouum, non quale dedi inquit patribus eorum: populus enim ille pro suo corde lapideo multa præcepta magis sibi congrua, quam bona acceperat, quibus tamen figurarentur, & prophetarentur futura, sed a non intelligentibus celebrabantur, cum autem venerunt, & patefacta sunt, quæ illis significabantur non iam illa iubentur facienda, sed leguntur intelligenda.

QVÆST. DXXVII.

AN gentiles fuerint qui diebus hebdomadæ, & mensibus imposuerint nomina.

Eod. lib. cap. 5. RESPON. Diebus quippe istis, quorum septennarius numerus in orbem redit Deorum suorum nomina gentes imposuerunt,

sed

ſed & menſibus impoſuerunt nomina Deorum ſuorum, propter honorem quippe Romuli, quia eum martis filium crediderunt. Primum menſem Marti dicantes Martium vocauerunt, & inde Aprilem nullo Dei ſui nomine, ſed a re ipſa quaſi aperilem, quia tunc primum germẽ aperiatur in florem. Inde tertium menſem Maium, quod maiam Mercurij matrem deam colant, inde quartũ Iunium a Iunone, inde cœteros vſque ad Decembrem a numeris nominarunt, ſed ex eis quintilis atque ſextilis nominibus hominum, quibus diuinos honores decreuerant, appellati ſunt, Iulius, & Auguſtus, nam ſeptimus Septẽber, & cœteri, vt dixi, vſq; ad Decẽbrem numerorũ ex ordine nominibus enunciãtur: porro Ianuarius a Iano appellatus eſt Februarius a Februis Lupercorum.

QVÆST. DXXVIII.

AD quid data eſt lex antiqua & prophetæ antiqui.

RESPON. Lex data eſt, vt reos faceret. i. vt oſtẽderet reos, qui deſiderarẽt ſalutẽ Prophetæ, vt promitterent Saluatorem. *Eo. li. 19 cap. 8.*

QVÆST. DXXIX.

SI Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere, vt dicitur: quare chriſtianus non circuncidatur, non obſeruet ſabbatum, non diſtinguat inter cibos & ſimilia, vt lex præcipit. *Mat. 5.*

RESPON. Non circunciditur chriſtianus, quia id quod eadẽ circuncisione prophetabatur, iam Chriſtus adimpleuit, expoliatio enim carnis in circunciſione, quæ in illo facto figurabatur, iam Chriſti reſurrectione adimpleta eſt, & quod in noſtra reſurrectione futurũ eſt, ſacramento baptiſmi commendatur. Nam neq; penitus aufferri debuit nouę vitę ſacramentũ, quia reſtat adhuc in nobis futura reſurrectio mortuorum, & in melius tñ. i. ſuccedente baptiſmo debuit commutari, quia iã factum eſt, quod nunquam factũ erat, vt futuræ vitæ ęternæ in reſurrectione Chriſti nobis præberetur exemplum. Non obſeruat chriſtianus ſabbatũ, quia quod ea figura profitebatur, iam Chriſtus impleuit, in illo quippe habemus ſabbatum, qui dixit: Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam &c. Non diſtinguit chriſtianus cibos, quia quod illis figuris prophetabatur, iam Chriſtus impleuit, non admittens ad corpus ſuum, quod corpus in ſanctis ſuis ad *Eod. lib. cap. 9.*

vitam

QVÆST. DXXXIII.

MAtrimonium quare dicatur matrimonium.

RESPON. Matrimonium quippe ex hoc appellatum est quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam vt mater fiat, & non ad concupiscentiæ crimen. *Eod. lib. cap. 26.*

QVÆST. DXXXIIII.

QVo cultu coluntur martyres, & alij sancti?

RESPON. Populus christianus memorias martyrum, religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam immitationẽ, meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamẽ vt nullli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrum constituamus altaria, in oblationibus, nũquam dicitur offerimus tibi Petre aut Paule. Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, vt ex ipsorum locorum admonitione, maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illũ quo adiuuante possumus: colimus ergo martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro euangelica veritate passionem paratum esse sentimus, sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iã in vita feliciore victores, quam in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, qui grçce latria dicitur, latine vno verbo dici non potest, cum sit quædã propriè diuinitati seruitus debita, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum, ipsi enim sancti, vel homines, vel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt, mali homines & demones oppositum faciunt. *Eod. lib. 26. c. 21*

QVÆST. DXXXV.

AN tam boni quam mali in hoc mundo sint passuri tribulationes.

RESPON. Summus ille vitis agricola, aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis, tamen nec parcit probis, nec reprobis. *Eod. lib. 22. c. 20*

vitam ęternam prędestinauit, quidquid per illa animalia in moribus hominum significatum est, ita dicitur de quibuscunque contingentibus in figura, quod Christus impleuerit omnia in sua spirituali intelligentia.

QVÆST. DXXX.

Eod. lib. cap. 16. QVid sunt sancta sacramenta?

RESPOND. Quid enim sunt aliud quęque corporalia, sacramenta, nisi quędam, quasi verba visibilia, sacrosancta quidem verumtamen mutabilia & temporalia? Deus enim ęternus est, nec tamen aqua, & omnis illa actio corporalis, quæ agitur cum baptizamus, & fit, & transit, ęterna est, vbi rursus etiam illę syllabę celeriter sonantes, & transeuntes, cum dicitur Deus, nisi dicantur, non consecratur. Hęc omnia fiunt, & transeunt, virtus tamen, quæ per ista operatur iugiter manet, & donum spiritale, quod per ista insinuatur, ęternum est.

QVÆST. DXXXI.

Eod. lib. cap. 23. EST ne iurandum raro, etiam si verum iuratur.

RESPON. Peierare graue peccatum est, non iurare autē; sicut verum iurare nullum peccatum est, sed longius remotus est a falsum iurando, qui nec iurare consueuit, quam qui verum iurare procliuis est, maluerit nos dominus & non iurantes non recedere a vero, quàm verum iurantes propinquare periurio.

QVÆST. DXXXII.

Eod. lib. cap. 25. QVærere vindictam iuste, est ne peccatum?

RESPON. Quod enim debentur, & benigne dimittitur, non tamen inique repetitur: Peccat quidem qui per immoderatione iniuste vult vindicare: non peccat autem qui modum adhibens iuste vult vindicari, remotior est, a peccato iniustę vindictę, qui nō vult omnino vindicari sicut qui non vult omnino iurare remotior est a periurio, peccat enim qui exigit vltra debitum, non peccat autem qui exigit debitum, sed tutior longe est a peccato iniusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, præsertim ne cogatur & ipse reddere debitum ab eo, qui nullum habet debitum.

QVÆST.

reprobis, illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominũ est tanta iustitia preditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis. uel ad perficiendã, vel ad confirmandam, vel probandam, virtutem.

QVÆST. DXXXVI.

Eod. lib. cap. 27.

PEccatum quid est.

RESPON. Peccatum est factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra ęternam legem, lex veto ęterna est, ratio diuina vel voluntas Dei. ordinem naturalem conseruari iubens, per turbari vetans.

QVÆST. DXXXVII.

Eod. lib. cap. 27. & 28.

ORdo naturalis in homine quis nam est quęrendum est.

RESPON. Constat enim homo ex anima & corpore, sed hoc & pecus: nulli autem dubium est, animam corpori naturali, ordine præponendam, verum animæ hominis inest ratio, quæ pecori non inest: proinde sicut anima corpori ita ipsius animę ratio, cęteris eius partibus, quas habent & bestię naturę lege pręponitur, in qua ipsa ratione, quæ partim actiua, proculdubio contemplatio præcellit, in hac enim & imago Dei est, quia per fidem ad speciem reformamur. Actio itaque rationalis comtemplationi rationali debet obedire, siue per fidem operanti. Dum sumus in hac mortali vita, siue per speciem, quod erit cum similes ei erimus quoniã videmus eum sicuti est. Nam & sancti & sublimes Angeli habẽt contemplationem, & actionem suam, id enim sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, iubet, cuius æterno imperio liberaliter, quia suauiter seruiunt, nos vero, quorum corpus mortuum est propter peccatum, antequam viuificet Deus, per inhabitantem spiritum eius in nobis, pro modulo infirmitatis nostræ secundum ęternam legem, qua naturalis ordo seruatur, iuste viuimus, si viuamus ex fide non ficta, quę per dilectionem operatur. Quapropter, hominis actio seruiens fidei, seruienti Deo, refrenat omnes mortales delectationes, & eas coercet, ad naturalem modũ meliora inferioribus ordinata dilectione præponens si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret, peccat ergo qui delectationẽ

illiciti,

illiciti relaxat potius quam refrenat est autem illicitum, quod lex illa prohibet, qua naturalis, ordo seruatur. *Eo. li 22 cap. 28.*

QVAEST- DXXXVIII.

AN detur aliqua rationalis creatura, quam nihil possit illcitum dellectare,

Respon. In tali euim genere, non est factus homo, nec illa angelica natura, quæ in veritate non stetit, sed in eo genere ista rationalia facta sunt, vt inesset in eis possibilitas frenandi dellectationem, quam non frenando peccauerunt, condidit enim Deus inferiores, vt sunt bestię quę non possunt peccare, quia nihil faciunt cõtra ęternam legem, cui sic subditę sunt, vt eius participes esse non possint. Rursus angelica sublimis natura iam confirmata nõ peccat, quia ita perticeps est legis ęternę, vt solus eam delectet Deus, cuius voluntati, sine vllo exprimento tentationis obtemperat. Homo autem cuius proppter peccatum tentatio est vita super terram subdat sibi quod habet commune cum bestijs, subdat Deo, quod commune cum Angelis. Donec iustitia, & immortalitate perfecta atque percepta ab istis exaltetur, illis ęquetur. *Eod. lib. 22. c. 32*

QVAEST. DXXXIX.

AN Culpandus sit Abraam qui ad Ancillam iuit excommissione vxoris suę Sarę.

Respon. Quid mirum si videns Abraham sterilem vxorẽ, cupientem sibi prolem quam parere ipsa nõ potuit, ex famula sua & ex marito prouenire, non suæ carnali cupiditate cessit, sed coniugali potestati obtemperauit, credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse, qui iam ex seipso, illi hęredem promiserat, sed ex qua fœmina non prędixerat. *Eod. lib. 22. c. 35*

QVÆST. DXL.

COnsanguinei apud veteros quo nomine vocabantur.

Respon. Fratres autem siue sorores generali nomine cõsanguineos, vel consanguineas solere apud veteres appellari scriptura testatur, nam & Tobias dicit Deo, cum oraret antequam misceretur vxori. Et nunc domine tu scis, quoniam non luxurię cau- *Iob. 6.*

ſa accipio ſorotem meam,& hæc non erat nec ex patre nec ex vtero matris,ſed tantum ex cognatione exorta,& Loth frater Abrahę dicitur,cum patruus eius eſſet Abraham,ex qua vi vocabuli, etiã fratres Domini vocantur in euangelio,non vtique quos Maria Virgo pepererat,ſed ex eius conſanguinitate omnes propinqui.

QVÆST. DXLI.

Eod. lib. 22. c. 44

EST ne differentia inter ebrioſum & ebrium.

RESPON. Inter ebrioſum & ebrium plurimum intereſt. Nam nec ebrioſus,ſemper eſt ebrius,nec quiſquis aliquãdo ebrius conſequenter eſt ebrioſus.

QVAEST. DXLII.

Eod. lib. 22. c. 47

PEccata contra quę committuntur?

RESPON. Sunt peccata contra naturam, contra mores, & contra pręcepta,ideo Iacob Patriarcha,non poteſt redargui de pluribus vxoribus,quia ſi naturam conſulas,ſolum gignendi cauſa,& non laſciuendi plures habebat,ſi morem conſulas,illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur,ſi pręceptum,nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen eſt niſi quia & legibus, & moribus non licet?

QVAEST. DXLIII.

Eod. lib. 22. c. 61

MElius eſt ne nõ habere filios,quam habere ſine matrimonio.

RESPON. Melius quidem ſine filijs remaneret nurus iudę,quàm ſine iure matrimonij mater fieret.

QVAEST. DXLIIII:

AN liceat homini iuſto iubenre ſuo principe bellare & arma ſuſcipere.

Eod. lib. 22. c. 75

RESPON. Intereſt enim quibus cauſis, quibuſque authoribus homines gerenda bella ſuſcipiant, ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus,hoc poſcit vt ſuſcipiendi belli,authoritas atque conſilium,pœnes principem ſit, exequendi autem

iuſta

iussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi: bellum autem quod gerendum, Deo authore suscipitur recte suscipi, dubitare phas non est, vel ad terendam, vel ad subiugandam mortalium superbiam. Quando ne illud quidem quod humana cupiditate geritur, Non solum incorruptibili Deo, sed nec sanctis eius obesse aliquid potest, quibus potius ad exercendam patientiã, & ad humiliandam animam, etiam prodesse inuenitur. Neque enim habet in eos vllam potestatem quisquam, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi a Deo siue iubente, siue sinente: cum ergo vir iustus si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo iubente bellare, ciuicę pacis ordinem seruans, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. *Rom.* 13.

QVAEST. DXLV.

QVomodo homo sit iniquus & iustus.

RESPON. Fit homo iniquus, cum propter seipsas diligit res, propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res, propter seipsas diligendas: sic enim quantum in ipso est, perturbat ordinem in se naturalem, quem lex ęterna conseruari iubet, fit autem homo iustus, cum ob aliud nõ appetit rebus vti, nisi propter quod diuinitus institute sunt, ipso autem Deo frui propter ipsum seque & amico in ipso Deo, propter eundem ipsum Deum. *Eod. lib.* 22. *c.* 78

QVÆST, DXLVI.

QVid sit secundum naturam, & quid contra naturam.

RESPON. Dici autem humano more contra naturam esse, quod est contra naturæ vsum mortalibus notum, nec nos negamus sicut illud est quod Apostolus ait. Si tu ex naturali incisus oleastro, & contra naturam insertus es in bonã oliuam, id esse contra naturam dixit, quod est contra consuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit, vt oleaster insertus in olea nõ oleastri baccas, sed oliuæ pinguedinem ferat, Deus autem creator & cõditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit, id enim erit *Eod. lib.* 26. *c.* 3.

cuique

cuiq̀ue rei naturale, quod ille fecerit a quo eſt omnis modus, numerus, ordo naturę ſed nec ipſe homo contra naturam facit, niſi cum peccat, qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam, ad naturalem quippe iuſtitiæ ordinem pertinet, vt aut peccata non fiant, aut impunita eſſe non valeant, quodlibet horum ſit naturalis ordo ſeruatur ſi non ab anima certe a Deo, ſed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere quod facit contra id quod nouimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis curſum ſolitumque naturę, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominãtur, contra verò illã ſummam naturæ legem a notitia remotam, ſiue impiorum, ſiue adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam conrra ſeipſum, non facit.

QVAEST, DXLVII.

QVare Deus dicendus eſt, omnipotens.

Eod. lib. cap. 5. RESPON. Ille plane omnipotens verè ſolus Deus dicitur, quia vere eſt, & a quo ſolo eſt, quidquid aliquo modo eſt, vel ſpirituale, vel corporale, quia vniuerſa creatura ſua vtitur, vt ei placet, placet autem illi ſecundum veram incommutabilemq̀ue iuſtitiam, quod ipſe ſibi eſt, omnia mutabilia cum ipſe ſit incommutabilis, commutare pro meritis, ſiue naturarum, ſiue factorum.

QVÆST. DXLVIII.

QVare non colimus Deum in nouo teſtamento eo ritu, quo hebræi patres coluerunt.

Contra Fauſtum lib. 32. cap. 9. Hyer. 31 RESPON. Reſpondemus aliud nobis Deum pręcepiſſe per patres noui teſtamenti, neque hoc contra vetus teſtamentum, cum & in illo id ante ſit prædictum. Sic enim hoc ipſum prænuntiatũ eſt per prophetam, ecce dies venient dicit dominus, & conſumabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum iuda teſtamentum nouum non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum vt eijcerẽ eos de terra egypti, ecce quia & hoc prophetatum eſt, non perſeueraturum illud teſtamentum, ſed futurum nouum, porro ſi quæſitum a nobis fuerit, cur illius teſtamenti authoritatem teneamus, cuius ritum non obſeruamus, &

ad

ad hoc ee literis Apostolicis respondemus, ait enim Apostolus. Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut Neomenię, aut Sabbatorum quod est vmbra futurorum, ita quippe & cur ea legi, atq; accipi opporteat, ostendit, idest ne prophetiam extinguamus, quia in vmbra facta sunt futurorum, & curare nos non debere eos, qui nos hinc iudicare voluerint, quod corporaliter nõ obseruemus, sicut alibi tale quiddam dixit; hæc in figura contingebant illis, cum ergo tale aliquid legitur in instrumento veteris testamenti, quale a nobis obseruari, vel iussum non est in nouo testamento, vel etiam prohibitum, quid significet quęrendum est, non reprehendendum, quia eo ipso, ꝙ iam non obseruatur, non damnatum, sed impletum probatur.

QVAEST. DXLIX.

QVare nos christiani celebramus Pascha, & non ritu iudaico.

RESPON. Pascha celebramus, quia tunc pro nobis immolatus est Christus, & non ritu iudaico celebramus, quia illa erat venturi veri præfiguratio, hæc completi commemoratio, futurum aũt & præteritum, nec ipsis verbis nostris. eodem modo enũtiatur. *Eod. lib. cap. 12.*

QVÆST. DL.

MOrticinum quid est?

RESPON. Morticinum autem puto, quod ad escã vsus hominum admisit eo quod non occisorum, sed mortuorũ animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cuius causa sumimus alimentum. *Eod. lib. cap. 13.*

QVÆST. DLI.

QVos peccatores sanat Christus?

RESPON. Venit ad sanandos peccatores, sanat vtique peccata confessos, sanat pœnitentes, qui concipiunt timorem Dei, & per liberum arbitrium, subdunt se sanandos optimo medico; & sicut bono creatori, ita & misericordi creatori, per humilitatẽ confessionis & pœnitentiæ sanantur. *Contra Felicem Manich. lib. 2. cap. 1.*

QVÆST. DLII.

QVOMODO Angelus & homo peccauerũt per liberũ arbitriũ.

Eod. lib. cap. 11. RESPON. Peccator Angelus per liberum arbitrium suasit peccatum homini habēti liberum arbitrium, vt diabolus si noluisset non peccasset, & homo si noluisset non consensisset.

QVAEST. DLIII.

AD cognoscendam veritatem vnde incipimus.

Eod. lib. cap. 13. RESPON. Etenim aptum perceptioni veritatis incōmutabilis facit pia fides a qua fide quisquis incipere noluerit, superbus foris remanebit, & ad id quo tendit, vel quo vult peruenire nō poterit.

QVAEST. DLIII.

QVomodo Christus dicatur vnigenitus & primogenitus.

Ex lib. contra secundinū Manich. cap. 5. RESPON. Vnigenitum & primogenitum Christum dici testantur diuina eloquia, vnigenitum quia sine fratribus, primo genitum quia cum fratribus, non inuenies quomodo vtrumque de illo, secundum eandem naturam diuinitatis intelligas. Fides vero catholica, quæ inter creatorem, creaturamque distinguit nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem, vnigenitum eum accipiens, secūdum id quod scriptum est, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū, *Ioan. 1.* primogenitum autem vniuersę creaturę, secundum id quod Apostolus ait, vt sit ipse primogenitus in multis fratrib. quos ei pater ad fraternam societatem, non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generauit. De Christo nunquam legitur, quod adoptione sit filius Dei. De nobis autem sępissime legitur. *Colo. 1. Rom. 8. Gal. 4. 2. Tes. 2.*

QVÆST. DLV.

AN Deus sit summum bonum.

Ex lib. de natura boni. cap. 1. RESPON. Summū bonum, quo superius non est, Deus est ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo vere æternum, & vere immortale, cętera omnia bona, non nisi ab illo sunt, sed non de illo. De illo enim qđ est, hoc est quod ipse est: ab illo autē quæ facta sunt, non sunt quod ipse. Ac per hoc si solus ipse incommutabilis, omnia quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt

QVÆST.

QVAEST. DLVI.

MAlum vnde sit & quid sit.
RESPON. Malum nihil aliud est, quam corruptio, vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. Mala natura dicitur, quando corrupta est, nam incorrupta vtique bona est, sed etiam ipsa corrupta, inquantum natura est bona est, inquantum corrupta est, mala est, malum est, enim male vti bono. *Eod. lib. cap. 4.*

QVÆST. DLVII.

QVa'is & quanta pœna cuique culpæ debetur.
RESPON. Qualis & quanta pœna cuique culpę debeatur diuini iudicij est non humani, quę vtique & conuersis remittitur, magna est bonitas apud Deum & cum debita redditur, nulla est iniquitas apud Deum, quia melius ordinatur natura, vt iuste doleat in supplicio, quam vt impune gaudeat in peccato. *Eod. lib. cap. 9.*

QVÆST. DLVIII.

DEmones ante iudicium in quo inferno sunt detrusi.
RESPON. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens tradidit in iudicio puniendos seruari. Hinc Petrus ostendit adhuc eis vltimi iudicij pęnam deberi, de qua dominus dicit, ite in ignem æternum, qui paratus est dyabolo & Angelis eius. Quamuis iam pœnaliter hunc infernum hoc est inferiorem caligno sum aerem, tamquam carcerē acceperint, qui tamen aer quandoque & cœlum dicitur, non illud in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cuius caligine nubila conglobātur, & vbi aues volitant, nam & cœlum nubilum dicicitur & volatilia cœli apellātur: secūdum hoc Apostolus Paulus eosdem iniquos Angelos, contra quos nobis inuidos, pie viuendo pugnamus spiritalia nequitiæ in cœlestibus nominauit, quod de illis superioribus cœlis intelligatur, aperte alibi dicit, secundum principē potestatis, aeris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Eod. lib. cap. 33.* *2.Pet.2.* *Eph.6.* *Ephe. 2.*

QVÆST. DLIX.

Ex li. de fide contra Manich. c. 9.

MAlum in homine quale est?

RESPON. Totum itaq; quod vocatur malum in hoībus peccatum est & pœna, peccatum fit ab anima rationali, cui liberū voluntatis arbitrium est, & pœna infligitur iustitia Dei, quę nihil facit iniuste.

QVÆST. DLX.

Eod. lib. cap. 10.

AN à Deo dentur præcepta non libero nec potenti seruare.

RESPON. Quis enim non clamet stultū esse, pręcepta dare ei cui liberū non est, quod pręcipitur facere, & iniquum esse eū damnare, cui non fuit potestas iussa complere.

QVÆST. DLXI.

QVare aliquando in scripturis sanctis, Virgo Maria dicitur mulier, & non Virgo.

Eod. lib. cap. 22.

RESPON. Dicit Apostolus factum Christum de muliere, & aliqui dicunt, quare non ait ex Virgine, non intelligentes, ꝙ consuete dictum sit secundum proprietatem linguæ scripturarum, sicut de Eua dictum est, formauit ęam in mulierem, antequam vel ostenderetur viro, quamuis Maria non incongrue, propter partum dicitur mulier, Virgo vero, quod virilē nescierit conuentionem, neque pariendo virginitas eius corrupta sit. Quod autem Angelus & Elisabet dixerunt Mariæ, Benedicta tu inter mulieres nulla quæstio est, quia reuera benedicta est Virgo inter mulieres.

QVÆST. DLXII.

Eod. lib. cap. 28.

AN Deus operetur necessitate, aut voluntate, & potestate.

RESPON. Cogitate ergo iam si Deus potest pati aliquā necessitatem, cum possint homines benefacere voluntate, nulla mercede conducti, nulla necessitate compulsi. Nullam ergo necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quæ facit, sed summa & ineffabili voluntate ac potestate.

QVÆST. DLXIII.

MAlum quid est?

RESPON. Ea quæ dicuntur mala, aut vitia sunt rerum bonarum, quæ omnino extra res bonas, per seipsa alicubi esse non possunt, aut supplicia peccatorū, quæ de iustitię pulchritudine veniunt, sed ipsa quoque vitia testimonium perhibent bonitati naturarum. Quod.n.malū est vitium profecto bonū est p naturā, vitiū quippe contra naturā est, quia naturæ nocet, nec noceret nisi bonū eius minueret, non est ergo malum nisi priuatio boni. *Contra aduersarium legis & pphetarū. lib. 1. cap. 5.*

QVÆST. DLXIIII.

QVare ex massa corrupta fecit Deus vasa irę, & si vt semper sint vasa irę?

RESPON. Non ideo vidit Deus, qui peruersa voluntate & cęco errore maligni sunt, quod nō essent creandi, præuidit enim vbi sint ordinandi, & sic eos ex eadem massa primę pręuaricationis merito damnata, fecit vasa irę si vsq; in finē in hac malignitate perdurent, vt prosint vasis misericordiæ quo per eorum acumina vanitatis, diligentius arcana veritatis inquirant. *Eod. lib. 1. cap. 6.*

QVÆST. DLXV.

QVæ est pœna inobedientiæ Adæ primi hominis car. 169.

RESPON. Adam malum nescisset nisi fecisset: fecit autē sibi nō Deo. Nihil enim facere potuit voluntate inobedientię, nisi qđ ipse pateretur lege iustitię. Hęc est.n.pœna inobedienti homini reddita in semetipso, vt ei vicissim non obediatur, nec a semetipso. *Eod. lib. 1. ca. 14.*

QVAEST. DLXVI.

SI Deus præsciuit hominem per lignum peccaturum, quare nō occultauit lignum ne peccaret.

RESPON. Deus occultare non debuit lignum, quod propter hominis consecuturam miseriam, si ex illo contra prohibitionem vsurpato dignosceret a quo bono cecidisset, & in quod malum incidisset, appellauit lignum scientiæ boni & mali. Cur enim occultaret *Eod. lib. 1. ca. 14.*

cultaret de quo mandatum dabat, & per quod obedientia commẽdabatur? Nec ignarus fuit hominem peccaturum, sed simul etiam quid iusti & boni fuerat & de peccante facturus, summa vtiquẽ diuinitate præsciuit, nec instituit quod obesset; si homo sibi obesse noluisset, sed potius instituit, quod prodesset. Quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset, & non sine vtili exemplo, vt eam sancti eius posteri custodirent, pœnas inobedientiæ persoluisset, nec voluit quod non potuit. Hoc enim voluit, vt aut homo obediens esset, aut inobediens impune non esset, nec infructuose voluit, quod homo non fuerat seruaturus, iubere, quia pœna contemptoris docuit alios obedire.

QVÆST. DLXVII.

QVare diabolus quærit sibi sacrificari?

Eod. lib. 1. ca. 18. RESPON. Demon sibi sacrificium nõ exigeret, nisi Deo vero deberi sciret, falsus enim Deus sic se vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus honoratur ab eis quibus consulit, & maximè sacrificium est, quod debetur Deo.

QVÆST. DLXVIII.

DEum pœnitere quomodo intelligitur?

Eod. lib. 1. ca. 20. RESPON. Non enim sicut hominem pœnitet Deum, sed sicut Deum, quemadmodum non sicut homo irascitur, nec sicut homo miseretur, nec sicut homo zelat. sed omnia, sicut Deus, pœnitentia Dei non est post errorem, ira Dei non habet perturbati animi ardorem. Misericordia Dei, non habet compatientis miserũ cor, vnde in latina lingua, nomen accepit: zelus Dei non habet mentis liuorem, sed pœnitentia Dei dicitur rerum in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio. Ira Dei est vindicta peccati. Misericordia Dei est bonitas opitulantis, zelus Dei est prouidentia qua non sinit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet.

QVÆST. DLXIX.

FINIS Quid est?

RESPON.

RESPON. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia, quæcunque aliquo fiunt officio. Nam inter officium & finem, hoc distat, quod officium est in eis, quæ facere debemus, finis propter quem facimus. *Eod. lib. 2. cap. 7.*

QVÆST. DLXX.

AN omnes veteris testamenti patres intellexerint, per illas umbras veteris testamenti figuratum esse Christum.

RESPON. Nec sane omnes in illo populo, non intelligebant Christum per illas vmbras testamenti veteris figuratum, neque.n. hæc ipse Moyses, & cœteri Prophetæ non intelligebant, qui eum posteris prænunciabant. *Eod. lib. & cap.*

QVÆST. DLXXI.

QVomodo dicitur, quod DEUS omnia ex nihilo fecit.

RESPON. Cum enim dicitur DEUS ex nihilo fecit, nihil aliud dicitur nisi non erat vnde faceret, & tamen quia voluit fecit, vsque adeo igitur in eo, quod ex nihilo fecit, voluntas non nihil dicitur, vt ipsa præcipuè commendetur, nã cui dicitur subest enim tibi cum voles, posse, siue absit vnde fiat, siue non absit, sat est volũtas, vbi summa est potestas. *Ex li. ad Orosium cap. 3.*

QVÆST. DLXXII.

SÆculum & æternum quomodo differunt.

RESPON. Licet latinè sæculum cum aliquo fine intelligatur, ęternum vero nisi id quod sine fine est, nec ipsi gręci quantum existimo solent intelligere, nisi quod non habet finem, videlicet æternum. *Eod. lib. cap. 5.*

QVÆST. DLXXIII.

EST ne credendum omnibus quæ in scripturis sanctis dicuntur, quod sint vera.

RESPON. Credendum quippe est, quod fideliter omnia sint ibi narrata & dictata a spiritui sancto, quod autem omnia sint vera, *Eod. lib. cap. 9.*

ra, non est credendum, non enim vera fuerunt cuncta quæ amici Iob dixerunt contra ipsum, nec quę iudei contra Christum dixerunt, vt in euangelio multa habentur, verum fuit, quod contra Christum dicta sunt, quia hoc scriptura testatur, non tamen, vera sunt quę calumniando contra Christum dicta sunt.

QVÆST. DLXXIIII.

QVare dicimus filium hominis descendisse de cęlo, cum humanitatem in terra assumpserit, & filium Dei crucifixum, cũ Deus sit impassibilis.

Ex li. cõtra serm. Arrianorum. c. 8. RESPON. Ipse namque vnus Christus est, & Dei filius semper natura, & hominis filius qui ex tempore assumptus est. Ac per hoc propter istam vnitatem personę in vtraque natura intelligendam, & filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamuis, sit ex ea, quæ fuerat, in terra Virgine assumptus, & filius Dei dicitur crucifixus mortuus & sepulus, quamuis hęc nõ in diuinitate ipsa, qua est vnigenitus patri coęternus, sed in naturę humanæ sit infirmitate perpessus. Nam filium hoĩs descendisse de cœlo Christus attesta-
Ioan. 3. tur dicens de se. Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui descendit de cœlo, & est in cœlo, vnigenitum vero filium Dei, cru-
1. Cor. 2. cifixum, & sepultum, omnes etiam in simbolo confitemur. Vnde Apostolus, si enim cognouissent, numquam dominum gloriæ crucifixissent.

QVÆST. DLXXV.

AN mors Christi fuerit diminutio deitatis.

Eod. lib. cap. 9. RESPON. Mors Christi non diminutio est diuinitatis, sed depositio corporis, sicuti enim generatio eius ex virgine, non fuit corruptio deitatis ipsius. Sed susceptio corporis, ita & in morte ipsius non fuit passio, & defectio deitatis ipsius, sed separatio carnis ipsius; sicuti enim, qui indumentum cõscindit, induto facit iniuriam, ita & qui carnem ipsius crucifixerunt, diuinitati ipsius contumeliam intulerunt.

QVÆST. DLXXVI.

AN patris, filij, & spiritus sancti, sint eadem opera, idest an diuisa vel indiuisa.

RESPON.

RESPON. Singulorum autem opera dicqntur, quę ad vnamquamque eorum manifestantur pertinere personā, sicut natus ex Virgine, non nisi filius, & vox de nube. Tu es filius meus dilectus, ad solius personam pertinet patris, & specie corporali, sicut columba, solus apparuit Spiritus S. tñ & illam carnē solius filij, & illā vocē solius patris, & illā speciem solius Spiritus Sancti, vniuersa Trinitas operata est, non quod inualidus sit vnusquisq; eorū, sine alijs quod operatur implere, sed non potest operatio esse diuisa, vbi nō solū ęqualis est, verū etiam indiscreta natura, ita vt cū tres sint, & eorum singulus quiq; Deus sit, tres tñ Dij non sunt, sed vnus Deus. *Eod. lib. cap. 15. Mar. 1.*

QVAEST. DLXXVII.

QVomodo dicatur Christus minoratus ab Angelis.

RESPON. Iesum vidimus modico minusquam Angelos minoratum, propter passionem mortis, non ergo propter naturā hominis, sed propter passionem mortis, natura vero hominis quę mente rationali, & intellectuali creaturas cæteras antecedit, Deus solus est maior, cui vtique iniuria facta non est, vbi scriptum est, maior est Deus corde nostro. *Contra Maximinum Arrianum. lib. 3. cap. 25. 1. Io. 3.*

QVAEST. DLXXVIII.

AN Deus sua natura sit nobis in hac vita inuisibilis.

RESPON. Ego diuinitatem patris, & filij, & Spiritus Sancti in sua natura, atque substantia, mortalibus oculis, inuisibilē dico, eam vero se in formas visibiles vertere absit, vt dicam, quia & immutabilem dico. Restat ergo, vt aspectibus humanis, quando se ostendit vt voluit, per subiectam intelligatur hoc fecisse creaturam, quæ potest oculis apparere. *Eod. lib. 3. c. vlt.*

QVAEST. DLXXIX:

CReatura quid est?

RESPON. Creatura nanque est, ex eo quod adhuc nō est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia. *Contra Felicianum Arrianum cap. 7.*

QVÆST.

RESPON. Bonum est coniugium, non tantum propter solã filiorum procreationẽ, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. Alioquin non diceretur coniugium in senibus non habentibus filios, nunc vero in bono licet annoso coniugio, & si emarcuit ardor ętatis inter masculum, & fœminam. Viget tamen ordo caritatis, inter maritum & vxorem, nam prima naturalis humanæ societatis copula, vir & vxor est. *Ex li. de bono coniugali. cap. 3.*

QVÆST. DLXXXIIII.

AN vxorati teneantur requisiti a parte reddere debitum, cum sit solum pro explenda libidine.

RESPON. Hucaccedit, quia in eo ipso, quod sibi inuicem cõiuges debitum soluunt etiam si id aliquanto intemperantius, & incontinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cum fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam potestatem appellaret dicens. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter autem & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Debent ergo sibi coniugati non solum propter procreationem filiorum coniungi, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos, mutuũ quodammodo seruitutem, vt & si alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit, coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter fidem Thori venialem habet culpam: adulterium vero siue fornicatio letalem habet culpam. *Eod. lib. c.4. et 6.* *1. Cor. 7.*

QVÆST. DLXXXV.

AN mala dici possint bona in comparatione peiorum.

RESPON. Turpe est dicere omnia bona erunt incomparatione peiorum. Nam duo mala sunt duo mala, sed vnum peius, Ideo dicimus, malum est meretrici adhęrere, sed peius est alienum matrimonium violare. Malum est adulterium, sed peior est incestus, peius est enim cum matre concumbere, quàm cum aliena vxore. *Eod. lib. cap. 8.*

QVÆST.

QVÆST. DLXXX.

Mors quid est?

Eod. lib. cap. 16. Respond. Quidam communem mortem hoc pacto definiunt dicentes, nihil aliud hanc esse, quam cum diuersarum rerum consensu vitam facientium velut per dissidium quoddam ab inuicem fuerit facta dissensio.

QVÆST. DLXXXI.

An diuinitas fuerit cum aïa Christi, cum ad inferos descẽdit.

Eod. lib. cap. 12. Respon. Fuit inquam diuinitas. Neque aliter eum video potuisse resuscitare carnem suam, si apud inferos prædicem velut absentis Dei non fuisse potentiam, nec ideo tamen localem nos credat aliquis Dei prędicare præsentiam, de quo ista propter manifestationem certi operis dicimus, quia alicubi fuit, qui vbiq; non defuit: iacebat quantum ad corpus mortuus in sepulchro mortuos resuscitans in inferno, vitam tribuens vniuersis in cœlo non mundum dimittens ad cœlos ascendit, nec cœlum deserens ad terram venit, qui alicubi manifestatione plus parens, agnitionem præsentiæ suæ indignis negauit, non immensæ maiestatis absentiam procurauit.

QVÆST. DLXXXII.

Quid sit sentiendum de morte Christi?

Eod. lib. cap. 18. Respon. Credo mortuum esse filium Dei, non secundũ pœnam iniustitiæ, quam ex toto non habuit, sed secundum legem naturæ, quã pro humani generis redemptione suscepit. illa morte de qua dicitur. Quis est homo, qui viuit & non videbit mortẽ, (Ps. 88.) non illa de qua Esayas dicit, Mortui autem vitam non videbunt, illa quæ secundum naturam generalis est cunctis, non illa quæ specialis est malis.

QVÆST. DLXXXIII.

An coniugium sit bonum tantum propter filiorum pro creationem.

Respon.

RESPON. Bonum est coniugium, non tantum propter solã filiorum procreationẽ, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. Alioquin non diceretur coniugium in senibus non habentibus filios, nunc vero in bono licet annoso coniugio, & si emarcuit ardor ętatis inter masculum, & fœminam. Viget tamen ordo caritatis, inter maritum & vxorem, nam prima naturalis humanæ societatis copula, vir & vxor est. *Ex li. de bono coniugali. cap. 3.*

QVÆST. DLXXXIIII.

AN vxorati teneantur requisiti a parte reddere debitum, cum sit solum pro explenda libidine.

RESPON. Huc accedit, quia in eo ipso, quod sibi inuicem cõiuges debitum soluunt etiam si id aliquanto intemperantius, & incontinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cum fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam potestatem appellaret dicens. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter autem & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Debent ergo sibi coniugati non solum propter procreationem filiorum coniungi, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos, mutuũ quodammodo seruitutem, vt & si alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit, coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter fidem Thori venialem habet culpam: adulterium vero siue fornicatio letalem habet culpam. *Eod. lib. c. 4. et 6.* *1. Cor. 7.*

QVÆST. DLXXXV.

AN mala dici possint bona in comparatione peiorum.

RESPON. Turpe est dicere omnia bona erunt incomparatione peiorum. Nam duo mala sunt duo mala, sed vnum peius, Ideo dicimus, malum est meretrici adhęrere, sed peius est alienum matrimonium violare. Malum est adulterium, sed peior est incestus, peius est enim cum matre concumbere, quàm cum aliena vxore. *Eod. lib. cap. 8.*

QVÆST. DLXXXVI.

AN marito liceat concumbere cum alia ex conſenſu vxoris cauſa filiorum non potens ab vxore procreare, cum ſolum pro filijs ſit vxoratus.

Eod. lib. cap. 15. RESPON. Semel autem initum connubium, in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula, quoddam ſacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt niſi alicuius eorũ morte diſſolui. Manet enim vinculum nuptiarum etiam ſi proles cuius cauſa initum eſt manifeſta ſterilitate non ſubſequatur, ita vt iam ſcientibus coniugibus, non ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen, vel ipſa cauſa filiorum atque alijs copulare non liceat, quod ſi fecerint, cum eis, qui ſe copulauerint adulterium committunt, ipſi autem coniuges manent, plane vxoris voluntate adhibere aliam, vnde communes filij naſcantur vnius commixtione, ac ſemine, alterius autem iure ac poteſtate, apud antiquos patres phas erat, vtrũ & nunc phas ſit, non temere dixerim. Non eſt enim nunc propagandi neceſſitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus coniugibus, alias propter copioſiorem poſteritatem, ſuperducere licebat, quod nunc certe non licet, ſatius eſt defungi ſine liberis, quàm ex illicito coitu ſtirpem quærere.

QVÆST. DLXXXVII.

AN vnquam fuerit licitum vnã fęmina habere plures maritos.

Eod. lib. cap. 17. RESPON. Duobus ſeu pluribus maritis viuis, nullam legimus ſeruiſſe ſanctarum, plures autem fœminas, vni viro legimus coniunctas, cum gentis illius ſocietas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat, neque enim contra naturam nuptiarum eſt, plures enim fœminæ ab vno viro fœtari poſſunt vna vero a pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis, vt plures fœminę, vni viro ſint, ſicut multæ animæ vni Deo rectè ſubduntur, ideoque non eſt verus Deus animarum niſi vnus, vna vero anima poſt multos falſos Deos fornicari poteſt, non fœcundari.

QVÆST. DLXXXVIII.

QVARE non ordinantur bigami, ſed vnius vxoris tantũ viri.

Reſpon.

Respon. Ex multis animabus vna ciuitas futura est habentium vnam animam & cor vnum in Deum, quæ vnitatis nostræ pfectio, post hanc peregrinationem futura est: propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad vnum maritum, & vnā vxorem redactum est, vt dispensatorem ecclesiæ non liceat ordinare, nisi vnius vxoris virum, quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui cathecumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur non de peccato, sicut fœmina etiam si cathecumena fuerit vitiata, non potest post baptismum, inter Dei Virgines consecrari.

Eod. lib. cap. 18.

Dist. 26. cap. acutius.

28. *q.* 3. *cap. acutius.*

QVAEST. DLXXXIX.

AN castitas virginalis sit melior castitate coniugali.

Respon. Res enim ipsas si comparemus nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitem nuptialem, cū tamen vtrunque sit bonum: homines vero cum comparamus, ille est melior, qui bonum amplius, quàm alius habet. Nam melior est maritata obediens Deo, q̃ virgo inobediens, quia maius bonum est obedientia quàm continentia.

Eod. lib. cap. 23.

QVÆST. DXC.

AN fœcunditas filiorum quia generantur, vt Christo lucrentur ex hoc virginitatem antecellat.

Respon. Coniugatæ cum pariunt filios, Adam pariunt, & non membra Christi. sed ecclesia parit cum eos baptizat. Hæc dixi, ne forte audeat fœcunditas coniugalis cum virginali integritate contendere, atque ipsam Mariam præponere, & virginibus dicere, Maria non tantum fuit virgo, sed & fœcunda vos seruatis integritatem carnis cum Maria, & nos efficimur matres cū Maria, sed cum non pariant membra Christi, sed tātum homines sine baptismo, non currit ratio. Nulla ergo carnis fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest, neque enim & ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione, ac deuotione seruatur: Cum.n. coniugata & virgo, ambæ sint Dei præceptis obedientes, nemo dubitet sanctā virginitatē ēt castis nuptiis, & continentiā pferre connubio, fructū centenū præire triceno. Non audeat tamē virgo sic timens

Virg. ca. 7. & 8. & 44. Ex li. de

Deum, coniugatę Deum timenti, se anteponere, sed humilis maneat nam Deus superbis resistit. Quid ergo cogitabit? Occulta scilicet dona Dei, quæ non nisi interrogatione tentationis, etiam se metipsum vnicuique declarant, vnde scit virgo, etiam si sit sollicita in his, quæ sunt domini, quomodo Deo placeat, propter aliquam incognitam infirmitatem. Quis scit, quòd coniugata timens Deũ non sit promptior martyrio, quàm illa virgo timens Deum, licet ergo se prępferat quia virgo, non tamen super coniugatam se exaltet, sed humilis permaneat.

QVÆST. DXCI.

AN in hac vita possint inueniri homines sine peccato.

Eod. lib. cap. 50. RESPON. Non contendo cum eis, qui asserunt hominem, posse in hac vita sine vllo peccato viuere, non cõtradico: Fortasse. n. ex nostra miseria, magnos metimur, & comparantes nos metipsos nobis metipsis non intelligimus: Vnum scio, quòd isti magni, quales non summus, quales nondum experti sumus, quanto magni sunt, tanto humiliant se in oĩbus, vt corá Deo inueniant grãm.

QVÆST. DXCII.

AN mulier a viro possit discedere, pro seruanda continentia, etiam si vir non fuerit fornicatus, nam sic remanet inupta.

De adulterinis coniugijs lib. 1. c. 6 RESPON. Mulieri si a viro fornicante descesserit, dicimus non licere alteri nubere, a viro autem non fornicante, nó licere omnino discedere.

QVÆST. DXCIII.

QVæ differentia est, inter id quod licet & non expedit, & quod non licet, nec expedit.

Eod. lib. cap. 17. & 21. RESPON. Ea mihi licere, & non expedire videntur, quæ per iustitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur a salute vitanda sunt, ea vero non licere ideo nec expedire, quæ ipsa iustitia vetantur, vt facienda non sint, etiam si ab eis quibus in notitiá fuerint prolata laudentur. Quod enim volentis potestati permittit,

vt

vt nec agatur, nec permittatur illicite, ibi seruorum suorum consilio locum dare videtur, vt id potius suadeant, qđ viderint expedire.

QVÆST. DXCIIII.

AN baptismus possit dari catechumenis, in transitu mortis positis non loquentibus, cum constet de sua bona voluntate.

RESPON. Sunt quidam attendentes illam domini sententiã, nolite sanctum dare canibus, qui non audẽt tales babptizare, licet pueri qui sine vsu sunt rationis baptizentur, sine eorum volũtatis consensu, sed non sic de his, qui ad vsum rationis peruenerunt, requiritur in talibus consensus proprius, ideo ad hanc dificultatem, sic potest responderi. Sed non solum incredibile, est nec in fine vitę huius baptizari catechumenum velle, verum etiam si voluntas eius incerta est, multo satius est, nolenti dare, quam volenti negare vbi velit an nolit sic non apparet, vt tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus iam credidit, non se opportere de corpore exire, si autem dominus vbi ait, Nolite sanctum dare canibus, hoc quod isti cauendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam ille pernitiem, sine culpa dantis, cum dignis indignus accepit: sed vt sermo noster claudatur, ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugibus copulati retinent adulterina consortia, cum saluos corpore in his permanentes, non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentis iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto vt etiam hoc peccatum cum cœteris, lauacro regnationis abluatur: *Eod. lib. cap. 26. Mat. 7.*

QVÆST. DXCV.

QVæ fuit causa philosophandi.

RESPON. Primo generaliter audite omniũ philosophorum commune studium, quo studio communi habuerunt quinq; diuisiones & differentias sentẽtiarũ propriarum: Cõmuniter omnes philosophi studendo, quærendo, disputando, viuendo appetiuerunt apprehendere vitam beatam. Hæc vna fuit causa philosophandi, sed puto, quod etiam hoc, philosophi nobiscum commu- *De Stoicis et epicureis. cap. 3.*

ne

INCIPIT TOMVS SEPTIMVS.

QVÆST. DXCIX.



VIS dicatur pacificus.

RESPON. Quiſquis ergo, vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſaluo pacis vinculo excludit, vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non poteſt, ęquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus, & ab iſto maledicto immunis, quod ſcriptura dicit, Vę his qui dicunt, quod nequam eſt, bonum eſt: & quod bonum eſt nequam, qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ponũt, quod amarum eſt dulce, & quod eſt dulce amarum; omnino liber, prorſus ſecurus, penitus alienus.

Contra epiſ. Par meniani. lib. 2. cap. . 1

QVÆST. DC.

AN omnis peccator exaudiatur vel non.

RESPON. Peccatores Deus audit, quod quidem in ſcripturis inuenitur, Balaam Propheta nõ de populo Iſrael, ſed alie nigena conductus ab inimico, vt populo Dei malediceret, conuerſus à Domino ad benedicendum eſt, cuius verba omnia bene imprecantis audiuimus, & legimus, & cum aliud haberet in voto, verba tamen pręcantis, & bona ſunt, & pro populo exaudiuntur a Domino, vnde non mirum eſt, ſi verba bona, quę pro populo dicũ tur in precibus etiam ſi a malis dicantur epiſcopis, exaudiri tamẽ, non pro peruerſitate prępoſitorum, ſed pro deuotione populorũ. Quod autem dicitur a ceco illuminato, videlicet quòd Deus pecca tores non audit, non eſt tante auctoritatis, cum à domino non ſit dictũ, nondũ oculi cordis illius ceci illuminati erant, vere illumina ti ſciebat tunc Chriſtũ eſſe Prophetã, & non filiũ Dei, vt poſtmodũ

Eod. lib. cap. 28. Num. 23

Ioan. 9.

ne habent, si enim a vobis quæram, quare in Christũ credideritis, quare Christiani facti fueritis, veraciter mihi oĩs homo respondet, pp vitam beatam, appetitio igitur beatę vitę, philosophis christianisq; cõis est. Cõis & omnibus, quia omnes vitam beatã appetũt.

QVAEST. DXCVI.

AN sola vita ęterna, vere sit dicenda vita.

Eod. lib. c. vlt. RESPON. Si vis venire ad vitã, inquit dñs cuidã, nõ ei dixit beatã, quia misera nec vita dicenda est, non ei dixit ęternã, quia
Mat. 19. vbi mortis timor est, nec vita dicẽda, ergo vita quę hoc noĩe digna est vt vita dicatur, nõ est nisi beata, & beata non est, nisi ęterna. Hãc volunt omnes, sed multi non inueniunt, quia viam errant.

QVÆST. DXCVII.

IN studijs sanctarum scripturarũ, qũo se habere debemus.

Ex tractatu de ego sum, qui sum. RESPON. Nam qñ nos inquirentes scripturas, sentimus aliquid, qđ scriptor forte non sentit, non tñ hoc sentire debemus, quod abhorret a regula fidei a regula veritatis.

QVÆST. DXCVIII.

IN veteri testamẽto, cum dicitur loquutus est dominus, loquutus est ne dominus per Angelos.

Eod. lib. RESPON. Patres nostri in Angelis dñm agnoscebant, habitãtem in habitatione intelligebant, non portantibus, sed insidẽti gloriã dabant, & hoc cõfirmat Apostolus dicẽs: Si.n. qui p Angelos di-
Hebr. 2. ctus est sermo factus est firmus, loquebatur.n. de veteri testamẽto, cõmendauit, qđ ibi Angeli loquebantar, sed Deus in Angelis suis honorabatur, & p Angelos interior habitator audiebatur, iam ergo Angelus & in Angelo dominus dicebat Moysi quærenti nomẽ suum. Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos, sic dices filiis Is-
Exo. 3. rael. Esse nomen est incommutabilitatis, omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, & incipiunt esse, quod non erant, esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui nõ mutatur, ille habet esse, cui dicitur, Mutabis ea & mutabuntur, tu au-
Ps. 101. tem idem ipse es.

INCIPIT

INCIPIT TOMVS SEPTIMVS.

QVÆST. DXCIX.



QVis dicatur pacificus.

Respon. Quiſquis ergo, vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſaluo pacis vinculo excludit, vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non poteſt, ęquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus, & ab iſto maledicto immunis, quod ſcriptura dicit, Vę his qui dicunt, quod nequam eſt, bonum eſt: & quod bonum eſt nequam, qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ponũt, quod amarum eſt dulce, & quod eſt dulce amarum; omnino liber, prorſus ſecurus, penitus alienus. *Contra epiſ. Parmeniani. lib. 2. cap. .1*

QVÆST. DC.

AN omnis peccator exaudiatur vel non.

Respon. Peccatores Deus audit, quod quidem in ſcripturis inuenitur, Balaam Propheta nõ de populo Iſrael, ſed alienigena conductus ab inimico, vt populo Dei malediceret, conuerſus à Domino ad benedicendum eſt, cuius verba omnia bene imprecantis audiuimus, & legimus, & cum aliud haberet in voto, verba tamen pręcantis, & bona ſunt, & pro populo exaudiuntur a Domino, vnde non mirum eſt, ſi verba bona, quę pro populo dicũtur in precibus etiam ſi a malis dicantur epiſcopis, exaudiri tamẽ, non pro peruerſitate prępoſitorum, ſed pro deuotione populorũ. Quod autem dicitur a ceco illuminato, videlicet quòd Deus peccatores non audit, non eſt tante auctoritatis, cum à domino non ſit dictũ, nondũ oculi cordis illius ceci illuminati erant, vere illuminati ſciebat tunc Chriſtũ eſſe Prophetã, & non filiũ Dei, vt poſtmodũ *Eod. lib. cap. 28. Num. 23* *Ioan. 9.*

sciuit, publicanus namque vt iustificaretur, peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus, iustificatus est, vt desineret esse peccator. Non vtique desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator, Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri: sed tamen non omnem peccatorem, non exaudiri veritas testis est.

QVÆST. DCI.

AN Spiritus Sanctus sit, qui per sacerdotes ministros, remittat peccata & conferat gratiam in omnibus sacramentis.

Eod. lib. cap. 11. RESPON. Cum dixisset dominus, sicut misit me pater, & ego mitto vos insufflauit, & dixit. Accipite Spiritum Sanctum, *Ioan. 20* &c. & deinde illatum per eos, vel remissionem, vel retentionem fieri peccatorum satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos *Mat. 10.* vtique Spiritum Sanctum, sicut alio loco dicit. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui in vobis loquitur, Spiritus autem Sanctus in ecclesiæ præposito vel ministro. sic inest, vt si fictus non est operetur per eum Spiritus Sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem, vel ędificationem, qui per eum siue consecrantur, siue euangelizantur, si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, deest quidem saluti eius, vt auferat se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutem opera- *1. Corin. 9.* tur aliorum, propter quod Apostolus ait, si enim volens hoc facio mercedem habeo, si autem inuitus dispensatio mihi credita est, idest illis prodest, quibus hoc dispenso, non mihi, qui fictus sum, qui enim inuitus facit, propter commoda gaudiaque carnalia, quæ si aliter habere posset, illud desereret, ipse vtique fictus est, ideoque inuitus facit, sed eis prodest, erga quos facit, se autem tantum a mercede salutis alienat.

QVÆST. DCII.

AN laus sit speciosa in ore peccatoris.

RESPON. Non est speciosa laus in ore peccatoris, cum autem prædicatio peccatoris ore procedit, quærendum est cuiusmodi peccatorem, hoc loco scriptura significare voluerit, clarum nempe est publicanum fuisse peccatorem, aliter nõ fuisset vera sua confessio peccatorum, & meruit iustificari. Et Daniel orabat & insimul confitebatur sua peccata. In his quidem erat speciosa laus etiam si erant peccatores. In cuius ergo ore peccatoris, laus speciosa non est, nisi maxime mendacis, & ficti, quem Spiritus Sanctus disciplinæ fugit? Quem igitur fugit, Cum tamen loquitur veritatem, non in eius ore speciosa est, quia non ei tribuitur, cuius particeps non est, sicut speciosa non erat prophetia in ore Cayphę Pontificis Sacerdotum, qui nesciuit quid dixit, sed cum esset Pontifex prophetauit. Sed tamen per ipsum speciosa laus Dei est in auribus audientium, & corde credentium. *Eod. lib. cap. 12. Eccl. 25 Dan. 9.*

QVÆST. DXIII.

AN Christianus criminosus sit ab aliis anathemate separãdus.

RESPON. Seruis volentibus colligere zizania, dixit dominus, sinite crescere vsque ad messem. Ne forte cum vultis colligere zizania eradicetis simul & triticum, ex his videtur separationem malorum non admitti, nisi in fine mundi, Apostolus Paulus præcipit autem separationem, cum dicit, si quis frater nominatur, & est fornicator, aut auarus, &c. nec cum eiusmodi cibum sumere. Cum infidelibus permittit cibum sumere: sed cum criminosis christianis non permittit, ac si perciperet separationem ab eis, si dicas tantum separationem cordis præcipit, ne fiat contra domini sententiam, dicentis non debere seperari zizania a tritico, vsque ad messem. Dicitur quòd talis cordis separatio, non tantum a christianis criminosis fieri debet, sed & ab infidelibus: quapropter Apostolus præcipit de separatione corporali, quæ fieri debet a criminosis christianis, cum dicit nec cum eis commisceri, nec cibum sumere. Remanet igitur hic angustia quæstionis, ad quam *Eod. lib. 3. cap. 2. Mat. 13. 1. Cor. 1. 1. Co. 10*

non aliquid nouum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat ecclesiæ, vt cum quisque christianorum in ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi precipit dicens, vt inimicum non eum existimetis, sed corripite, vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnouerit, neque penitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem, ab ecclesiæ vnitate dirimetur, & hoc in sua sententia ostendit Dominus, cum mœtus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate, certa securitas manet, idest quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinę, in qua tanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis, & vnitatis, & sine lęsione frumentorum fieri potest. Cum congregationis ecclesiæ multitudo, ab eo crimine, quo anathematizatur aliena est. Tunc enim adiuuat propositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, vt nec cibum quis cum eo sumat, non rabie inimica, sed correctione fraterna. Tunc etiam ille, & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab vniuersa ecclesia se anathematizatum videns sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire, nam dicit Apostolus si quis nominatur, idest famosus appareat, vt possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem, cum vero idem morbus, plurimos occupauerit nihil aliud bonis restat, quam dolor & gemitus: & reuera si contagio peccandi multitudinē inuaserit, Diuinæ disciplinę seuera misericordia, necessaria est. Nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos, vbi igitur est maior pars populi in crimine. difficile est bonis, posse se in omnib. ab aliis separari. Ideo Paulus

2. Tess. 3

dixit

dixit si quis (& non multitudo) nominatur inter vos fornicator, aut auarus &c.

QVAEST. DCIIII.

AN baptizatus a perfido baptizatore recipiat veram fidem, & non reatum, vt Petilianus donatista asseruit.

RESPON. Siue a fideli, siue a perfido dispensatore, sacramentum baptismi quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit, ne sit maledictus, qui spem suam ponit in homine, qualis est perfidus, a quo baptizatur: ideo hęretico dicenti conscientia dantis attēditur, qui abluat accipientis; respondeatur, sępe mihi ignota est, humana conscientia, sed certum sum de Christi misericordia. Cum audierit, Qui fidem a perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: respondeatur, Non est perfidus Christus, a quo fidem percipio, non reatum. Cum audierit, omnis res enim origine, & radice consistit, & si caput non habet aliquid nihil est. Respondeatur, origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est. Cum audierit, Nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur. Respondeatur, semen, quo regeneror, verbum Dei est: Cũ audierit, quę potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem: Respondeatur. Me innocentem non facit, nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non enim in ministrum, per quem baptizor credo, sed in eum qui iustificat impiũ, vt detur mihi fides ad iustitiam, igitur in baptismo non est attendendum ad bonitatem, vel malitiam ministri, sed ad Christum, qui est qui baptizat in Spiritu Sancto, tenet enim baptismus a quocunque detur, dummodo intendat facere, quod intendit sancta mater ecclesia. Dum confert quisquis ille sit. *Ex lib. cōtra Petilianum lib. 1. ca. 6. 7. 8. 9.*

QVAEST. DCV.

AN a Ioanne Baptista baptizati, essent baptizandi baptismo, Christi.

RESPON. Iubente Paulo Apostolo, baptizati sunt, quos comperer at baptizatos, a Ioanne, & sic authoritate apostolica satis, declaratur, *Eod. lib. cap. 32.*

non aliquid nouum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat ecclesiæ, vt cum quisque christianorum in ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum schismatis nul-
2. Tess. 3 lum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi precipit dicens, vt inimicum non eum existimetis, sed corripite, vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnouerit, neque penitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem, ab ecclesiæ vnitate dirimetur, & hoc in sua sententia ostendit Dominus, cum mœtus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate, certa securitas manet, idest quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinę, in qua tanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis, & vnitatis, & sine lęsione frumentorum fieri potest. Cum congregationis ecclesiæ multitudo, ab eo crimine, quo anathematizatur aliena est. Tunc enim adiuuat propositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, vt nec cibum quis cum eo sumat, non rabie inimica, sed correctione fraterna. Tunc etiam ille, & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab vniuersa ecclesia se anathematizatum videns sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire, nam dicit Apostolus si quis nominatur, idest famosus appareat, vt possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem, cum vero idem morbus, plurimos occupauerit nihil aliud bonis restat, quam dolor & gemitus: & reuera si contagio peccandi multitudinē inuaserit, Diuinæ disciplinę seuera misericordia, necessaria est. Nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos, vbi igitur est maior pars populi in crimine. difficile est bonis, posse se in omnib. ab aliis separari. Ideo Paulus

dixit

non aliquid nouum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat ecclesiæ, vt cum quisque christianorum in ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens, vt inimicum non eum existimetis, sed corripite, vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnouerit, neque penitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem, ab ecclesiæ vnitate dirimetur, & hoc in sua sententia ostendit Dominus, cum mœtus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate, certa securitas manet, idest quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinę, in qua tanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis, & vnitatis, & sine lęsione frumentorum fieri potest. Cum congregationis ecclesiæ multitudo, ab eo crimine, quo anathematizatur aliena est. Tunc enim adiuuat propositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, vt nec cibum quis cum eo sumat, non rabie inimica, sed correctione fraterna. Tunc etiam ille, & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab vniuersa ecclesia se anathematizatum videns sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire, nam dicit Apostolus si quis nominatur, idest famosus appareat, vt possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata sententia. Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem, cum vero idem morbus, plurimos occupauerit nihil aliud bonis restat, quam dolor & gemitus: & reuera si contagio peccandi multitudinē inuaserit, Diuinæ disciplinę seuera misericordia, necessaria est. Nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos, vbi igitur est maior pars populi in crimine. difficile est bonis, posse se in omnib. ab aliis separari. Ideo Paulus

2. Tess. 3

dixit

dixit si quis (& non multitudo) nominatur inter vos fornicator, aut auarus &c.

QVAEST. DCIIII.

AN baptizatus a perfido baptizatore recipiat veram fidem, & non reatum, vt Petilianus donatista asseruit.

RESPON. Siue a fideli, siue a perfido dispensatore, sacramentum baptismi quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit, ne sit maledictus, qui spem suam ponit in homine, qualis est perfidus, a quo baptizatur: ideo hęretico dicenti conscientia dantis attēditur, qui abluat accipientis; respondeatur, sępe mihi ignota est, humana conscientia, sed certum sum de Christi misericordia. Cum audierit, Qui fidem a perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: respondeatur, Non est perfidus Christus, a quo fidem percipio, non reatum. Cum audierit, omnis res enim origine, & radice consistit, & si caput non habet aliquid nihil est. Respondeatur, origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est. Cum audierit, Nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur. Respondeatur, semen, quo regeneror, verbum Dei est: Cū audierit, quę potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem: Respondeatur. Me innocentem non facit, nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non enim in ministrum, per quem baptizor credo, sed in eum qui iustificat impiū, vt detur mihi fides ad iustitiam, igitur in baptismo non est attendendum ad bonitatem, vel malitiam ministri, sed ad Christum, qui est qui baptizat in Spiritu Sancto, tenet enim baptismus a quocunque detur, dummodo intendat facere, quod intendit sancta mater ecclesia. Dum confert quisquis ille sit.

Ex lib. cōtra Petilianum lib. 1. ca. 6. 7. 8. 9.

QVAEST. DCV.

AN a Ioanne Baptista baptizati, essent baptizandi baptismo, Christi.

RESPON. Iubente Paulo Apostolo, baptizati sunt, quos comperer at baptizatos, a Ioanne, & sic authoritate apostolica satis, declaratur,

Eod. lib. cap. 32.

declaratur, aquam illam Ioannis, non pertinere ad baptismũ Christi, sed pro necessario tẽpore alterius dispensationis fuisse nõ enim supplendus est baptismo Ioannis cum quis baptizatur baptismo Christi, tantum spiritu & igne, & non aqua, vt Petilianus dixit, sufficere videlicet aquã Ioannis, addendo tantum illa duo, sed oportet, Denuo baptizatum aqua Ioãnis baptizari & aqua Christi: tunc insimul baptizatur Spiritu Sancto & igne, idest Spiritu Sãcto.

QVÆST. DCVI.

AN sacrificium prosit cuilibet illud offerenti.

Eod. lib. cap. 52. RESPON. Nos dicimus tale sacrificium, cuique fieri, qualis accedit, vt offerat, & qualis accedit vt sumat, & eos de sacrificijs talium mãducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi sunt: *Tit. 1.* Itaq; si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuiq; esse, qualis quisq; fuerit, quia & illud scriptũ est, omnia mũda, mũdis.

QVÆST. DCVII.

SI nomen Christi a peccatoribus imuocatum, prosit ad salutem aliorum.

Eod. lib. cap. 54. RESPON. Gratias Deo, quia tandem confessus es. o. Petiliane posse valere inuocatum nomẽ Christi ad aliorum salutem, etiam si a peccatoribus inuocetur. Hinc ergo intellige cum Christi nomen inuocatur, non obesse aliorum saluti aliena peccata.

QVÆST. DCVIII.

MIracula arguunt ne illa facientem sanctum esse & ad Dei regnum pertinere.

Eod. lib. cap. 55. RESPON. Nam de exclusione demonum, & de potentia miraculorum, quoniam plerique talia non faciunt, & tamen ad regnum Dei pertinent, pleriqur autem faciunt & non pertinent, nec nostri, nec vestri debent gloriari, si qui forte ista possunt, quãdoquidem nec Apostolos, qui vere ista salubriter atque vtiliter poterant, voluit dominus gaudere de talibus, quando eis ait nolite in hoc gaudere, quod demonia vobis subiecta sint, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

QVAEST.

QVÆST. DCIX.

AN quis ad fidem inuitus sit cogendus.

RESPON. Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus: sed per seueritatem, immo & per misericordiam Dei, tribulationũ flagellis, solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis elliguntur, ideo mores pessimi, non legis integritate puniuntur? sed tamen male viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cum præcedens bene viuendi doctrina contennitur, si quæ igitur aduersus malos leges constitute sunt, non eis benefacere coguntur, sed malefacere prohibentur. Nam nemo bene facere potest nisi ellegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate. Timor autem pœnarum, & si nondum habet dilectionem bonę conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis, coercet malam cupiditatem. *Eod. lib. cap. 83.*

QVÆST. DCX.

AN leges cogentes minis, & pœnis malos a mala vita, aufferant liberum arbitrium.

RESPON. Sicut fieri potest, vt quos Deus in libero dimisit arbitrio, attrhait tamen ad filium pater, sic fieri potest, vel ea quæ legum coertionibus admonentur, non aufferãt liberum arbitrium. Quidquid enim homo molestum & durum patitur, admonetur, vt cogitet, quare patiatur, vt si pro iustitia se pati perspexerit, idipsum bonum eligat pro iustitia talia sustinere, si autem viderit iniquitatem esse pro qua patitur, se infructuosissime laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulq; careat molestia sterili, & ipsa iniquitate. *Eod. lib. cap. 84.*

QVÆST. DCXI.

ELoquentia quid est?

RESPON. Eloquentia facultas dicendi est, cõgruenter explicans quæ sentimus, qua tunc vtendum est, cum recta sentimus, hoc modo ea non vsi sunt hæretici. Nam vtique si recta sensissent, non solum nihil mali, verum & boni aliquid esset, quod eloquẽter explicare potuissent. *Contra Crescon. grammatic. c. 1.*

QVÆST. DCXII.

AN persuadentes bona vel mala, mercedem, vel pœnam acquirant, licet homines persuasionem non recipiant.

Eod. lib. cap. 5. RESPON. Sicut enim malignus persuasor peccati, etiã si non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit, ita fidelis iustitiæ prædicator, etiam si ab hominibus, absit vt apud Deum, sui officij mercede fraudetur, incertum est enim nobis, vtrum assensurus sit cui veritas prædicatur, sed certum est talibus veritatem predicari opportere & certum est, fideliter eam prædicantes, retributionem manere, siue suscipiantur, siue spernantur, siue etiã propterea qualibet temporaliter aduersa patiantur.

QVÆST. DCXIII.

DIalectica quid sit & an Paulus Apostolus fuert, dialecticus.

Eod. lib. cap. 14. RESPON. Nomen, quippe gręcum est dyalectica, sicut.n. a litteris denominatur est grammatica, quoniam grecæ grammata litterę dicuntur, sic a disputatione, Dialectica nomen accepit, quoniam disputatio, grecę dialoge, vel dialexis appellatur, sicut autem grammaticus a veteribus latinę dictus est literatus, ita grece dialecticus, multo vsitatius, & tollerabilius, latine dicitur disputator. Et ideo cum Paulus disputarit, cum iudeis multotiens & veraciter vt potest videri, Dialecticus dici potest, & qui disputat discernit verum a falso. *Act. 17. & 20.*

QVAEST. DCXIIII.

AN baptismus rite datus, & in ecclesia catholica, & in hereticorum ecclesia, siue infidelium, possit dici vnum baptisma, cum sint diuersæ ecclesiæ.

Eod. lib. cap. 28. 29. RESPON. Inuenimus enim eundem Deum extra ecclesiam ab ignorantibus coli, & nec ideo fieri, vt non ipse sit Deus, & fidem qua creditur Christum esse filiũ dei viui, inuenimus etiam eos, qui non pertinent, ad membra ecclesiæ confiteri, nec ideo fieri vt non sit ũna fides, sic etiam cum inuenimus eundem baptismum ab eis, qui

qui ſunt contra eccleſiam in baptizandis hominibus obſeruari, non ideo non eſſe ipſum baptiſmum, exiſtimare debemus. Non dicatur quod extra eccleſiam non colatur Deus, aut non ſit eadem fides, qua confitemur Chriſtum filium Dei, cum Paulus athenienſibus dixerit, vos habetis in ara ſcriptum ignoto Deo, quem vos inquit ignoratis colitis, hunc ergo anuncio vobis, colebant Deũ ignorantes, ſed inutiliter: de fide etiam Chriſti dicitur, quòd demones credunt, & contremiſcunt, ſunt extra eccleſiæ vnitatem, & tamen credunt Chriſtum eſſe filium Dei. Dum dicunt: Quid nobis, & tibi eſt, fili Dei, ideo & Paulus dicit, ſi fidem habuero ſine charitate nihil ſum, non autem exiſtimo quemquam, ita deſipere, vt credat ad eccleſiæ pertinere vnitate, qui non habet charitatem, ſicut ergo Deus vnus colitur ignoranter etiam extra eccleſiam, nec ideo non eſt ipſe, & fides vna habeatur ſine charitate, etiã extra eccleſiã, nec ideo non eſt: ipſa ita eſt & de baptiſmo, vnus enim Deus, vna fides vnum baptiſma, vna incorrupta catholica eccleſia, nõ in qua ſolus vnus Deus colitur, ſed in qua ſolus vnus Deus pie colitur, nec in qua ſola vna fides retinetur, ſed in qua ſola vna fides cum charitate retinetur, nec in qua ſalutis vnus baptiſmus habetur, ſed in qua ſola vnus baptiſmus ſalubriter habetur.

Mar. 1.
1. *Corin.* 13.

QVAEST. DCXV.

AN ſit ſtandum authoritati eccleſiæ licet nõ inueniatur in ſcripturis quod docet.

RESPON. Quamuis alicuius rii certe de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum, etiam in hac re a nobis tenetur veritas cum hoc facimus quod vniuerſę iam placuit eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat authoritas, vt quoniam ſancta ſcriptura fallere nõ poteſt, quiſquis falli metuit, huius obſcuritate, queſtionis, eandem eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.

Eod. lib. cap. 33.

QVÆST.

QVÆST. DCXVI.

HÆreticus & hæresis quid sint, ita & schisma.

Contra Crescon. lib. 2. cap. 7. RESPON. Hereticus est cultor contrariæ, vel aliter interpretante religionis, heresis est diuersa sequentium secta, qua fit vt inter se contra fidem christianam, diuersa sententia stet, inter vero eos, quibus idem Christus natus, mortuus & resurgens, vna religio eadem sacramēta, nihil in christiana obseruatione diuersum, schisma factum non hæresis dicitur, sed schisma, idest eadem sequentiū separatio, siue dicatur schisma esse recens cōgregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio. Neque enim scissio vel schisma fieri potest, nisi diuersum aliquid sequantur, qui faciunt.

QVAEST. DCXVII.

AN aliter hæretici & aliter pagani sint recipiendi a sancta ecclesia.

Eod. lib. cap. 16. RESPON. Cum ergo veniunt ad nos hæretici incipientes esse nostri, accipiunt quod nō habebant, & salubriter habere incipiūt. Accipiunt enim primitus ipsam ecclesiam, & in ea pacem, charitatem, & vnitatem, per fontem eius proprium, atque inuisibilem Spiritum Sanctum, sine quibus vtique nullo dubitante interijssent, & hoc discernitur apud nos, vt aliter recipiantur, qui catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt, illos enim amplius grauat crimen desertionis, hoc autem non a se diruptum, sed cognitum & retētum vinculum releuat vnitatis: Quod enim valet ad mundanda sacrilegia gentilium, rectè perceptum sacramētum baptismatis, hoc valet ad mundanda sacrilegia schismaticorum, & hæreticorum veraciter apprehensa charitas vnitatis, quamobrem sicut seductores, idest infideles trahentes christianos ad Idola, demum cōuersi, cōuertentes ab ipsis seductos episcopi fieri possunt. fidelium christianorum: Veniētes ad Christum, seductis redeuntibus præponuntur, vnde isti, & epī fieri possunt, ita mirari non debent decepti ab hæreticis, quando ad catholicam veniunt, isti nanque excusabilius petunt, quæ sibi defuerunt, illi humilius repetūt, quod fuerunt, istos honorabilius, vbi nondum steterant aduocamus, illos suspectius vnde lapsi fuerant reuocamus.

QVÆST.

QVÆST. DCXVIII.

AN sacramenta a malis dari possint & præcipuè baptismus.

RESPON. Si quæratur, quomodo baptizant quos damnauit ecclesia. Respondeo sic eos baptizare, quomodo baptizāt quos damnauit Deus, antequam de illis quidquam iudicaret ecclesia. Qui enim mente peruersa videretur intus esse cum foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est. Ipse quippe ait. Qui non credit, iam iudicatus est. Paulus autē Apostolus dicit, ecclesia subdita est Christo. Non igitur debet ecclesia se Christo præponere, vt putet baptizare posse ab illo iudicatos, a se autem iudicatos baptizare nō posse, cum ille semper veraciter iudicet: Ecclesiastici autem iudices, sicut homines plerunque fallantur, baptizant ergo quantum attinet ad visibile ministerium, & boni, & mali inuisibiliter autem per eos baptizat, cuius est, & visibile baptisma, & inuisibilis gratia. Tingere ergo possunt & boni & mali, abluere autem conscientiam, non nisi ille qui semper est bonus, ac per hoc etiam nesciente ecclesia, propter malam pollutamque conscientiam, damnati a Christo, iā in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata: proinde & ipsi extra ecclesiam baptizant, omnia quippe ista monstra absit omnino, vt in mēbris illius columbæ vnicę computentur. Absit vt intrare possint limites orti conclusi, cuius ille custos est, qui non potest falli. Qui tamen si confitentur, & corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus orti conclusi, tunc in membris vnice columbæ numerantur, nec tamen denuo baptizantur, ita & cum ab hæreticis veniunt, cum ipso baptismate, quod & foris habuerunt, sed & non cum ipsa mundatione, quam intus accipiunt, vt quod defuit præstetur, quod autem non mutatum est approbetur.

Eod. lib. c.21.

Ioan. 3.

Ephe. 5.

QVÆST. DCXIX.

AN leges non sint condendæ, ne coarcetur liberum arbitriū.

RESPON. In hoc enim reges, sicut eis diuinitus præcipitur Deo seruiunt inquantum reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad diuinam religionem. Frustra di-

Eod. lib. 3.ca.51.

çis

cis relinquatur libero arbitrio: Cur enim non in homicidiis, & in stupris, & in quibusque aliis facinoribus, & flagitijs, libero te arbitrio, dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi vtilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam.

QVAEST. DCXX.

Epist. 2. Gaudentij. lib. 2. cap. 23.

AN libri Machabeorum sint autentici.

RESPON. Hanc quidem scripturam, quæ appellatur Machabeorum, non habent iudæi, sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, dicens, oportebat impleri omnia quę scripta sunt, in lege & Prophetis, & Psalmis de me, sed recepta est ab ecclesia, non inutiliter. Si sobriè legatur, vel audiatur, maxime propter illos Machabeos, qui pro Dei lege sicut veri martyres a persecutoribus, tam indigna atque horrenda perpessi sunt, vt etiam hinc populus christianus aduerteret, quoniam non sunt condignę passiones, huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis, pro quibus passus est Christus, si tanta pertulerunt pro lege patientissime, quā dedit Deus per famulum hominibus illis, pro quibus nondum tradiderat filium.

QVAEST. DCXXI.

AN laudare approbare vel imitari debeamus omnes homines, quos ponit diuina scriptura.

Eod. epi. & eod. c. lib. 2.

RESPON. Non itaque debemus quidquid in scripturis etiā Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus consentiendo approbare, sed considerando, discernere, adhibentes iudicium nō sanè nostræ authoritatis, sed scripturarum diuinarum, atque sanctarum, quę nos, nec illorum hominum, quibus illic bonum atq; preclarum testimonium perhibetur, omnia vel imitari, vel laudare facta permittit, si quę non rectè ab eis facta sunt, vel huic nunc tempori non conueniunt, sed de his quę tunc fuerant recta, nunc non sunt, quid opus est nunc discutere, laudatur Dauid in scripturis sanctis, sed non imitatur in adulterio & homicidio commisso, immo

cauetur,

cauetur. Laudatur Petrus Apoſtolus, qui dixit. Tu es Chriſtus filius Dei viui, ſed non imitatur: Vbi mox in eodem momento reprehenſus audiuit. Vade poſt me Sathanas, non enim ſapis quę Dei ſunt, ſed quę hominum. *Mat.* 16.

QVAEST. DCXXII.

AN hęretici ſint per principes coercendi.

RESPON. Quamdiu vos hęretici non tenetis eccleſiam, quam prænunciauerunt piſcatores, Apoſtoli plantauerunt, tandiu reges qui eam tenent rectiſſime ad ſuam curam iudicant pertinere, ne vos aduerſus eam rebelletis impune. Nā Deus & reges habuit inter Prophetas. Dauid quippe ſanctus rex fuit. Audite Dauid qui dicit de Chriſto: Dominabitur a mari vſque ad mare, & a flumine vſque ad terminos orbis terrarum, & non timebitis chriſtianorum regem: ſuccenſente vobis hanc eccleſiam blaſphemantibus, quæ ſicut a rege prophetata eſt, exhibetur vſque ad terminos orbis terræ. Quia & rex Nabucodonoſor quamuis Propheta non fuerit eos tamen, qui blaſphemarent Deum Sidrac Miſac, & Abdenago religioſa ſeueritate coercuit. *Eod. lib. cap.* 26. *Pſal.* 71

QVAEST. DCIII.

AN amittat baptiſmum baptizatus, cum ab vnitate eccleſiæ recedit per hæreſim vel ſchiſma.

RESPON. Sacramentum enim baptiſmi eſt quod habet, qui baptizatur, & ſacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet, qui ordinatur, ſicut autem baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit: Sic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit ſacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim ſacramento inuria facienda eſt. ſi diſcedit a malis, vtrunque diſcedit. ſi permanet in malis, vtrunque permanet, ſicut ergo acceptatur baptiſmus quem non potuit amittere, qui ab vnitate deceſſerat, ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille, qui ſacramentū dandi cū diſcederet, nō amiſerat. Nā ſicut redeuntes, qui priuſquā recederēt baptizati ſunt, nō rebaptizantur, ita redeūtes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinantur *Ex lib.* 1 *de bapt. cōtra Donatiſtas. c.* 1. *De conſ. d.* 4. *cap. oſtendit.*

ſed

ſed aut adminiſtrant, quod adminiſtrabant, ſi hoc eccleſiæ vtilitas poſtulat, aut ſi non adminiſtrant, ſacramentum ordinationis ſuę tamen gerunt, & ideo eis manus inter laicos non imponitur. Quibus rebus oſtenditur, & ipſos impie facere, qui rebaptizare conantur orbis vnitatem, & nos recte facere, qui Dei ſacramenta, improbare nec in ipſo ſchiſmate audemus.

QVÆST. DCXXIIII.

AN baptizatus non habens charitatem in baptiſmo, accipit remiſſionem peccatorum.

Eod. lib. c. 12. RESPON. Si ab baptiſmum fictus acceſſit, ſunt ne peccata dimiſſa, an nõ: ſi ſic quomodo Spiritus Sanctus diſciplinę effugiet fictum, ſi in iſto ficto operatus eſt, peccatorum remiſſionem, ſi non ergo denuo eſt baptizandus, vt per baptiſmum induat Chriſtum, recipiens per ipſum remiſſionē peccatorum, ſed dementiſſimū eſt, dicere debere rebaptizari, ideo ſic eſt dicendum, vero baptiſmo Chriſti, baptizari poſſe hominem, & tamen cor eius in malitia, vel ſacrilegio perſeuerans, peccatorum abolitionem non ſinere fieri, ſicut enim in illo, qui fictus acceſſerat, fit vt non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione & confeſſione vera purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ſed vt quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.

QVÆST. DCXXV.

AN peccata ſemel dimiſſa, redire poſſint.

Eod. lib. cap. eod. Mat. 18. De conſ. d. 4. cap. quomodo Deus. RESPON. Nam redire peccata dimiſſa, vbi fraterna charitas non eſt, apertiſſime docet in euangelio Chriſtus, De illo ſeruo qui debebat decem milia talentorum domino ſuo, & rogatus dominus ab eo dimiſit omne debitum, ſed iſte ſeruus nolens conſeruo ſuo ſibi debenti dimittere, dominus coegit ſeruum debenrē decem milium talētorum reddere debitum, quod iam dimiſerat.

QVÆST. DCXXVI.

AN epiſcopatus Petri, & ſui ſucceſſorum, teneat principatū ſuper alios epiſcopos.

RESPON.

Respon. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet epiſcopatui preferendum.

QVÆST. DCXXVII.

AN quod ponitur in autentica diuina ſcriptura, poſſit diſputari, an rectum vel falſum ſit. *Eod. lib. 2. c. 1.*

Respon. Quis autem neſciat, ſanctam ſcripturam canonicam, tam veteris, quàm noui teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus epiſcoporum litteris, ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe cóſtiterit.

QVÆST. DCXXVIII.

AN conſilium poſterius, & vniuerſale ſit preponendum priori & particulari.

Respon. Nam concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur, & vniuerſum partibus ſemper iure optimo preponitur, ſi enim cócilium Dypriani attenditur, huic eſt vniuerſæ eccleſiæ poſterius concilium præponendum, cuius ſe membrum gaudebat. *Eod. lib. cap. 2.*

QVÆST. DCXXIX.

QVid eſt pernitioſius, omnino non baptizari, aut rebaptizari.

Respon. Dominus Petro dixit, Qui lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lauandi. Et Nicodemo dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non introibit in regnum cęlorum, licet hic ſit difficilis diiudicatio, quantum tamen ad ipſa verba attinet, cuilibet homini manifeſtum eſt, quantum diſtet inter, non habet neceſſitatem lauandi, & non intrabit in regnú cœlorum, ipſa denique eccleſia ſic traditum tenet vt hominem ſine baptiſmo ad altare prorſus non poſſit admittere, rebaptizatum auté eum poſt pœnitentiam liceat admitti. Quid aliud oſtenditur, niſi eum baptiſmo non carere, & ideo in eodem vinculo pacis credimus, per eandem miſericordiam Dei, mereri veniam poſſe rebaptizatos. *Eod. lib. cap. 14. Ioan. 13 Ioan. 3.*

Respon.

QVÆST. DCXXX.

AN consuetudo cedere debeat veritati.

Eod. lib. 3. c. 5. 6. RESPON. Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est, & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur, hæc castus siccensis.

Io. 14. Libosus vagensis, in euangelio dominus ego sum, inquit, veritas non dixit, ego sum consuetudo, itaque veritate manifestata, consuetudo cedat veritati.

QVÆST. DCXXXI.

QVis grauius peccat, an qui in hæresim nesciens incurrerit, an qui sciens ab auaritia, idest idolatria, non recesserit.

Eod. lib. 4. c. 5. RESPON. Secundum quidem illam regulam, qua peccata scientium, peccatis ignorantium præponuntur, auarus cum scientia vincit in scelere, sed ne forte hoc fiat, facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio, vt hæreticus nesciens auaro scienti coęquetur, ideo amborum peccata ęqualiter apendanrur ignorantis blasphemia, & scientis idolatria, & eadem sententia judicentur.

QVÆST. DCXXXII.

AN hæreticus sangninem fundens pro Christi nomine, possit dici verus martyr.

Eod. lib. cap. 17. RESP. Baptismus sanguinis, inquit Cyprianus, hæretico non prodest, quamuis si Christum confessus, extra ecclesiam fuerit occisus, quia charitatem non habuisse conuincitur de qua Apostolus dicit, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, & ideo quæcunque ipsius ecclesiæ habent extra ecclesiam non ualent ad salutem, Habent quidem sed ad salutem non valent. Aliud enim est non habere, & aliud non vtiliter habere. Qui non habeat, qui autem non vtiliter habeat, vt vtiliter habeat corrigatur. *1. Co. 13*

QVAEST.

QVÆST. DCXXIII.

AN reprobi in inferno sint passuri diuersa supplicia, idest grauiora iuxta crimina grauiora.

RESPON. Nec dubitandum est quidem ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias aliis acriores, vt in ipso igne eterno. pro disparibus ponderibus peccatorum, sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse dominus dicit. Tolerabilius erit sodomis, quàm vobis in die iudicij. *Eod. lib. cap. 19.* *Mat. 11.*

QVÆST. DCXXIIII.

BAptismus passionis & baptismus fidei. an in articulo necessitatis prosint, sine baptismo aquæ & Spiritus Sancti.

RESPON. Baptismi vice sanè aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in Paradiso, non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit, quod etiam atque etiam considerans inuenio non tantũ passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrãdum mysterium baptismi, in angustiis temporum succurri non potest: neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorũ suorum, nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit, quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramẽto baptismi, quod ait Apostolus. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem in illo latrone declaratum est, sed tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Eod. lib. cap. 22.* *Luc. 23.*

QVAEST. DCXXXV.

SI baptismus in paruulis est validus, cum corde ad iustitiam non credant.

RESPON. Vniuersitas ecclesiæ tenet infantes baptizatos salutẽ consequi, ẽt si corde nõ credant ad iustitiã, & ore nõ confiteãtur ad salutẽ, & si quisquã in hac re authoritatẽ diuinã quærat, q̃q̃ qđ vniuersa tenet ecclesia, nec cõciliis institutum, sed sp retentum est, *Eod. lib. cap. 24.*

non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur, tamen veraciter conijcere possumus, quid valeat in paruulis baptismi sacramentum, ex circuncisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet Abraham iustificatus est, cum ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circunciderct, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiã, nisi quia & ipsum per seipsum sacramentũ multum valebat? Vnde sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circuncisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei. & quoniam patris fidem imitatus est secuta est in crescente ipsa iustitia: Cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infantibus, præcedit regenerationis sacramentum, & si christianam tenuerint pietatẽ, sequitur ẽt in corde cõuersio: Cuius mysteriũ p̃cessit in corpore, & sicut in illo latrone, quod ex baptismi sacramẽto defuerat, compleuit oĩpotentis benignitas, quia nõ superbia vel cõtemptu, sed necessitate defuerat, sic in infantib. qui baptizati moriuntur eadẽ gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.

QVAEST. DCXXXVI.

AN in baptismo Ioannis remitterentur peccata.

Eod. li. 5 cap. 10. RESPON. Quapropter quamquam ita credã baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ, vt ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata re ipsa vero in domini baptismo id fieret, sicut resurrectio quæ expectatur in finem spe in nobis

Rom. 8. facta est, spe enim salui facti sumus dicit Apos. Nam & ipse Io. cum

Mat. 3. dicat, ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ in remissionẽ

Ioan. 1. peccatorum dominum videns ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, tamen ne quisquam contendat etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata, ſm aliquam ampliorem sanctificationẽ eis, quos iussit Paulus Apostolus baptizari denuo, per baptismũ Christi esse collatam non ago pugnaciter.

QVÆST. DCXXXVII.

QVid facit ecclesia cum ad eam veniunt Iudæus hereticus & paganus.

RESPON.

RESPON. Iudęus cum ad nos venerit, vt chriſtianus fiat, non in eo deſtruimus bona Dei, ſed mala ipſius. Nam quod errat non credendo, ꝙ Chriſtus iam venerit, natusque & paſsus ſit, & reſurrexerit. hoc emendamus, eaque infidelitate deſtructa, fidem qua hęc creduntur aſtruimus, item quod errat vmbris veterum ſacramẽtorum inhærendo diſsuademus, iamque veniſse tempus, quo hęc auferenda atque mutanda prophetæ prædixerãt demonſtramus. Quod vero vnum Deum colendum credit, qui fecit cœlum & terram, quod omnia idola, & ſacrilegia gentium deteſtatur: quòd futurum expectat iudicium, quòd vitam ſperat ęternã, quòd de carnis reſurrectione nõ dubitat, laudamus, approbamus, agnoſcimus, ſicut credebat credenda, ſicut tenebat tenenda firmamus, ita cũ hęreticus & ſchiſmaticus ad nos veniunt, vt catholici fiant, ſchiſma & hæreſim diſsuadendo reſcindimus, & deſtruendo, ſacramenta vero chriſtiana ſi eadem in illis inuenimus, & quidquid aliud veri tenent, abſit vt violemus, abſit vt ſi ſemel danda nouimus iteremus, ita etiam fit in gentilibus, vt in ipſis quidquid prauum eſt corrigamus, vt quod forte rectum eſt approbemus, cognitionem Dei quam habent approbat Apoſtolus, dare gloriam Dei, idolis manufactis corrigit & improbat.

Ex li. de vnico baptiſ. contra Petilianum. cap. 3. *Rom. 1.*

QVÆST. DCXXXVIII.

AN baptizati baptiſmo Ioannis debuerint baptiſmo Chriſti baptizari.

RESPON. Paulus cum inueniſset in Epheſo quoſdam, qui ſe dicebant Ioannis baptiſmate baptizatos, baptizari iuſsit in Chriſto non enim Ioannis baptiſmum habentibus, iterum Ioannis baptiſmum dedit, ſed Chriſti baptiſmum non habentes baptizari iuſsit in Chriſto, ac per hoc neutrum deſtruxit, ſed vtrumque diſtinxit.

Eod. lib. cap. 7. Act. 9.

QVAEST. DCXXXIX.

AN omnis perſequutio ſit culpabilis.

RESPON. Intelligite non oẽm perſequutionẽ eſse culpabilẽ, alioquin non laudabiliter diceretur, detrahentẽ ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Nam quotidie videmus, & filium de patre tamquam de perſequutore conqueri, & coniugem de mari-

Ex li. de vnitate eccleſiæ. cap. 17. Pſ. 110.

to, & seruum de dño & colonum de possessore, & reum de iudice, cum illi plerunque ordinatissima potestate sibi homines subditos per terrores leuiarum pœnarum a grauiorib. malis prohibeãt, atq; compescant plerumque autem a bona vita & a bonis factis, minando, & seuiendo deterreant, sed cum a malo & illicito prohibent, correctores & consultores sint, cum autem a bono & licito persecutores & oppressores sunt, culpantur etiam qui prohibent a malo, si modum peccati, modus coertionis excedat, item iure culpandi sunt qui turbide, atq; inordinate in eos coercendos insiliunt qui nulla sibi lege subiecti sunt.

QVÆST. DCXL.

AN sit vna ecclesia, vel duæ, quę in terris permixta cum malis, & in cœlis cum solis sanctis.

Ex collatione tertij diei. RESPON. Ecclesia quæ nunc habet permixtos malos, non est aliena a regno Dei, vbi non erunt mali commixti, sed eandem ipsam vnam & sanctam ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, sicut nunc mortalem, quod ex mortalibus constaret hominibus, tunç autem immortalem, quod in ea nullus esset vel corpore moriturus: Sicut non ideo duo Christi, quia prior mortuus, postea non moriturus: Dictum est de homine exteriore, & interiore, quæ cum sint diuersa, non tamen dici duos homines, quãto minus dici duas ecclesias, cum ijdem ipsi, qui nunc boni tolerant permixtos malos & resurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri sint nec omnino morituri.

QVAEST. DCXLI.

AN extra ecclesiam sit salus.

Ex cõcione super gesta cũ emerito. RESPON. Extra ecclesiam catholicam totum potest præter salutem, potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare alleluia, potest respondere amen, potest Euangeliũ tenere, potest in nomine patris & filij & spiritus sancti fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in ecclesia catholica salutem poterit inuenire.

QVÆST.

QVÆST. DCXLII.

AN Adam ſi non peccaſſet mortuus fuiſſet.

RESPON. Adam non ſecundum animam, ſed ſecundum corpus terra erat, & morte eiuſdem corporis erat iturus in terram. Quamuis.n.ſm corpus terra eſſet, & corpus in quo creatus eſt aĩale geſtaret, tñ ſi non peccaſſet in corpus fuerat ſpiritale mutandus, & in illã incorruptionem, quæ fidelib.ac ſanctis promittitur ſine mortis periculo tranſiturus. Igitur ſi non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperueſtiẽdus immortalitate & incorruptione, vt abſorberetur mortale a vita.i.ab aĩali in ſpiritale trãſiret. *De peccatorũ meritis & remiſs. lib.1.c.2.*

QVÆST. DCXLIII.

QVibus cibis modo vtantur Enoch & Helyas ab hoc mundo translati.

RESPON. Neque.n.Enoch & Helyas, per tam longã ętatẽ ſenectutę marcuerunt, nec tñ credo eos, iã in illã qualitatem ſpiritalem corporis commutatos, qualis in reſurrectione promittitur, quæ in dño prima pceſſit, niſi quia iſti fortaſſe nec his cibis egent, qui ſui conſumptione reficiunt, ſed ex quo tranſlati ſunt, ita viuũt, vt ſimilem habeant ſatietatẽ, illis 40.diebus, quibus Helyas ex calice aquæ, & ex collyride panis, ſine cibo vixit, aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in Paradiſo paſcuntur, ſicut Adam priuſquã propter peccatum exinde exire meruiſſet. Habebat enim quantum exiſtimo, & de lignorum fructib. refectionem cõtra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem. *Eod. lib. cap.3. Gen.5. 4.Reg.2.*

QVÆST. DCXLIIII.

SI corpus humanum propter peccatum factum eſt mortale, vt inquit Paulus, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, quomodo corpus Adæ ante peccatum erat mortale?

RESPON. Namq; antequã mutaretur in illam incorruptionẽ quæ in ſanctorũ reſurrectione pmittitur; poterat eſſe mortale, quãuis nõ moriturũ, ſicut hoc noſtrũ põt, vt ita dicã eſſe ęgrotabile, quamuis non ęgrotaturũ, cuius enim caro eſt, quæ non ægrotare poſſit? etiam ſi aliquo caſu, priuſquã ęgrotet occumbat ſic & illud *Eod. lib. cap.5. Rom.8.*

corpus iam erat mortale, quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in ęternam incorruptionem, si in homine iustitia, idest obedientia permaneret, sed ipsum mortale nõ est factum mortuũ, nisi propter peccatum.

QVÆST. DCXLV.

AN peccatum introierit in omnes homines propagatione, ve imitatione?

Eod. lib. c. 8. 15. Rom. 5. RESPON. Per vnum hominem inquit Paulus intrauit peccatum in hunc mundum &c. & hoc non potest fieri nisi propagatione, qua maculantur omnes originali peccato, quo oẽs morti astricti sunt: ideo & per peccatum Mors, si tantum mors animæ, vt quidam non rectè dixerunt, ex præuaricatione Adę euenisset, vtiq; ex imitatione potius diaboli perirẽt hoĩes, cũ ipse ab initio peccet, Ioan. 3. & inuidia sui introiuit mors in orbẽ terrarũ, & sic in paruulis non Sap. 2. daretur originale peccatum, cùm adhuc nõ possent diabolũ imitari priui discursu rationis, sed Paulus nõ dixit per diabolũ introisse peccatũ, sed ꝑ Adã, qđ non fit imitatione, sed propagatione: & ideo & paruuli indigent Christi gratia, vt liberentur culpa peccati originalis, qđ ex propagatione contraxerunt. Hæc.n. gratia baptizatos quoq; paruulos, suo inserit corpori, q. certè imitari aliqui nondum valent, cum valebunt inseret, & aĩæ illuminando, cũ sit ille qui incremẽtum dat; non.n. sola Christi imitatio in quo oẽs iustificamur, iustos facit, sed per spiritum regenerans gratia, propterea & Adã vnus est in quo oẽs peccauerunt, quia non sola eius imitatio peccatores facit, sed per carnem generans pœna.

QVÆST. DCXLVI.

AN paruuli decedentes sine baptismo damnentur, & omnes paruuli indigeant Christi gratia?

Eod. lib. c. 16. 17. 18. 19. 20. RESPON. Potest dici rectè paruulos, sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione oĩum mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prędicat non futuros, dicente Apostolo, iudicium ex vno delicto in condemnationem, & paulopost, per vnius delictum, in omnes hoĩes ad condemnationẽ. Quapropter qui dicunt paruulos, ideo baptizari, vt hoc eis remittatur,

tatur, quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adã traduxerunt, non ſunt audiendi, cum dicat iterũ Apoſtolus. Saluos nos feciſſe ſm ſuã miſericordiã per lauacrum regenerationis, ſine iſta ergo regeneratione ſaluos in ęternum poſſe fieri paruulos, qs audeat affirmare, tanquam non pro eis mortuus ſit Chriſtus? Licet, paruuli nõ ſint obnoxij peccatis ſuæ proprię vitæ originalis tñ ægritudo in eis ſanatur, in eius gratia, qui ſaluos facit per lauacrũ regenerationis, & ſicut fideles vocãtur, quoniã fidẽ per verba geſtãtiũ quodammodo profitentur, cur non prius ẽt pœnitentes habentur, cum p eorundẽ verba geſtantium, diabolo & huic ſeculo renũciare monſtrantur? Nec valet, ꝙ ſi ad paruulorũ ſalutẽ neceſsarius ſit baptiſmus, ꝙ etiam eis ſit neceſſaria Euchariſtia, quia de baptiſmo dicitur. Niſi quis renatus fuerit &c. De Euchariſtia ſic ait Dominus, ſi non manducaueritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod vtique non valent pueri. *Tit. 3.* *Ioan. 6.*

QVAEST. DCXLVII.

QVare Deus aliquos paruulos permittit mori ſine baptiſmo, cũ ſciat ſine illo nõ poſse ſaluari, loquor de puulis chriſtianorũ.

RESPON. Hæc gratia cur ad illũ veniat ad illum non veniat, occulta cauſa eſse põt, iniuſta non poteſt, ideo ſi quærit, quare hic infans ſuſcipit baptiſmum, & alius moritur ante baptiſmum, cum ambo ſint ſine peccato actuali, quę gratia vni, & alteri non, item quę gratia vni baptizato, ſtatim moritur & ad gloriam pergit, alteri baptizato longius viuit, & impie viuit & damnatur, vnde iſta tanta diuerſitas, niſi quia inſcrutabilia ſunt iudicia eius, ideſt Dei, & inueſtigabiles vie eius, & ideo hic cauſa non eſt quærenda. *Eod. lib. cap. 21.*

QVÆST. DCXLVIII.

BOnum coniugiI quale eſt?.

RESPON. Bonum coniugij non eſt feruor concupiſcẽtię, ſed quidam licitus & honeſtus illo' feruore vtẽdi modus propagandę proli, non explorandę libidini accommodatus, voluntas iſta, nõ voluptas illa nuptialis eſt, cum enim ab illicitis corruptionibus refrenatur, & ad ſola generis hqmani ſupplementa ordinate propaganda permittitur, hoc eſt bonum coniugij, per quod ordinata ſo- *Eod. lib. cap. 29.*

cietate naſcitur homo, ſed nemo renaſcitur in Chriſti corpore, niſi prius naſcatur in peccati corpore: ſicut autem bono male vti malum eſt, ſic malo bene vti bonum eſt, duo igitur hæc bonum & malum, & alia duo. Vſus bonus & vſus malus ſibimet adiuncta quatuor differentias faciunt, bene vtitur bono continentiam dedicans Deo, male vtitur bono continentiam dedicans idolo. Male vtitur malo, concupiſcentiam relaxans adulterio, bene vtitur malo, concupiſcentiam reſtringens connubio, ſicut ergo melius eſt bene vti bono, quam bene vti malo, cum ſit vtrunque bonum, ita qui dat virginem ſuam nuptui benefacit; & qui non dat, melius facit.

QVÆST. DCXLIX.

Eod. lib. cap. 37. SI primordia naturæ in Adam, & in Chriſto fuerunt pura, quare non & in paruulis, vt ſic non indigerent baptiſmo.

RESPOND. Reſpondemus Adam propterea non impurum creatum, quia nullius parentis præcedẽte peccato eſt creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato, nati ſumus in carne peccati, Chriſtus ideo talis, quia vt de peccato condemnaret peccatum natus eſt in ſimilitudine carnis peccati: licet non haberet peccatum, nec primordia vitioſa, cum ſine vllo peccato ſit natus ex Virgine; in ſimilitudine tamen vitioſæ naturæ propter dictam rationem naſci voluit, paruuli autem non tantum naſcuntur in ſimilitudine, ſed in rei veritate peccatores, ideo indigent baptiſmo.

QVAEST. DCL.

Eod. lib. cap. 39. QVomodo euacuatur peccatum in paruulis per baptiſmum.

RESPON. In paruulis certe gratia Dei per baptiſmum eius, qui venit in ſimilitudine carnis peccati. Id agitur, vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non vt in ipſa viuente carne concupiſcentia conſperſa & innata repente abſumatur, ut non ſit, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato. Nam ſi poſt baptiſmũ vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti, peruenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam eius ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit. Nã nec gradibus hoc præſtatur in baptiſmo, niſi forte miraculo ineffabili omni-

omnipotentiſſimi creatoris, ut lex peccati quæ ineſt in membris repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non ſit, ſed vt quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum eſt, cum eidem concupiſcentiæ ſubiecta mente ſeruiret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit habeatur.

QVAEST. DCLI.

Licet habeamus liberum arbitrium, an ſine Dei auxilio poſſimus meritoriæ operari.

RESPON. Ad peccandum namque non adiuuamur a Deo iuſta autem agere vel iuſtitiæ pręceptum omni ex parte implere nō poſſumus, niſi adiuuemur a Deo, ſicut enim corporis oculus non adiuuatur a luce, vt ab eadem luce clauſus, auerſusve diſcedat, ut autem videat adiuuatur ab ea, neq; hoc omnino, niſi illa adiuuerit poteſt. Ita Deus qui lux eſt hominis interioris adiuuat noſtrę mentis obtutum, vt non ſecundum noſtram, ſed ſecundum eius iuſtitiā boni aliquid operemur. Si autem ab illlo auertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecundum carnem ſapimus, tunc concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus, conuerſos ergo Deus adiuuat, auerſos deſerit, ſed etiam vt conuertamur ipſe adiuuat, quod certe oculis corporis lux iſta non præſtat, cum ergo nobis iubet dicens, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Noſque illi dicimus, conuerte nos Deus, quid aliud dicimus, quam da quod iubes? Adiutor enim noſter Deus dicitur. Nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur, quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.

Eod. lib. 2. c. 5.

Zach. 1.

QVAEST. DCLII.

An homo in hac vita poſſit eſſe ſine peccato?

RESPON. Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominē ſine peccato, non eſt eis cōtinuo incauta temeritate obſiſtendum, ſi enim eſſe poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus, ſed alia quæſtio eſt, vtrum eſſe poſſit, alia vtrum ſit, alia ſi non eſt, cum poſſit eſſe, cur

Eod. lib. ca. 6 13. 14. 20.

cur non sit alia vtrum qui nunquam nullum habuerit peccatum, non solum quisquam sit, verum etiam poterit aliquando esse, vel possit. in hac quadripartita propositione quęstionum si a me quæratur, vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum eius arbitrium, ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est ad Dei dona pertinere, non ambigens, nec tantum vt sit, verum etiam vt bonum sit, idest ad mandata domini conuertatur, atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adiuuet etiam vt possit fieri, quod ostenderit, ideo propter scripturę testimonia dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile homini pręcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat, quod iubet, impossibile aliqd esse, ac per hoc, potest homo si velit esse sine peccato adiutus a DEO si autem quod secundo loco posueram quæratur, vtrum sit, esse nõ
Ps. 142. credo, magis enim credo scripturę dicenti. Non intres in iudiciũ
1. Io. 1. cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, & Ioannes ait. si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, sunt in terra iusti, sunt magni, fortes, prudentes, cõtinentes, patientes, pij, misericordes, temporalia mala omnia propter iustitiam æquo animo tolerantes, sed si verum est, quod modo dixit Ioannes, si dixerimus &c. vt verum est, nõ sunt sine peccato, & etiam hij, qui a sanctis scripturis laudati sunt, licet magni iusti omnes & laudabiles, non tamen sine aliquo peccato non sunt, pręcipit ergo dominus quod scit non facturum? tamen si homines implerent coronarentur, non implentes punientur, sed cum homo possit esse sine peccato, cur non est? quia nolit, quare? nolit facere quod iustum est, quia aut latet quod iustum sit siue quia non delectat, sic ergo concluditur pręter vnum mediatorem Dei & hoĩum, hominem Christum Iesum, nullum vel esse, vel fuisse, vel futurum esse sine peccato certissimum est.

QVÆST. DCLIII.

AN post baptismum remaneat in nobis illa lex peccati?
Eod. lib. RESPON. Hęc lex peccati, quod etiam Apostolus pecca-
cap. 18. tum appellat, cum dicit. Non ergo regnet peccatum, in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius, non sic manet in mẽbris

bris eorum, qui ex aqua & Spiritu Sancto renati sunt, tamquam non sit eius facta remissio, vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum omnibus inimicitijs inter fectis, quibus separabamur a Deo, sed manet in vetustate carnis tamquam superatum, & peremptum, si non illicitis consensionibus, quodammodo reuiuiscat, & in regnum proprium dominationemque reuocetur.

QVÆST. DCLIIII.

QVare iustis non est datum, vt non moriantur, cum mors sit pęna peccati, & ipsi iusti sint.

RESPON. Poterat quidem dominus donare credentibus, vt nec istius experirentur corporis mortem, sed si hoc fecisset, carni quædam fęlicitas adderetur minueretur autem fidei fortitudo, sic enim homines mortem istam timent, vt non ob aliud fęlices dicerent esse christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contēnendæ ipsius mortis, ad Christi gratiam festinaret, sed propter remouendam mortis molestiam. Delicatius crederetur in Christum, plus ergo gratiæ præstitit, plus fidelibus suis, sine dubitatione donauit. *Eod. lib. cap. 31.*

QVÆST. DCLV.

QVare remissione peccatorum facta per Christum, adhuc remanet pœna quæ est mors, destructa causa, destruitur effectus.

RESPON. Sicuti in Dauid dimisso peccato, sequuta sunt quę dominus minatus erat, vt pietas eius in illa humilitate exerceretur atque probaretur, & peccatum remissum erat, ne a percipienda vita impediretur æterna, sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem, proter exercendam iustitiam non ademit. *Eod. lib. cap. 34.*

QVÆST. DCLVI.

AN qui nunquam cognouerunt de Christo, sine eo per legem naturæ saluari possint.

RESPON.

Eod. lib. c. 2. 4. 5. & 8. Dissentit Ambr. Ro. 3. & 11.

RESPON. Cum non desint aliquæ gentes, quibus nondum prædicatum fuit euangelium, quid faciet his humana natura, vel quid fecit, quę vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum qui fecit cœlum, & terrā, à quo & se factā naturaliter sentit, & recte viuendo eius impleat vo luntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quop de lege Moysi dixit Apostolus, ergo Christus gratis mortuus est, si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est, vindicta nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi. Hæc igitur Christi gratia sine qua nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur sed gratis datur, propter quod gratia nominatur, iustificati inquit gratis per sanguinem ipsius, vnde hi, qui non per illam liberantur, siue quia audire non potuerunt, siue quia obedire noluerunt, siue etiam cum per ætatē audire non possent lauacrum regenerationis, quod accipere possent per quod salui fierēt non accepe runt, iuste vtique damnantur, quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, omnes enim peccauerunt, siue in Adam, siue in semetipsis, & egent gloria Dei, vniuersa igitur massa pœnas debet, & si omnibus debitum damnationis supplitium redderetur, non iniuste proculdubio redderetur, qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur, concludo ergo paruulum morte præuentum, non potuisse suscipere baptismum, recte ea damnatione, quæ per vniuersam massam currit, non admitti in regnum cœlorum quamuis Christianus non fuerit, nec esse potuerit.

QVÆST. DCLVII.

AN sancti omnes fuerint sine omni peccato.

Eod. lib. cap. 36.

RESPON. Excepta sancta Virg. Maria, de qua propter honorem domini, nullam prorsus, cum de peccato agitur, habere volo quæstionem, vnde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatū fuerit ad vincēdum omni ex parte peccatum quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas cum hic viuerent,

congregare

congregare possemus,& interrogare, vna voce clamassent, si dixeri mus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,& veritas in nobis non est. *1. Io. 1.*

QVÆST. DCLVIII.

AN homo possit meritorie, velle bene operari, & operari vi solius liberi arbitrij, si sine Dei auxilio.

RESPON. Inquit Apostolus, cum timore & tremore vestrã ipsorum operamini salutem,& vt scirent homines, quia non tantũ in eo, quod operari possint, hoc enim & in natura,& in doctrina iã acceperant, sed etiam in eo quod operantur, diuinitus adiuuentur, nõ ait Deus enim qui operatur in vobis posse, tamquam ipsi iã velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant: sed ait, Deus enim est, qui operatur in vobis velle & perficere, siue operari, vt in codicibus grecis legitur: diuus Ambrosius super Lucam lib. 2. c. 12. sic inquit vides vtique quia vbique domini virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ędificare sine domino, nemo custodire sine domino, nemo quidquam incipere sine domino,& ideo iuxta Apostolum siue manducatis, siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Quapropter vi solius liberi arbitrij, non possumus sine Dei gratia meritorie velle & bene operari, indigemus enim Dei auxilio in omnibus operibus bonis, immo actor principalis est.

De gratia Christi contra Pellag. cap. 5. lib. 1. *Phil. 2.* *1. Co. 10*

QVÆST. DCLIX.

AN nuptię fuissent si Adam non peccasset.

RESPON. Essent autem proculdubio nuptiæ etiam non precedente peccato, quia neque ob aliam causam viro adiutorium non alius vir, sed fœmina facta est: & illa Dei verba crescite & multiplicamini, non est damnandorum prædictio peccatorum, sed fœcũdarũ benedictio nuptiarũ, si aũt peccato nõ fuisset dehonestata natura, absit vt opinemur, tales fuisse nuptias in Paradiso futuras, vt in eis ad prolẽ seminãdã, nõ natura volũtatis, sicut pes ad ambulãdũ, manus ad operandũ lingua ad loquendum, sed ęstu libidinis mẽbra genitalia mouerẽtur, nec sicut nũc fit, virginitatis integritas ad cõcipiẽdos fętus vi turbidi vitiaretur ardoris, sed obsequeretur

Ex li. de peccato originali c. 35. 36

imperio

imperio tranquilissimæ charitatis, & eo modo non esset dolor, & cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parturientis. Hæc ideo non creduntur, quia in ista mortalitatis conditione inexperta sunt, vnde dico, quòd sicut ex diuinis scripturis tenetur hominem primum factum de puulucere, sine vllis parentibus & mulierem de latere eius, sic & primitiarum nuptiarum sine libidinis passione tranquilitas, & motus genitalium, sicut aliorum membrorum, non ad effrenati caloris incitamentũ sed ad voluntatis arbitrium, quales nuptię perseuerassent si peccati non interuenisset obbrobrium, nunc ostendi non potest, sed ex his quæ diuina authoritate conscripta sunt, nõ immerito credi potest, sic enim modo non innenio sine pruriete libidine concubentem, sicut non inuenio sine dolore & gemitu perturientem, sine futura morte nascentem & tamen secundum sanctarum scripturarum veritatem, gemitus perturientis, & mors hominis non fuissent, si peccatum non pręcessisset, sic nec illud vnde erubuerunt, qui membra illa texerunt, quia & hoc in eisdem sanctis litteris præcedente peccato, scriptum est esse consequutum.

QVÆST. DCXXIIII.

QVare antiquis concessum erat hominibus plures habere vxores, non autem mulieribus concessum fuit, plures habere viros.

De nupt. & concupiscentia lib. 1. cap. 9.

RESPON. Nam si Deo patrum nostrorum, qui etiam noster est, illa numerositas coniugum propterea non displicuisset, vt copiosius se libido iactaret, ita etiam sanctę fœminæ seruissent pluribus singulæ, quod si aliqua faceret, quid eam nisi concupiscentiæ turpitudo compelleret, vt plures viros haberet, quando ista licentia, plures filios non haberet. verumtamen magis pertinere ad nuptiarum bonum. non vnum & multas, sed vnum & vnam, satis indicat ipsa diuinitus facta coniugij copula, vt inde connubia initiũ sumerent, vbi honestius attenderetur exemplum: progrediente autem genere humano iunctæ sunt quibusdam bonis viris bonæ fœminę singuliis plutes, vnde apparet, & illud magis dignitatis appetisse modestiam, & hoc fęcunditatis permisisse naturam, vnde dico quod plures fœminæ vni viro nunquam licitè coniugerentur, nisi ex hoc plures filij nascerentur, vnde si vna cõcumbat cum

pluribus,

pluribus, quia non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis; coniunx non potest esse, sed meretrix.

QVÆST. DCLXI.

AN coniuges dum viuunt possint separari.

RESPON. Dicit Apostolus viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, huius proculdubio sacramēti res est, vt mas, & fęmina connubio copulati, quandiu viuunt insepabiliter perseuerent, nec liceat excepta causa fornicationis a coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & ecclesia, vt viuens cum viuēte, in æternum nullo diuortio separetur, cuius sacramenti tanta obseruatio est in ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cū filiorum procreādorum causa, vel nubant fœminæ vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fecūda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur, cum alijs, alia copulare connubia, qđ etiam Sanctum Moysem dominus propter duritiam cordis illorū Israelitis permisisse testatur. Sed lege euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa si alteri nupserit. *Eod. lib. cap. 10. Colos. 3.*

QVÆST. DCLXII.

AN inter Mariam & Ioseph fuerit verum coniugigium cū non fuerit commixtio carnalis.

RESP. Quibus vero placuit ex consensu, ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt inter illos coniugale vinculum rumpatur, imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quę charius concordiusque seruanda sunt, non voluptatis corporum nexibus, sed voluntarijs affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, coniunx vocatur, ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cognitu rus, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio, erat quippe illa virgo, ideo & sanctius, & mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecūda sine viro prole dispar. fide compar, propter quod fidele coniugium parē *Eod. lib. cap. 11.*

tes

tes Christi vocari ambo meruerũt, & non solum illa mater, verum etiam ille pater eius, sic vt cõiunx matris eius: omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles, fides sacramentum, prolem cognoscimus ipsum dominum Iesum, fidẽ quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum diuortium, solus ibi nuptialis concupitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia. quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis pecccati.

QVÆST. DCLXIII.

AN coniugati in vsu matrimonij, extra intentionem generãdi, sed solum libidinis explendæ, peccent.

Eod. lib. cap. 14. RESPON. Verum in coniugatis sunt aliqua toleranda, ne in damnabilia flagitia, idest in fornicationẽ, vel adulteria corruatur, propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus coniugum, qui non fiunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ seruiũt, in quibus iubentur non fraudare inuicem, ne tentet eos Sathanas, propter intemperantiam suam, non quidem secundum imperium pręcipiuntur, & tamen secundum veniam conceduntur: sic enim scriptum est, vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, ideo dico quod aliud est nõ concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non haber culpam, aliud carnis concumbendo appettere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam,

QVÆST. DCLXIIII.

QVomodo concupiscentia carnis maneat in baptizato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum.

Eod. lib. cap. 25. RESPON. Respondetur Dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed in peccatum non imputetur, quamuis aũt reatu suo iam soluto, manet, tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem; cum exterior induerit incorruptionem. non enim substãtialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed est affectio quædam malę qualitatis, sicut languor, nõ ergo aliquid remanet, quod non remittatur: Reatus igitur concupiscentiæ remittitur, vt in peccatum non imputetur, licet concupiscentia remaneat.

QVÆST.

QVAEST. DCLXV.

AN Eccleſia Chriſti militans ſi ſine omni macula?

Respon. Non ſolum omnia peccata, ſed omnia prorſus hominum mala chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur, quo mũdat eccleſiam ſuam Chriſtus, vt exhibeat eam ſibi, non in iſto ſeculo, ſed in futuro non habentem maculam aut rugã, aut aliquid eiuſmodi. Nam qui modo eam talem eſſe dicunt & tamen in illa ſunt, quoniam & ipſi fatentur ſe habere peccata, ſi verum dicant profecto, quoniam mundi non ſunt a peccatis, habet in eis eccleſia maculam, ſi autem falſum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis eccleſia rugam, ſi autem ſe dicunt habere iſta, nõ ipſam, ergo ſe non eſſe membra eius, nec ſe ad corpus eius pertinere fateãtur, vt etiam ſua confeſſione damnentur. *Eod. lib. cap. 34.*

QVÆST. DCLXVI.

AN antiqui ſaluarentur in fide Chriſti venturi.

Respon. Superioribus temporibus, omni modo latuit ſacramentum iuſtificationis ex fide, eadem tamen fides mediatoris ſaluos iuſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis, non vetus teſtamentum, quod in ſeruitutem generat, non lex, quæ nõ ſic eſt data, quæ poſſet viuificare, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Quia ſicut credimus nos Chriſtum veniſſe in carne, ſic illi venturum: ſicut nos mortuum, ita illi moriturum, ſicut nos reſurrexiſſe, ita illi reſurrecturum, & nos vero & illi ad iudiciũ mortuorum viuorumque venturum. *Eod. li. 2 cap. 12.*

QVÆST. DCLXVII.

AN peccato Adæ annihilatum ſit liberum arbitrium, ita vt in peccatum carnis neceſſitate cogamur.

Respon. Libertas quidẽ perijt per peccatũ, ſed in illa quę in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana, diuina indiget gratia dicente domino, ſi filius liberauerit, tunc vere liberi eritis, vtique liberi ad bene iuſteque viuendum. Nam liberum arbitrium vſque adeo in peccatore non perijt, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum *Ex li. cõtra duas epiſt. Pelagianorum. c. 2. 18. 19*

delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod eis li-
Rom. 6. bet, vnde & Apostolus, cum essetis, inquit, serui peccati, liberi fuistis iustitiæ. Ecce ostenduntur, etiam peccato minime potuisse nisi alia libertate seruire, liberi ergo a iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis, liberi autem a peccato nõ fiunt, nisi gratia Saluatoris, homines enim inquantum homines, opus Dei sunt, sed sub dyabolo esse inquantum peccatores sunt, nisi eruantur inde per Christũ mediatorem: nec ex Dei potentia, vel in malum, vel in bonum, aliquem inuitum cogi, sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante sine meritis conuerti ad bonum. Non enim est
Phil. 2. homo bonus, si nolit: sed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit: quoniam non inaniter scriptum est, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate: & præparatur
Ioan. 6. voluntas a domino: Nemo venit ad me, inquit Christus, nisi pater qui misit me traxerit eum. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahit ergo miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.

QVÆST. DCLXVIII.

AN apud Deum sit acceptio personarum, saluans hunc, & non hunc.

Eod. lib. 2. cap. 7. RESPON. Acceptio personarum ibi recte dicitur, vt ille, qui iudicat, reliquens causæ meritum, de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore vel miseratione sit dignũ: si enim quisquam haberet duos debitores, & vni debitum relaxaret, alteri non, hic non est acceptio personarum, sicuti non fuit in domino vineæ, quando tãtum dedit vltimis
Mat. 20. operarijs, sicuti primis, dicens contra murmurantibus, non facio iniuriã. Tolle, quod tuũ est, volo huic dare sicut & tibi, quid conquereris? An non licet mihi facere, quod volo? sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, & alius non vocatur, vocato datur gratuitum donum, cuius boni est vocatio ipsa principium, nõ vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.

QVÆST.

QVAEST. DCLXIX.

VOcatio Dei ſecundum propoſitum quid eſt?

RESPON. Non enim omnes vocati, ſecundum propoſitũ ſunt vocati qm̃ multi vocati pauci electi: ipſi ergo ſm propoſitũ vocati, qui electi ante conſtitutionem mundi. De hoc propoſito Dei, dicitur de Eſau & Iacob, vt ſm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt, maior ſeruiet minori. Hoc eſt ergo propoſitum Dei, vnde dicitur omnia cooperantur in bonum ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: Hominis aũt propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequẽs gratia, ſed nec ipſum eſſet niſi præcederet gratia: ſtudium quoque hominis, quod dicitur bonum, quamuis cum eſſe cœperit adiuuetur gratia, non tamen incipit ſine gratia, ſed a Deo inſpiratur. *Eod. lib. cap. 9. Mat. 20.*

QVÆST. DCLXX.

AN baptiſmus efficiat id in nobis, quod crux in Chriſto effecit.

RESPON. An ignoratis fratres, inquit Apoſtolus, qm̃ quicumque in Chriſto baptizati ſummus in morte eius baptizati ſumus, conſepulti ergo ſumus illi per baptiſmum in morte. Quid eſt in morte illius baptizati ſumus? vt & ipſi moriamur ſicut & ille? crux enim eſt baptiſma, qđ ergo crux Chriſto, & ſepulcrum, hoc nobis baptiſma factum eſt, tametſi non in eiſdem ipſis, ipſe namque carne mortuus eſt, & ſepultus, nos autem peccato in vtroque, quapropter non dixit, complãtati morti, ſed ſimilitudini mortis, mors namque & hoc & illud, ſed non eidem ipſi ſubiacet. Sed hęc quidem carnis Chriſti, noſtra autem peccati. Quemadmodum ergo illa vera, & hæc. *Contra Iulianũ. li. 1. c. 2. Rom. 6.*

QVÆST. DCLXXI.

MAlum vnde eſt.

RESPON. Reſpondemus, ex bono, ſed non ſummo, & incõmutabili bono: Ex bono igitur inferioribus, atque mutabilibus orta ſunt mala. Quæ mala licet intelligamus non eſſe naturas, ſed vitia naturarum, tñ ſimul intelligimus ea niſi ex aliquibus, & in aliquib. naturis, es ſe non poſſe, nec aliquid eſſe malũ, niſi a bonitate eſſe defectum, ſed cuius defectum, niſi alicuius ſine *Eod. lib. cap. 3.*

dubitatione naturę? Quia & ipsa voluntas mala, non nisi alicuius voluntas est profecto naturę, & Angelus quippe, & homo naturæ sunt. Non enim pôt esse nullius voluntas, qñ est voluntas, & tm̃ valent ęedem voluntates vt earum naturarum quarum sunt, faciant qualitates. Nam si quæratur qualis sit Angelus, vel homo malę volũtatis, rectissimę respõdetur, malus, magis accipiens qualitatis nomen ex voluntate mala, quam ex natura bona. Quoniam natura est ipsa substãtia, & bonitatis, & malitiæ capax, bonitatis capax est, participatione boni a quo facta est, malitiam vero capit, non participatione mali, sed priuatione boni, idest non commiscetur naturæ, quæ aliquid malum est, quia nulla natura, inquantum natura est, malum est. Sed quia deficit a natura, quæ summum atque incõmutabile est bonũ, propterea quia non de illa, sed de nihilo facta est. Alioquin nec malam voluntatem habere posset, nisi mutabilis esset, mutabilis porro natura non esset, si de Deo esset, non ab illo de nihilo facta esset. Quapropter bonorum author est Deus. dum author est naturarum quarum Spontaneos deffectus a bono non iudicat a quo factæ sunt, sed vnde factæ sunt, & hoc non est, aliquid, quoniam penitus nihil est, & ideo non potest authorem habere, quod nihil est.

QVÆST. DCLXXII.

VIrtus quid est.

Eod. li. 4 cap. 3. RESPON. Virtus est animi habitus, naturę, modo, atque rationi consentaneus.

QVÆST. DCLXXIII.

Eod. lib. & cap. AN peccare conuincatur, qui non recto fine bonum operatur.

RESPON. Officium est autem quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum est, cum itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, si non proprter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur.

QVÆST. DCLXVIIII.

QVomedo vult Deus oẽs saluos fieri si permittit multos paruulos nõ habẽtes velle, perire sine baptismo pp qđ dãnantur.

RESPON.

RESPON. Si quis dicat hoc Apostolicum testimonium sic intelligendum, vt ponat omnes pro multis, quos ad istam salutem vult venire, multo conuenientius propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit, nisi quem venire voluerit ipse. Nemo venit ad me siue venire potest nisi pater meus, inquit filius, traxerit eum, & nemo potest venire ad me nisi fuerit datum ei a patre meo; Omnes ergo qui salui fiunt, & in agnitionē veniūt veritatis, eo volēte salui fiunt, eo volente veniunt. Quia & si nondum sicut paruuli vtuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerātur, quo creante generātur, & qui iam vtuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subuenien te a quo pręparatur voluntas, velle non possunt, cur igitur & in ma ioribus, & in minoribus Deus velit alteri & non alteri subuenire. Dum tamen certum & immobile teneamus, non esse iniquitatem apud Deum, qua quemquā sine malis meritis damnet, & esse bonitatem apud Deum, qua multos sine bonis meritis liberet, demonstrans in eis, quos dānat, quod omnibus debeatur, vt hinc discant quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur, & quæ indebita gratia condonetur. *Eod. lib. cap. 8.* *Ioan. 6.*

QVÆST. DCLXXV.

AN pudicitia virginalis in impijs, sit vera pudicitia.

RESPON. Nec in impijs inuenitur pudicitia virginalis, quamuis inueniatur virginitas carnis, quia vera pudicitia non potest haberi in animo fornicante. *Eod. lib. & cap.*

QVÆST. DCLXXVI.

AN prędestinati possint perire.

RESPON. Quos prædestinauit, illos & vocauit, quos vocauit ipsos, & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit hi, sunt secundum propositum vocati, ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo qui vocat ea, quæ non sunt tam quam sint, sed electi per electionem gratiæ, vnde dicit, idem doctor, & de Israel. Reliquię p electionē gratię salue factæ sunt, & ne forte ante constitutionē mūdi ex operibus præcognitis putarētur electi, secutus est, & adiunxit, si aūt gr̄a iā nō ex operibus, alioquin gratia iā nō est gratia, ex isto numero electorū & p̄destinatorū, ēt *Eod. li. 5 cap. 3.* *Rom. 8.* *Rom. 11.*

qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam nō sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, vt ostendatur & ipsis, & aliis cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ętate moriatur, absit enim, vt *Ioan. 6.* prædestinatus ad vitam sine sacramento mediatoris, finire permittatur hanc vitam, propter hoc Dominus ait. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt ad vtilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere, ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cum & hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem seculi pręsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pęnitentiam salubrem, & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, siue illis ampliorem patientiam, siue nō imparem præbeat. Quamuis ergo omnes ex eadem massa perditionis, & damnationis, secundum duritiam cordis sui & cor impœnitens, quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram in die ire, quo redditur vnicuique secundum opera sua. Deus tamen alios, inde per misericordiam bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum iustum iudicium non adducit, habet enim potestatem *Ioan. 9.* adducendi, & trahendi ipso domino dicente. Nemo venit ad me nisi pater qui misit me traxerit eum.

QVÆST. DCLXXVII.

AN liceat furari, vt sancti pauperes pascantur.

Eod. lib. cap. 8. RESPON. Sic enim non sunt facienda adulteria etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta facienda sunt etiam voluntate pascendi pauperes sanctos, quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed bene vtendo Mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiantur in tabernacula ęterna, sicut non adulteria committendo, sed coniugaliter bene vtendo malo libidinis ea voluntate generandi sunt filij, vt cum eis regnetur in ęternum.

QVÆST. DCLXXVIII.

AN paruulis morientibus sine baptismo fuerit melius non nasci, quàm nasci.

RESPON. Ego non dico paruulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret. Quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quãuis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli essent, quàm vt ibi essent, potius expediret. *Eod. lib. & cap.*

QVÆST. DCLXXIX.

AN in conceptione Virginis fuerit concupiscentia aut libido.

RESPON. Sine dubio, caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati. Quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et hic apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus quãuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. *Eod. lib. cap. 9.*

QVÆST. DCLXXX.

AN vsu bono male rei, ipsa fiat bona.

RESPON. Malo bene vti non est peccatum. Nec quæcunque res ideo bona est, quia ea bene vtitur bonus, nam & duobus hominibus scriptum est, filius eruditus sapiens erit, imprudentiæ autem ministro vtetur, nunquid ideo bonum est, imprudentem esse, quia bene illo vtitur sapiens? *Eod. lib. cap. 10.*

QVÆST. DCLXXXI.

AN gratia Dei in homine liberet eum ab omnibus malis.

RESPON. Gratia perfectè hominem nouum facit, quando quidem & ad corporis immortalitatem, plenamque fœlicitatẽ, *Eod. li 6 cap. 3.*

ipsa producit. Nunc etiam perfecte innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam.

QVÆST. DCLXXXII.

AN concupiscentia sit peior ignorantia.

Eod. lib. cap. 5.

RESPON. Concupiscentia peior est quam ignorantia, quia ignoranria sine concupiscentia minus peccat, concupiscentia vero sine ignorantia grauius peccat, & nescire malum, non semper est malum, cõcupiscere autem malum, semper est malum, bonum quoque ipsum vtiliter aliquando ignoratur, vt opportune sciatur. Nullo autem modo fieri potest, vt carnali concupiscentia bonum homini concupiscatur, quando quidẽ nec ipsa proles, libidine corporis sed voluntate animi concupiscitur, quamuis non sine libidine corporis seminetur.

QVÆST. DCLXXXIII.

AN anima humana sit de natura Dei.

De aïa et eius orig. lib. 1. c. 4 15.

RESPON. Quod enim de Deo est, necesse est vt eiusdem naturæ sit cuius ipse est, ac per hoc etiam immutabile sit. Anima vero, quod omnes fatentur, mutabilis est. Non ergo de ipso, quia non est immutabilis sicut ipse. Si autem de nulla alia re facta est, de nihilo facta est proculdubio, sed ab ipso, vnum est enim ex duobus, si ex traduce non est, ex nihilo est, ne ita sit ex Deo, vt naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere.

QVÆST. DCLXXXIIII.

QVomodo bonus latro sine aquę baptismo saluatus sit.

Eod. lib. cap. 9.

RESPON. Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo aut morte pro Christo: vnde & latro ille non ante crucem domini sectator, sed in cruce confessor. De quo, nonnunquam pręiudicium captatur siue tentatur contra baptismatis sacramentum: A Cypriano Sancto inter martyres computatur, qui suo sanguine baptizatur, quod plerisque non baptizatis feruente persecutione euenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumque

valuit

valuit apud eum, qui hæc nouit appendere, quod est dominum crucifixum, quantum si fuisset pro domino crucifixus, tūc enim fides eius de ligno floruit, quādo discipulorum marcuit, nisi cuius mortis terrore marcuerat eius resurrectione reuiresceret, illi enim desperauerunt de moriente, ille sperauit in commorientem. Refugerunt illi authorem vitæ, rogauit ille consortem pœnę, doluerunt illi tamquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem, deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille socium crucis, inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres: & hoc quidem oculis domini clarum fuit, qui nō baptizato, tanquam martyrij sanguine abluto tantam fœlicitatem statim contulit. Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur, latronem, qui tunc credidit iuxta dominum crucifixum, aqua illa quę de vulnere lateris eius emicuit, tamquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum.

QVÆST. DCLXXXV.

DVritia cordis quid est, & an Deus induret, & quomodo induret?

RESPON. Quem vult indurat, nō ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est duritia, quam Dei obuiare mandatis, indurare enim dicitur Deus eum, quem mollire noluerit, sic etiam excecare dicitur eum quem illuminare noluerit, sic etiam repellere eū, quem vocare noluerit, si non mollificat, si non illuminat, nec secūdum propositum vocat, non iniustus est Deus. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ò homo tu quis es qui respondeas Deo, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat, gratulare igitur tu quicunque illuminatus es, & gratiam quam nō merebaris agnosce, geme, quicumque induratus es, & iustitiam confitere, dico quicumque ablatus es ab originali peccato lauacro gratię, misericors & miserator dominus, die quicumque damnaris, iustus es dominę in omnibus, quę fecisti nobis, & omnia iudicia, tua vera.

Ex li. de prædestinatione & gratia c. 4. 5 14.

Rom. 9.

QVAEST. DCLXXXVI.

De prædestinat. sanctorũ li. 1. c. 2. 3. 5. 9.

CRedere quid sit, & an fides detur ex meritis præcedentibus.

RESPON. Ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit, cum ideo cogitent plerique, ne credant, sed cogitat omnis, qui credit, & credẽdo cogitat, & cogitando credit. Nos non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis metipsis, quod sine cogitatione nõ possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est, quo circa, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendũ quodcunque opus bonum, vnde in omni opere bono incipiendo, & perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est, ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est, quoniam fides si non cogitetur, nulla est, & nõ sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Dixi enim in epistola ad Romanos. Quod.n. credimus nostrum est, quod autem operamur bonum illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum, profecto non dicerem, nisi iã scirem etiam ipsam fidem inter dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu, vtrunque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrunque tamen datum est, per spiritum fidei, & charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est, charitas cũ fide à Deo patre, & domino Iesu Christo, & quod paulò post dixi. Nostrum est enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris. Verum est quidẽ, sed eadem regula, & vtrunque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrunque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis, ac per hoc quod etiam postea dixi. Quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit volũtas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus prebeat, & perducat quo vocat. Ac deinde subiunxi, manifestum est ergo, nõ volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse, quòd bene operamur, omnino verissimum est, & quod electio consecuta est, gratis consecuta est, non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis pro nihilo enim saluos fecit illos, & si diceretur de Cornelio, quod antequam crederet in Christũ exaudita est oratio

1. Cor. 3.

Act. 10.

tio ſua & eleemoſynæ fuerunt acceptæ Deo, ideo ex his meruit, vt illuminaretur per Petrum de fide Chriſti. Dicitur quod ſine aliqua fide non orabat, nec eleemoſynas dabat: quomodo inuocabat, in quem non crediderat, ſed quia ſine Chriſti fide non poterat ſaluus eſſe: Ideo miſsus eſt Petrus: Dicatur ideo quod in vanum laborat, prædicando ædificans fidem, niſi eam dominus miſerando intus ædificet, quid igitur & antequam in Chriſtum crederet, & cum crederet, & cum credidiſset, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne forte quis extollatur, fides igitur & inchoata, & perfecta donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare, cur autem non omnibus detur, fidelẽ mouere non debet, qui credit ex vno omnes iſse in condemnationem ſine dubitatione iuſtiſſimam.

QVAEST. DCLXXXVII.

QVare Chriſtus poſt tot tempora, tandem in carne apparuerit.

RESPON. Tunc voluit hominibus apparere Chriſtus, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſse, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis quibus Euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſse præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in eius præſentia corporali fuerunt, qui in eũ, nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quid ergo mirum ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſeculis nouerat, vt eis apparere vel prædicari nollet merito, quos nec verbis, nec miraculis ſuis crediturus eſse præſciebat. *Eod. lib. cap. 9.*

QVÆST. DCLXXXVIII.

QVid inter ſit inter prędeſtinationem & gratiam.

RESPON. Inter gratiam porro, & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quòd prędeſtinatio eſt gratię præparatio. Gratia vero iam ipſa donatio, quod itaque ait Apoſtolus: Non ex operib. ne forte quis extollatur ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis gratia eſt, quod autem ſequitur, quę præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prędeſtinatio eſt, quæ ſine *Eod. lib. cap. 10.*

prẹſcientia

prę ſcientia non poteſt eſse, poteſt autem eſse ſine prędeſtinatione præſcientia, prædeſtinatione quippe Deus ea pręſciuit, quę fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt, fecit quę futura ſunt, pręſcire autem poteſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata. Quocirca prędeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratię eſt vt dixi pręparatio. Gratia vero eſt ipſius prędeſtinationis effectus.

QVÆST. DCLXXXIX.

AN ſit hereſis Pellagiana dicere Deum elegiſse ſanctos ab æterno ex præuiſis meritis.

Eod. lib. cap. 18. RESPON. Præſciebat ait Pellagianus, qui futuri eſsent ſancti & immaculati per liberę voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mũdi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſse p̃ſciuit elegit. Elegit ergo inquit antequam eſsent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos immaculatosq́ue præſciuit, vtique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſse præuidit. Contra hanc doctrinã eſt Apoſtolus, dum dicit, quòd elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſsemus ſancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſsemus ſancti, elegit.

QVÆST. DCXC.

AN perſeuerantia in bono vſque in finem ſit donum Dei.

De bono perſeuerantiæ. li. 2. c. 2. Mat. 10. Phil. 1. RESPON. Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit, hoc donum Dei eſt, quod ſi non ſit, quomodo verum eſt, quod Apoſtolus ait: Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt credatis in eum, verum etiam vt patiamini pro eo, horum quippe vnũ pertinet ad initium, alterum ad finem, vtrunque tamen eſt Dei donum, quia vtrunque dictum eſt eſse donatum. Quod enim eſt initium verius chriſtiano, quàm credere in Chriſtum? Quis finis melior eſt, quàm pati pro Chriſto? Quid autem dici poteſt, cur perſeuerantia vſque in finem, non donetur in Chriſto, cui donatur pati pro Chriſto, aut vt expreſſius eloquar, cui donetur mori pro Chriſto?

QVÆST. DCXCI.

AN quis castus, vel alia virtute præditus, possit dici castus, si nõ perseuerauerit vsque in finem in tali virtute.

RESPON. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit, in eadem castitate mansurus, & si quid aliud diuini muneris, quod teneri & amitti potest, Dicimus eum habere, quandiucunque habet & si amiserit, dicimus habuisse, sed non perseuerantiam vsque in finem quam non amisisset, si vsque in finem donata esset. Cum enim perseuerauerit quisque vsque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finẽ. Quomodo enim potest amitti, per quod fit, vt non amittatur etiã quod posset amitti? *Eod. lib. cap. 6.*

Exemplum in confirmatione opinionis Aug. circa prædestinationem. Eod. lib. cap. 15.

Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripiẽtibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat, qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profecto & verũ dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum, sed vsque adeo profecit in malum, vt deserta monasterij societatę, fieret canis reuersus ad suum vomitum, & tamen adhuc, qualis sit futurus, incertum est.

QVAEST. DCXCII.

AN prædestinatio sit prædicanda.

RESPON. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur, prædicanda est pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur, prædicanda est charitas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur, ita & prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in seipso, sed in domino glorietur, & licet possit ꝑdicari non tamen sic est dicendum. Si qui autem obediunt, sed in regnũ eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsq; in eadẽ obedientia permanebunt, quamuis ergo hęc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt, audiẽtib. multis, vt sermo ad ipsos cõuertatur, sed cõgruentius dici põt, ita se hẽt de prædestinatione definita *Eod. lib. c. 20. 22*

sententia

ſententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem acces pta voluntate obediendi, & accepta perſeuerantia maneatis in fide? Nec illud quod ſequitur eſt omnino dicendum, id eſt cęteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum ſurrexiſtis quia necdum vos adiutorium gratiæ miſerantis erexit, cum bene & conuenienter dici poſſit, & debeat. Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite ſaluberrimam diſciplinam. Quod tamen cum feceritis,
Phil. 2. nolite extolli, quaſi de operibus veſtris, aut gloriari, quaſi hoc non acceperitis. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate. & a domino greſſus veſtri diriguntur, vt eius viam velitis. De ipſo autem curſu veſtro bono rectoque condiſcite vos ad prædeſtinationem diuinę gratiæ pertinere. Dicatur etiã & ſi qui ſunt nondum vocati, pro eis, vt vocentur: oremus, fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam qua velint eſſe, atque efficiantur electi, Deus enim qui omnia quæ prędeſtinauit impleuit: ideo & pro inimicis fidei orare nos voluit, vt hinc intelligeremus, quod etiam ipſe infidelibus donet, vt credant, & uolentes ex nolentibus faciat.

QVÆST. DCXCIII.

AN neſcientes Deum ſiue Chriſtum ſimpliciter, ideſt quia nõ audierunt ſint in inferno cruciandi.

Ex li. de gratia et libero arbitrio. cap. 3. RESPON. Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tamquam ſimpliciter neſciunt neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet, ſed fortaſſis, vt mitius ardeat, non enim ſine cauſa dictũ eſt. Effunde iram tuam in gentes,
Pſ. 78. qui te non nouerunt. Et illud quod ait Apoſtolus. Cum venerit
2. Teſſ. 1 in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.

QVÆST. DCXCIIII.

AN poſt gratiam datam bene operando mereamur.

Eod. lib. cap. 6. RESPON. Gratia non datur ſecundũ merita noſtra, quando quidem non ſolum nullis bonis verum etiam nullis meritis præcedentibus videmus datam & quotidie dari videmus, ſed planè

nè cum data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona per illam tamen, nam si illam subtraxerit cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cęperit homo habere merita bona non debet sibi tribuere illa, séd Deo, cui dicitur in Psal. Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Dicendo ne derelinquas me, ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se. Dona enim Dei sunt merita nostra, & cum ea coronat, tanquam dona sua coronat, & non tanquam merita nostra, licet sint merita nostra. *Psal. 26*

QVAEST. DCXCV.

QVomodo gratia est vita æterna si bonis operibus redditur, vt inquit Paulus qui reddet vnicuique secundum opera sua. *Rom. 2.*

RESPON. Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus Iesus. Sine me nihil potestis facere. Nam cum dicit Apostolus. Gratia salui facti estis per fidem, non ex operibus, ne quis extollatur; tu intellige, non ex operibus dictum, tamquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, idest formauit, & creauit. Ait enim ipsius figmentum sumus. Creati in Christo Iesu in operibus bonis, creatione scilicet spirituali & gratuita. Ista enim bona opera nostra præparauit Deus, vt in illis ambulemus: itaque charissimi, vita bona nostra nihil aliud est, quā Dei gratia: sine dubio & vita ęterna quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur, sed illa cui datur, tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit, quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus, secundum opera eius, corona quidem bonis operibus redditur, sed quia Deus ipsa bona opera in bonis operatur, de quo dictum est, Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate: ideo dixit Psalm. coronat te in miseratione & misericordia, quia eios miseratione bona operamur, quibus corona reddetur, nec quia hæc ita se habent liberum arbitriū putandum est auferri. *Eod. lib. cap. 8.9.* *Ioan. 15.* *Eph. 2.* *Phil. 2.* *Ps. 102.*

QVÆST.

QVAEST. DCXCVI.

AN Adam ante peccatum non habens donum perſeuerantiæ, quomodo poſſit ſine vitio dici fuiſſe, & iterum ſi donum perſeuerantiæ non habuit, quia ſi habuiſſet, non peccaſſet, peccauit, igitur non accepit, quomodo igitur peccauit? ſi non habuit perſeuerantiæ donum & ſine eo homo non euadit peccatum.

Ex li. de corrupt. et gratia c. 10. 12

RESPON. Primæ interrogationi facile reſpondetur eam perſeuerantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio fuit non perſeuerauerit, cœpit enim habere vitium, ex quo cecidit, & ſi cœpit, antequam cœpiſſet vtique ſine vitio fuit, aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate in qua nullum vitium eſt, non manere, fuit quidem Adam aliquando ſine vitio, ſed non permanſit ſine vitio.

Secundæ interrogationi reſpondentes, confitemur quod rectiſſime credimus Deum dominumque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura eſſe præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiã de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorũ liberum arbitrium, Deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæque iudicium ac ſi diceret: per poteſtatem liberi arbitrij Adam dum erat ſine vitio. ſic permanere potuiſſet gratia adiutus, & poſtmodum accepiſſet, vt vlterius cadere non poſſet. Demum beatitudinis plenitudinem, quemadmodum in bonis Angelis factum eſt. Quia igitur Adam per liberum arbitrium Deum deſeruit, iuſtum iudicium Dei expertus eſt, vt cum tota ſua ſtirpe, quę in illo adhuc poſita, tota cum illo peccauerat, Damnaretur: primus itaque homo, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere datum eſt adiutorium perſeuerantiæ non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc vero prædeſtinatis, non tantum tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolum vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verum etiam, vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint, non ſolum enim dixit, ſine me nihil poteſtis facere, verum etiam dixit.

Ego

Ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

QVAEST. DCXCVII.

PEccatum ad mortem quid eſt, ſecundum Auguſt.

RESPOND. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget quis, de quo peccato quoniam non expreſſum eſt. poſſunt multa & diuerſa ſentiri. Ego autem dico id eſſe peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur deſerere vſque ad mortem. *Eod. lib. cap. 12. 1. Io. 5.*

QVÆST. DCXCVIII.

AN numerus prædeſtinatorum, ſiue ſaluandorum, ſit certus & determinatus.

RESPON. Item eſt numerus prædeſtinatorum certus, vt nec addatur eis quiſquam nec minuatur ex eis, non de his, qui cum an nuntiaſſet, & locutus eſſet, multiplicati ſunt ſuper numerum, ipſi autem vocati dici poſſunt, non autem electi, quia non ſecundũ pro poſitum vocati. Certum vero eſſe numerum electorum, neque augendum, neque minuendum manifeſtatur in Apocalipſi dum dici tur. Tene quod habes, ne alius accipiat coronã tuam. Si enim alius nõ eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus. *Eod. lib. cap. 13.* *Apoc. 3.*

QVÆST. DCXCIX.

AN errantes ſint corripiendi, ſiue ſint de numero ſaluandorũ, ſiue non.

RESPON. Si is qui corripitur ad prædeſtinatorum numerũ pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum, ſi autem nõ pertinet, ſit ei correptio pœnale tormentum, ſub iſto ergo incerto ex charitate adhibenda eſt correptio, cuius exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum eſt vt ſanetur. *Eod. lib. & cap.*

QVÆST. DCC.

AN peccatum ſit naturale.

RESPON. Reſpondetur naturale non eſſe peccatũ, ſed naturæ præſertim vitiatæ, vnde facti ſumus natura filij iræ, parumq; *Ex li. de perfectio ne iuſtitiæ ratio cinatione 3*

esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiuta, sanetur gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.

QVÆST. DCCI.

Eod. lib. ratiocina tione 6. MVndus corde & rectus corde quomodo differant?

RESPON. Puto autem interesse, inter rectum corde, & mundum corde. Nam & rectus corde in ea quæ ante sunt extenditur, ea quæ retro sunt obliuiscens, vt recto cursu, idest recta fide, atque intentione perueniat, vbi habitat mundus corde.

INCIPIT TOMVS OCTAVVS.

QVÆST. DCCII.

Ex titu. primi ps. 1. Para. 15. et 16 AN omnes Psalmi sint ęditi à Dauid?

RESPOND. Non enim omnes Psalmi ęditi sunt à Dauid: Ipse enim Dauid ex omni populo quatuor Principes Spiritu Sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt Asaph, Eman, Etã, & Idithum, vt in quemcunque diuinus spiritus intrasset Hymnum Deo caneret, Dauid solus ergo nouem Psalmos ore proprio cecinit. Reliqui autem ab illis quattuor Principibus iuxta titulorum inscriptionem sunt dicti.

QVÆST. DCCIII.

QVid sit in lege esse, & sub lege.

Psal. 1. RESPON. Aliud est esse in lege, & aliud sub lege. Qui est in lege, secundum legem agit, qui est sub lege, secundum legẽ agitur, ille ergo liber est, iste seruus.

QVAEST.

QVÆST. DCCIIII.

QVomodo impij & peccatores in iudicio resurgent.

RESPON. Certe si aliud sunt impij aliud peccatores, vt quamquam omnis impius peccator sit, non tñ omnis peccator sit impius, impij non resurgent in iudicio, ideſt resurgent quidem, sed non vt iudicentur, quia iam pœnis certissimis destinati sunt, peccatores autem non resurgent in consilio iustorum, ideſt vt iudicent, sed forte vt iudicētur, vt de his dictum sit, vniuscuiusq; opus, quale sit ignis probabit, si cuius opus mãserit mercedem accipiet, si cuius autem opus exustum fuerit, detrimentum patietur ipse autem saluus erit. Sic tamen quasi per ignem. *Psal.* 1. 1.*Cor.*3.

QVÆST. DCCV.

QVid sit ira & furor Dei?

RESPON. Iram autem & furorem Domini Dei, non perturbationẽ oportet intelligi: Sed vim qua iustissimè vindicat subiectam sibi ad ministerium vniuersam creaturam, nam omnia cũ tranquilitate iudicat & dispọnit, ira ergo Dei est motus, qui fit in anima quæ legem Dei nouit, cum eandem lęgem videt a peccatore præteriri, per hunc enim motum iustarum animarum multa vindicantur, quamquam possit rectè intelligi etiam ipsa mentis obscuratio, quæ consequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur. *Psal.* 2. *Sap.* 12.

QVÆST. DCCVI.

DIapsalma quid sit?

RESPON. Diapsalma, siue hebræum sit verbũ, sicut quidam volunt, quo significatur fiat, siue græcum quo significatur interuallum psallendi, vt psalma sit quod psallitur, Diapsalma vero, interpositum in psalendo silentium, vt quemadmodum simpsalma dicitur vocum copulatio in cantando, ita diapsalma disiunctio earum, vbi quædam requies disiunctę continuationis ostenditur. *Psal.* 4.

QVÆST. DCCVII.

AN mendacium iocosum vel pro proximi vtilitate dictum, sit licitum.

Psal. 5. RESPON. Multa quidem videntur pro salute, aut commodo alicuius non malitia sed benignitate mendacia. Quale fuit illarũ obstetricum, quæ Pharaoni mendacium dixerũt, ne infantes necarentur, sed etiam ista non re, sed dolo laudantur. Qm̃ qui tm̃ hoc modo mẽtiuntur merebuntur aliqñ ab oĩ mendacio liberari. Nam in his qui pfecti sunt, nec ipsa mẽdacia inueniũtur: Duo sunt oĩno genera mẽdaciorũ, in quibus nõ magna culpa est, sed nõ sunt sine culpa, cũ aut iocamur, aut vt proximis prosimus mentimur. Illud primũ in iocando, ideo nõ est pnitiosissimum, quia nõ fallit. Nouit .n. ille cui dr̃ ioci causa esse dictũ. Secundũ aũt ideo mitius est, quia retinet nõnullã beneuolẽtiã, illud vero qđ non hẽt duplex cor, nec mendaciũ quidẽ dicendũ, sicuti quisquã nõ vult dare gladiũ furẽti licet promiserit dare, dũ erat sine furore nõ vult modo dare, ne aliquid mali faciat. Hic non hẽt duplex cor, quia qñ promisit, nõ credebat furentẽ debere esse, ideo deducitur non esse culpandũ aliqñ verũ tacere, sed dicere falsum, nõ inuenitur cõcessum viris pfectis.

QVAEST. DCCVIII.

CVm punit Deus, punit ne inferens de seipso malum.

Eod. Ps. RESPON. Cum ergo punit Deus, vt iudex punit eos, qui legem prætereunt, non eis inferens de seipso malum: Sed in id quod elegerunt, eos expellens ad complendam summam miseriarum. Homo aũt cum malum pro malo reddit, id malo voto facit, & ob hoc prior ipse malus est, dum punire vult malum.

QVÆST. DCCIX.

AN Deus pręparet hęreticos & alios peccatores directè.

Psal. 7. RESPON. Quęri potest quę sint vasa mortis, an forte hęretici? Nam & ipsi ex eadem arca, idest ex eisdem scripturis in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliũt, qđ non contingit, nisi p meritis: Propterea diuinę puidentiæ, ẽt ista dispositio tribuẽda est, nõ quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cũ peccauerint. Malo .n. voto p peccatum legẽtes, male cogit intelligere, vt ipsa sit pęna peccati, quorũ tñ morte, filij catho

licæ

licę eccleſiæ, tamquam quibuſdam ſpinis a ſonno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant ſcripturarum, oportet enim hæreſes eſſe, vt probati inquit manifeſti fiant inter vos, hoc eſt, inter homines, cum manifeſti ſint Deo. *1. Co. 11*

QVÆST. DCCX.

Ciuitas vt talis dicatur, quæ requiruntur.

RESPON. Vbi rex, vbi curia, vbi miniſtri, vbi plebs inueniuntur, ibi ciuitas eſt. *Pſal. 9.*

QVAEST. DCCXI.

Pes animæ, quid eſt.

RESPON. Pes animæ recte intelligitur amor. Qui cum prauus eſt, vocatur cupiditas, aut libido, cum auté rectus dilectio, vel charitas, amore enim mouetur tamquam ad locum quo tendit, locus autem animæ, non in ſpacio aliquo eſt, quod forma occupat corporis. Sed in delectione, quo ſe perueniſſe per amoré letatur, delectatio aũt pernitioſa, ſequitur cupiditatem, fructuoſa charitaté, vnde & radix dicta eſt cupiditas, radix porro tamquã pes arboris intelligitur, radix dicta eſt charitas, vbi de ſeminibus dñs loquitur quę in petroſis locis exeũt, & veniente, ſole areſcunt, quia non habent altã radicé, vnde ſignificat eos, qui gaudét accipiédo verbum veritatis, ſed cędunt perſequtionibus, quibus ſola charitate reſiſtitur, & Apoſtolus dicit, in charitate radicati, & fundati posſitis comprehendere. *Eod. Pſ.* *Eph. 3.*

QVÆST. DCCXII.

Ira Dei magna quomodo a nobis cognoſcitur.

RESPON. Multũ iraſcitur dñs, dũ nõ exquirit, dũ quaſi obliuiſcitur, & non attédit peccata, & per fraudes, & ſcelera, ad diuitias honoreſq; peruenitur, ſicuti erit in Antichriſto, qui erit in tãta ęſtimatione, vt putetur Deus, ſed quanta ſit iſta Dei ira, docent ſequentia, non eſt, Deus in conſpectu eius contaminantur viæ eius in omni tempore, qui nouit, vel quid gaudeat, vel quid letetur in anima, nouit quantum malum ſit a luce deſeri veritatis. *Eod. Pſ.*

QVÆST. DCCXIII.

PErsecutiones magnę in ecclesia quot sunt?

Eod. Ps. RESPON. Tres sunt persecutiones. Prima enim persecutio ecclesiæ, violenta fuit cum proscriptionibus, tormentis, cedib. christiani ad sacrificandum cogerentur, altera persecutio fraudulēta est, quę nunc per huiuscemodi hęreticos, & fallos fratres agitur. Tertia superest per Antichristum vētura, qua nihil est periculosius, quoniam & violenta, & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.

QVÆST. DCCXIIII.

QVomodo Luna crescat & decrescat, & quomodo significet catholicam ecclesiam.

Psal. 10 RESPON. Duę sunt de Luna opiniones probabiles, harum autem quę vera sit, aut non omnino, aut difficile arbitror posse hominem scire, cum enim queritur, vnde lumen habeat, alij dicunt suum habere, sed globum eius dimidium lucere, dimidium autem obscurum esse, dum autem mouetur in circulo suo, eandem partē qua lucet, paulatim ad terras conuerti, vt videri a nobis possit, & ideo prius quasi cornutam apparere. Nam & si facias pilam ex dimidia parte candidam, & dimidia obscuram, si eam partem quæ obscura est, ante oculos habeas, nihil candoris vides, & cum cœperis illam candidam partem ante oculos conuertere, si paulatim facias, primo cornua candoris videbis. Deinde paulatim crescit, donec tota pars candens opponatur oculis, & nihil obscurę alterius partis videatur, quod si perseueres adhuc paulatim conuertere, incipit obscuritas apparere, & candor minui, donec iterum ad cornua redeat, & postremo totus ab oculis auertatur, ac rursus obscura illa pars sola possit videri. Quod fieri dicunt, cum lumen Lunę videtur crescere, vsque ad quintam decimam Lunam, & rursus vsque ad tricesimam minui, & redire ad cornua. Donec penitus in ea nihil lucis appareat: secundum hanc opinionem, Luna in allegoria ecclesiam significat, quòd ex parte spiritali lucet ecclesia, ex parte autem carnali obscura est, & aliquando spiritalis pars in bonis operibus apparet hominibus, aliquando autem in conscientia

latet,

latet, ac Deo tantumodo nota est, cum solo corpore apparet hominibus, sicut contingit cum oramus in corde, & quasi nihil agere videmur: Dum non ad terram, sed sursum cor habere iubemur ad dominum, alij autem dicunt, non habere lunam lumem propriũ, sed a sole illustrari, sed quando cum illo est, eam partem ad nos habere, qua non illustratur, & ideo nihil in ea lucis videri, cum autem incipit ab illo recedere, illustrari ab ab etiam parte, quam hẽt ad terram, etiam necessario incipere a cornibus, donec fiat quinta decima contra solem, tunc enim sole occidente oritur, vt quisquis occidentem solem obseruauerit, cum eum cœperit non videre conuersus ad orientem, lunam surgere videat. Atque inde ex alia parte, cum ei cœperit propinquare, illam partem ad nos conuertere, qua non illustratur, donec ad cornua redeat, atque omnino nõ appareat, quia tunc pars illa qua illustratur, sursum est ad cœlum, ad terram autem illam, quam radiare sol non potest, ergo & secundũ hanc opinioem luna intelligitur ecclesia, quod suum lumem non habeat, sed ab vnigenito Dei filio, qui multis locis in sanctis scripturis, allegorice sol appeilatus est, illustratur. Quælibet ergo duarum istarum opinionum, vera sit congruenter accipitur allegorice Luna ecclesia.

QVÆST. DCCXV.

QVomodo Deus auertit faciem suam a nobis.

Respon. Auertere aũt faciem Deus dicitur, dũ nõ dat animæ notitiã sui, quæ adhuc purum mentis oculum non habet. *Psal. 12*

QVAEST. DCCXVI.

AN Christus timebat mori, quando in horto orabat, vt auferetur calix.

Respon. Putatis forte, quando dixit dominus, pater si fieri potest &c. mori timebat? Nõ est fortior miles quam imperator, sufficit seruo vt sit sicut dominus eius, Paulus enim dicit, miles regis Christi: Compellor e duobus, concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo, ille optat mortem vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem? Sed quid nisi infirmitatem nostram portabat, & pro ijs qui adhuc timent mortem, in corpore suo con- *2. Expositione. Psal. 21 Mat. 26. Phil. 1.*

ſtitutis, iſta dicebat, inde erat illa vox membrorum ipſius, vox erat non capitis.

QVAEST. DCCXVII.

Ead. expoſition.

AN omnes clamãtes ad Deum exaudiantur, in tribulationibus. RESPON. Multi enim clamanr in tribulatione, & non exaudiuntur, ſed ad ſalutẽ & non ad inſipientiã, clamauit Paulus vt ab eo aufferetur ſtimulus carnis, & non eſt exauditus vt aufferetur, & dictum eſt ei, ſufficit tibi gratia mea, nã virtus in infirmitate perficitur, ergo non eſt exauditus, ſed non ad inſipientiam, ſed ad ſapientlam, vt intelligat homo medicum eſſe Deum, & tribulationẽ medicamentum eſſe ad ſalutem, non pęnam ad damnationem, ſub medicamento poſitus vteris, ſecaris clamas, non audit medicus ad voluntatem, ſed ad ſanitatem.

QVÆST. DCCXVIII.

Præfatione in ſecundam expoſitionem. Pſal. 25

QVis eſt noſter proximus? RESPON. Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Ne autem quiſque veſtrum ita cogitet fratres, cum chriſtiano loquendo veritatem, & cum pagano mendaciũ, cum proximo iubemur loqui veritatem, proximus tuus ille eſt, qui tecum natus eſt ex Adam & Eua, omnes proximi ſumus conditione terrenæ natiuitatis, ſed aliter fratres illa ſpe cœleſtis hæreditatis: proximum debes putare omnem hominem, & antequam ſit chriſtianus.

QVAEST. DCCXIX.

2. enarratione. Pſal. 25

AVdire vocem laudis quid ſit. RESPON. Audire vocem laudis eſt intelligere intus, quia quidquid in te mali eſt, de peccatis tuum eſt, quidquid boni in iuſtificationibus, Dei eſt, ita audis vocem laudis, vt non te laudes, qñ bonus es. Nam laudando te, ſis malus, bonum te fecerat humilitas, malum te facit ſuperbia, conuerſus eras vt illuminareris, & conuerſione tua factus es luminoſus factus illuſtratus conuerſione, ſed a quo. Nunquid a te? Si a te conuerſus poſſes illuminari nunquã poſſes tenebrari, quia tecum eſſes ſemper. Quare illuminatus es?

quia

quia conuertisti te ad aliud quod tu non eras, quid est aliud quod tu non eras? Deus lumen est. Non enim tu lumen eras, quia peccator eras, Deus lumen est.

QVÆST. DCCXX.

QVis est, qui vere fœlix vocatur.

RESPON. Vere fœlix est, non qui habet q̃d amat, sed si id amet, quod amandum est, multi enim miseri sunt, magis habendo quod amant q̃ carendo, amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores, & propitius Deus cum male amamus, negat q̃d amamus, iratus dat amanti quod male amat. *2. enarratione. Psal. 26*

QVÆST. DCCXXI.

QVid sit desiderandum in domo Dei, idest in Paradiso.

RESPON. Interrogemus quasi curiosius, & dicat iste, q̃d nos, quid ipse acturus est in ipsa domo, vbi cupit, & optat, & desiderat, & hanc vnam petit a Deo habitare in ea, omnes dies vitæ suæ, quid ibi agis quæso te? Quid est, quod desideras: Audi quid, vt contempler delectationem domini, Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo domini, per omnes dies vitæ meæ, habetur ibi magnum spectaculum delectationem ipsius domini contemplari, vult finita nocte sua hærere in luce ipsius: Tunc enim erit mane nostrum, transacta nocte: vnde alio loco Psal. dicit, mane astabo tibi, & contemplabor te, modo ideo non contemplor, quia cecidi, tunc astabo tibi, & contemplabor. Hæc vox humana est. *Ea. enarratione. Psal. 5.*

QVÆST. DCCXXII.

QVid contemplabimur in illa Dei domo?

RESPON. Desiderabimus quoddam bonum, quale bonum? omnis boni bonum, vnde omne bonum, bonũ cui addatur, quid sit nisi ipsum bonũ, dicitur enim bonus homo, & bonus ager, & bona domus, & bonum animal, & bona arbor, adiunxisti quoties dixisti bonum est, bonum simplex, ipsum bonum, quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona, ipsa est delectatio domini, hanc contemplabimur. *Ea. enarratione.*

QVÆST.

QVÆST. DCCXXIII.

AN sine Dei auxilio perseuerare possimus.

RESPON. Perseuera in ambulando in via Dei, quoniã qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit, iam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis vnde ambules. Noli de te presumere, si te Deus dereliquerit, in ipsa via deficies, cades, aberrabis, remanebis. Dic ergo illi, voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus, adiutor meus igitur esto, ne derelinquas me.

Ea. enarratione.
Mat. 10.

QVÆST. DCCXXIIII.

AN Christus quatenus Deus orauerit, & oret.

RESPON. Si diuinitatem Domini nostri Iesu Christi cõsideres. Quis orat? Ad quem orat? Quare orat? Orat Deus, orat ad equalem, causam autem orandi non habet, cum sit beatus, omnipotens, & incommutabilis semper & eternus, & patri coeternus, ideo intuentes, quæ dicuntur a Ioanne in principio sui Euangelij. Dum dicit, In principio erat verbũ, & vsque ad verbum caro factũ est: Hucusque dicentes, non inuenimus orationẽ, nec causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi, sed quoniam paulopost dicit: Et verbum caro factum est &c. habes maiestatem ad quam ores, habes humanitatem, quæ pro te oret, & Apostolus, post carnis resurrectionem: Dum sedet ad dexteram Dei interpellatorem pro nobis vocat. quare interpellat pro nobis? quia mediator esse dignatus est, non inter patrem, & hominet, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Quid sunt homines? peccatores, impij mortales, inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus, vt ex eo, quod non iniquus, iungeret te Deo, ex eo quod infirmus: Vt igitur mediator existeret inter hominem & Deum, Verbum caro factum est, idest verbum homo factum est, igitur Christus quatenus Deus, non orat, sed potius ad ipsum funditur oratio.

Ex præfatione in enarratione secundam.
Psal. 29
Ioan. 1.
Rom. 8.

QVÆST.

QVAEST. DCCXXV.

CHhriſtus habuit ne omnia naturalia, homini conuenientia, & ſi homines cæteros excellit.

RESPON. Confirmatum eſt in catholica fide, hominem illũ quem ſuſcepit ſapientia Dei, nihil minus habuiſſe quàm cœteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ, quantum autem ad excellentiam perſonæ, aliud quàm cœteri homines: Nam cœteri homines, poſſunt dici participes verbi Dei, habentes verbũ Dei, nullus autem eorum poteſt dici verbum Dei, quod dictum eſt illi, cui dictum eſt. Verbum caro factum eſt, vnde a catholica fide confirmatum eſt, hominem illum mediatorem habuiſſe omnia hominis, pręter peccatum, ſed tamen ſicut in corpore noſtro, caput excellit alia membra, ita Chriſtus alios homines dignitate excellit. *Ead. præfatione.*

QVÆST. DCCXXVI.

AN omne quod patimur ab inimicis, ſit eis imputandum?

RESPON. Non enim quidquid paſſi ab inimicis fuerimus, hoc inimicis deputandum eſt, & non domino Deo noſtro, vnuſquiſque enim malus apud ſe habet voluntatem nocendi, vt autem poſſit nocere, non habet in poteſtate vt velit, iam reus eſt: vt poſſit, occulta diſpenſatione prouidentiæ Dei, in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam: permiſit populum Iſrael capi ab alienigenis, quia peccauerat, in Iob vt probaretur per diaboli tentationes, ad coronã in martyres permiſit tyrãnos ſeuire, ergo in quem permittitur occulte, occultę diſpenſationis eſt prouidentiæ Dei, vt autem velit nocere, ipſius hominis eſt, non enim continuo quem vult occidit. *Ead. præfatione.*

QVÆST. DCCXXVII.

FInis quot modis dicitur.

RESPON. Duobus enim modis dicimus finem, vel quo fit, vt non ſit quod erat, vel quo fit, vt perfectum ſit, quod inchoatum erat. *Concione prima. Pſal. 30*

QVÆST. DCCXXVIII.

QVis est, qui saluatur gratis?

Ead. concione. Respon. In quo non inuenit Saluator, quod coronet, sed quod damnet non inuenit merita bonorum, sed merita suppliciorum si agat tamquam veraciter ex regula legis præposita damnandus est peccator. Hac regula si ageret, quem liberaret? omnes enim peccatores inuenit, solus sine peccato venit, qui nos peccatores inuenit, hoc ait Apostolus, omnes peccauerunt & egent gloria
Rom. 3. Dei. Quid est egent gloria Dei? vt ipse liberet, non tu, quia tu te liberare non potes, indiges liberatore, exclamat Paulus, Miser ego
Rom. 7. homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratis datur? quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præuenerunt, illi ergo gloria, qui nos liberat.

QVÆST. DCCXXIX.

AN mali christiani viuant peius infidelibus, & per consequens peiores.

2. concione. Respon. Qui sunt inimici ecclesiæ? pagani, Iudæi, omnib. peius viuunt mali christiani. Vis videre quàm omnibus peius vi-
Psal. 30 uant mali christiani? De talibus dicit Propheta Ezechiel, quia cō-
Ezec. 15 parantur sarmentis inutilibus; pone paganos ligna esse saluatica extra ecclesiam, adhuc potest inde fieri aliquid, quomodo de lignis fabrilibus, est lignum fabro aptum, & si adhuc nodosum & curuū, & corticosum, tamen quod detur ascietur, & deplanetur, vt possit venire ad aliquam fabricam vsus humani. De sarmentis autem pręcisis, fabri nihil facere possunt, ignis ea solus expectat. Attēdite fratres cum syluatico ligno pręponatur sarmentum manens in vite, quia sarmentum dat fructum: illud lignum non dat fructum, pręciso tamen sarmento de vite si comparetur lignum syluaticum intelligitur esse melius, quia de illo faber aliquid facere potest. Hæc autem sarmenta tantum foco ministrant.

QVÆST. DCCXXX.

AN sors Dei gratiam significet.

Respon. Sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem, vt factum fuit in Matthiæ Apostoli electione, sortes dixit Propheta, quantũ ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur iste facit, iste non facit, merita considerantur, & vbi merita considerantur electio est, non sors, quando autem Deus nulla nostra merita inuenit, sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni sumus, hęc est sors super vestem Christi inconsutilem. Data est sors, quia significat charitatis ęternitatem quę diuidi non potest a persecutoribus, ideo super eam sors missa est, ad quos peruenit, eos significauit, qui videntur ad sortẽ peruenire sanctorũ. Gratia salui facti estis per fidem, ait Apostolus, & hoc nõ ex vobis, vide sortem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. *Ead. concione.* *Act. 1.* *Psal. 30* *Mat. 27.*

QVÆST. DCCXXXI.

AN sola fides sine operibus, ad iustitiam sufficiat.

Respon. Credidit Abraham Deo, & reputatũ est illi ad iustitiam, ergo ex fide Abraham iustificatus est. Dicat quis ex fide iustificatus est Abraham, & non ex operibus, faciã ergo quidquid volo, quia & si bona opera non habuero, & tantum credidero in Deũ, deputabitur mihi ad iustitiam. Respondeo ergo tanquam cõtra Apostolum, & dico de ipso Abraham, quod inuenimus in epistola Apostoli Iacobi, correctionẽ male intelligentium Paulũ Apostolum, Iacob. Apostolus, de sola fide præsumẽtes, & nolentes operari, commendat ipsius Abrahę opera, cuius fidem cõmendat Paulus. Et non sunt sibi aduersi Apostoli. Dicit autẽ Abrahæ opus, omnibus notũ Abraham filium suũ immolando Deo obtulit, Magnũ opus, sed ex fide laudo superędificationem operis, sed video fidei fundamentum, laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem si Abraham sine recta fide opus fecisset, nihil illi prodesset, & si Deo imperante, vt filium immolaret, dixisset. Nolo sed sufficit vt credam, fides tunc sine operibus mortua esset, & tan- *Ex præfatione.* *Psal. 31* *Gen. 15.* *Rom. 4.* *Iaco. 2.* *Rom. 4.*

& tanquam radix sine fructu, sterilis atque arida remaneret. Quid de operibus ante fidem? Et si videantur hominibus laudabilia inania sunt, ita mihi videntur esse, vt magne vires & cursus celerimus præter viam, nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat, bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit: Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat.

QVAEST. DCCXXXII.

QVi sunt recti & praui corde?

2. enarratione. Psal. 31 RESPON. Et gloriamini omnes recti corde, quid est recti corde? non resistentes Deo. Audite, inter rectum cor & prauum hoc interest, quisquis homo quidquid patitur præter voluntatē, afflictiones, mœrores, labores, non tribuat nisi voluntati Dei iustæ non illi dans insipientiam, quòd quasi nesciat quid agat, quia talē flagellat, & talibus parcit, ipse est rectus corde, peruersi autem & praui corde sunt, qui omnia quæ patiuntur mala, inique se pati dicunt, dantes illi iniquitatem, per cuius voluntatem patiuntur, aut quia non audent dare ei iniquitatem, auferunt ei gubernationem, quia ipse, inquit non potest facere iniquum, iniquum autem est, vt ego patiar, & ille non patiatur, concedo enim vt sim peccator, certe sunt peiores me, qui lætantur, & ego tribulor, & hoc apud me est iniustum, & quia Deus non facit iniustum, igitur Deus non gubernat res humanas, nec cura est illi de nobis, ergo praui corde, idest distorti corde, tres habent sententias, aut negant Deum esse aut iniustum dicunt, aut, quòd res humanas non gubernat, nec ipsi est cura de nobis. Quare hoc? Quia distorti sunt corde. Rectus est autem Deus, & ideo distortum cor illi non acquiescit: In istis tribus sententijs, magna est impietas.

QVÆST. DCCXXXIII.

QVomodo differant Cytara & Psalterium?

1. enarratione. Psal. 32 RESPON. Cytara est lignum concauum tanquam timpanum pendente testudine cui ligno chordæ innituntur vt tactæ resonent. Non plectrum dico quo tanguntur, sed lignum illud dixi concauum cui superiacent, cui quodammodo incumbunt, vt ex il-

lo cum tanguntur, tremefactæ, & ex illa concauitate ſonum concipientes, magis canorę reddantur, hoc ergo lignum cytara in inferiore parte habet, Pſalterium in ſuperiore. Hęc eſt diſtinctio cytara ſignificat vitam terrenam, in qua ſunt proſperitates, & aduerſitates, in ambabus laudemus Deum, & in cytara laudabimus, Pſalterium ſignificat Dei dona ſuperna, quæ in obſeruatione decem præceptorum conferuntur, & in Pſalterio decem chordarum, Deum laudabimus, cum præcepta Dei ſeruabimus.

QVÆST. DCCXXXIIII.

AN ſit peccatum in feſtis choreas ducere.

RESPON. Obſerua diem Sabbati, non carnaliter non iudaicis delitijs, qui otio abutuntur ad nequitiam, melius vtique tota die foderent, quàm tota die ſaltarent, fodere in die feſto eſt peccatum, igitur maius peccatum eſt ſaltare, ideſt choreas ducere, quàm fodere. *Ea. enarratione.*

QVÆST. DCCXXXV.

AN Apoſtoli in vna voce, varias linguas exprimerent in aduentu Spiritus S. *2. concione.*

RESPON. Non ſunt loquelę neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, ſed hoc pertinet ad id, quia omnium linguis, loquuti ſunt in vna voce. *Pſal. 32* *Pſal. 18* *Act. 2.*

QVAEST. DCCXXXVI.

CVm omnes homines velint eſſe beatos, quæritur, quomodo beati fieri poſſunt.

RESPON. Amant enim omnes homines beatitudinem, etiã mali nolunt eſſe miſeri, ſed beati, furtum quis facit, & quare? propter famẽ & neceſſitatem, vult depellere miſeriam furto, & malo vult eſſe beatus. Semper ergo beati eſſe volunt, ſiue male viuentes, ſiue bene viuentes, & non contingit omnibus, quod omnes eſſe volunt, non enim quis poteſt fieri beatus, niſi re meliori ſe, & deteriori minime, cuncta creata nõ ſunt homine meliora, nec Angeli, quia cum fuerit perfecta hominis natura, homo ęquabitur Angelis, cor- *Ead. concione.*

pus enim hominis fiet melius, per animum suum meliorem corpore, quia cum fuerit animus iustus, etiam corpus fiet immortale, & splendidum, quære igitur, quid sit melius animo tuo, solus Deus inuenitur, erige ergo animum tuum ad Deum, vt per illum fias beatus, vera beatitudo in solo Deo consistit, & non in caducis rebus homine deterioribus.

QVÆST. DCCXXXVII.

AN quilibet clamans ad Deum exaudiatur?

Expositione. Psal. 34 RESPON. Iste inops clamauit, & dominus exaudiuit eum, docet te quomodo exaudiaris, ideo non exaudiris, quia diues es, forte clamaueras, & non exaudiebaris. Audi quare, iste inops clamauit, & dominus exaudiuit eum, inops clamat, & dominus exaudit: & quomodo clamabo inops? Vt etiam si habes aliquid, non inde præsumas de viribus tuis, vt intelligas te indigentem, vt intelligas te tandiu esse pauperem, quandiu non habes illum, qui facit te diuitem.

QVÆST. DCCXXXVIII.

AN iustos clamantes semper exaudiat.

2. concione. Psal. 33 Psal. 34 RESPON. Clamauerunt iusti & dominus exaudiuit eos, dicet quis, ego autem, clamaui & non me eruit, aut non sum iustus, aut non facio quæ iubet, aut forte me ille non videt noli timere tantum fac quod iubet, & si te non eruit corporaliter, eruet spiritualiter, corporaliter eruit tres pueros de flammam, & non machabeos cum omnes essent iusti, & omnium est Deus, tres pueros eruit, vt &

3. Mac. 7 carnales confunderentur, Machabeos non sic eruit, vt illi qui persequebantur, in pœnas maiores irent, cum putabant se oppressisse martyres Dei, eruit Petrum de carcere aliquando, sed in fine vitæ suæ, non eruit eum de cruce, nunquid Petrus perdiderat iustitiam, quando non illum eruit de cruce? Absit forte plus eum exaudiuit in cruce, quam ante, quãdo illum vere de omnibus præssuris eruit.

QVÆST. DCCXXXIX.

1. concione. Psal. 34

CHristus quot modis nos vincit?

RESPON. Duo sunt genera eorum quę vincuntur, duobus

enim

enim modis vincuntur, aut ad hoc vincuntur, vt conuertantur ad Christum, aut ad hoc vincuntur, vt damnentur a Christo.

QVÆST. DCCXL.

AN pœna faciat martyres.

RESPON. Nam pœna similis est bonis & malis, itaque martyres non facit pęna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnes qui gladio feriuntur, coronarētur, ergo discernatur causa. *2. Concione* *Psal. 34*

QVÆST. DCCXLI.

AN Christus sciuerit, & sciat, horam & diem iudicij, cum dicatur, quod solus pater scit, de die illo & hora, *Mat. 24.*

RESPON. Dictum est etiam filium hominis nescire illū diē, quia in magisterio eius non erat, vt per eum sciretur a nobis, neq; enim aliquid scit pater, quod filius nescit, cum ipsa scientia patris ille, qui est sapientia eius, est autem sapientia eius filius eius, verbū eius, sed quia nobis scire non proderat, quod quidem ille nouerat, qui nos docere venerat, non tamen hoc quod nobis nosse non proderat, non solum sicut magister aliquid docuit, sed sicut magister, aliquid non docuit, tanquam magister enim sciebat, & docere qđ proderat, & non docere quod oberat, sicut autem quodam genere loquutionis, nescire filios dicitur, quod nescire nos facit, occultat enim vt non sciatur, quod nobis prodi non prodest. *1. Concione.*

QVÆST. DCCXLII.

DElitiæ fidelium in Paradiso quæ sunt?

RESPON. Quæ erunt autem delitiæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax. Argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit, quia hic aurum quod est, non potest tibi esse argētum, quod vinum est, nō pōt tibi esse panis, quod tibi lux est, non potest esse Potus, Deus tuus totum tibi erit, manducabis eum ne esurias, bibes eum ne sitias, illuminaberis ab eo, ne sis cęcus, fulcieris ab eo ne defficias, possidebit te totum integrum, totus integer angustias non ibi patieris, cum eo cum quo totū possides totū habebis, *Ead. concione.*

totum & ille habebit, quia tu & ille vnum eritis, quod vnum eritis, quod vnum totum, & ille habebit, qui vos possidet. Hæc sunt reliquię homini pacifico.

QVAEST. DCCXLIII.

QVot sunt hominum genera?

1. concione. Psal. 36 RESPON. Duo enim genera hominum, iustorum & iniquorum, in hac terra, in hac vita, cōmixta sunt, habent singula ista genera, proprias intentiones cordis sui. Genus iniquorum præpòderat ad inferiora, per elationem, & hoc se extollit, vt cadat, genus iustorum conatur in sublimia per humilitatem, & hoc tantum se deprimit, vt surgat, ex eo fit vt vnum genus toleret, alterum toleretur, propositumq; sit iustis, ipsos etiam iniquos in vitam ęternam lucrari, propositum autem iniquis reddere mala pro bonis, & eos qui sibi vitam ęternam volunt, si fieri potest etiam temporali vita priuari. Egre enim fert & iniustus iustum, & iustus iniustum, oneri sibi sunt, nemo dubitat, ꝙ isti duo alterutrum sibi oneri sunt, sed diuersis intentionibus.

QVAEST. DCCXLIIII.

AN pœnæ purgatorij sint maiores omnibus pœnis quibus homo in hac vita affici potest.

Exposi- tione. Psal. 37 1. Cor. 3. RESPON. Ab Apostolo dicitur, quòd quidam saluabuntur quasi per ignem, talis ignis non est contemnendus, quia grauior est, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.

QVAEST. DCCXLV.

QVomodo sine intermissione fit oratio?

Ea. expositione. 1. Tess. 5 RESPON. Ipsum desiderium tuum, oratio tua est, & si cōtinuum desiderium, continua oratio. Non enim frustra dixit Apostolus. Sine intermissione orantes, nunquid semper flectimus genua, & manus leuamus? vt dicat, sine intermissione, orate hoc non possumus facere, est alia interior oratio sine intermissione: Oratio ista quę est? Desiderium: Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare, si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare, continuum desiderium tuum, continua vox tua est.

QVÆST. DCCXLVI.

QVare homo tribulatur, etiam si sit innocens, idest sine prauis operibus.

RESPON. Omnis anima infirma in hac vita, quærit sibi aliquid terrenum, vbi requiescat, quoniam intentionẽ laboris, & mentis externæ in Deum, difficile potest perpetuo tolerare, aliquid sibi inquirit in terra vbi requiescat, non loquitur de cupiditatibus malorum hominum, sed de innocentibus, tales & ipsi acquiescunt in domo sua, in familia sua, in coniuge, in filijs, in paupertate, in prædiolo suo, in noualia manibus suis consita, in ędificio aliquo suo studio fabricato, acquiescunt innocentes in his, sed tamen Deus volens nos amorem non habere, nisi vitæ æternæ, & istis velut innocẽtibus delectationibus, miscet amaritudines, vt & in his patiamur tribulationes. *Enarratione. Psal.* 40

QVÆST. DCCXLVII.

QVare ceruus acquirit sitim, vt postmodum currat ad fontem.

RESPON. Quid aliud est in ceruo? serpentes necat, & post interemptionem, maiore siti inardescit, peremptis serpentib. ad fontes acrius currit, serpentes vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis tunc amplius desiderabis fontem veritatis. *Enarratione. Psal.* 41

QVAEST. DCCXLVIII.

AN Christus in cruce fuerit a patre derelictus? sic clamans. Deus Deus meus, quare me dereliquisti?

RESPON. Deus Deus meus respice in me quare me dereliquisti? Transfigurans enim nos in id quod dicebat, & in corpus suum, quia & nos corpus eius sumus, ille caput nostrum, vocem de cruce, non dixit suam sed nostram. Non enim vnquam dereliquit eum Deus, nec ipse a patre vnquam recessit, sed propter nos dixit hoc. Nam sequitur ibi, longe a salute mea verba delictorum meorum. Et ostendit ex quorũ persona hoc dixerit. Non enim in ipso delictum potuit inueniri. *Enarratione. Psal.* 43

QVÆST. DCCXLIX.

Exposi-tione. Psal. 44

QVomodo Christus sit pulcher vbique.

Respon. Credentibus, sponsus Christus pulcher vbiq; pulcher Deus verbum apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem, pulcher natus, infans verbum, quia & cum esset infans, cum surgeret, cum manibus portaretur, cœli loquuti sunt, Angeli laudes dixerunt, magos direxit stella, adoratus est in præsepio, pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero pulcher in manibns parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher nō curans mortem, pulcher in ligno pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu.

QVÆST. DCCL.

Enarratione. Psal. 45

QVę sunt maiores tribulationes in homine.

Respon. Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum, namque si ibi vulnus non sit, sanumque intus sit hominis, quod conscientia vocatur, vbicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum, si autem ibi requies non est, propter abbundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est. Quid facturus est homo? Quo confugiet, cum cęperit pati tribulationes, fugiet ab agro ad ciuitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo, iam quo fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum, porro si ibi tumultus est, si ibi fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur enim inde, & cum inde pellitur a seipso pellitur. Et ecce hostē suum inuenit, quo confugerat, seipsum quo fugiturus est, quocumque fugerit se, talem trahit post se, & quocumque talem traxerit se cruciat se. Sed a seipso sunt tribulationes, quæ inueniunt hominē nimis acerbiores enim non sunt, tanto sunt accerbiores, quanto sunt interiores, & istæ nimiæ tribulationes sunt.

QVÆST. DCCLI.

IVbilatio quid est?

RESPON. Quid est iubilatio, nisi admiratio gaudij, quæ verbis, nõ potest explicari? Quomodo admirati sunt discipuli, gaudentes, videntes ire in cœlum, quem plãxerunt mortuum. Reuera quia gaudio huic verba non sufficiebát, restabat iubilare, quod nemo potuit explicare. *Enarratione. Psal. 46*

QVÆST. DCCLII.

MOrs quid est?

RESPON. Mors nempe separatio est animæ a corpore, mors autem vere quam non timent homines, separatio est animæ a Deo, & plerunque cum timent homines istã, quæ separat aïam a corpore, incidũt in illã, vbi aïa separatur a Deo. Hæc est ergo mors. *2. concione. Psal. 48*

QVAEST. DCCLIII.

QVare homines dicantur dij, & vnde sunt dij?

RESPON. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, manifestum est ergo, quia dixit homines Deos, ex gratia sua deificatos, non de substãtia sua natos, ille enim iustificat, qui per semetipsum non ex alio iustus est, & ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est, qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit, si filij Dei facti sumus (quia potestatem dedit filios Dei fieri) & dij facti sumus, sed hoc gratiæ Dei est adoptantis non generantis. *Enarratione. Psal. 49* *Ioan. 1.*

QVAEST. DCCLIIII.

AN Deus noscat res, vt dat homini nosse?

RESPON. Non sic Deus nouit, vt dat nosse homini. Alia est notitia dei, alia hominis, sicut alia possessio dei, alia hominis, id est aliud est possidere dei, aliud possidere hoïs. Non.n. tu qđ possides totũ habes in potestate aut quãdiu viuat bos tuus, in tua ptãte est, aut vt nõ pereat, aut vt nõ pascatur, apud quem summa ptãs est, *Eo. enarratione.*

summa & secreta cognitio, & tribuamus hoc Deo, laudãtes Deum non audeamus dicere, quõ nouit Deus, ne forte hoc a me fratres expectetis, vt explicem vobis, quomodo cognoscat Deus, hoc solũ dico, non sic cognoscit vt homo, non sic cognoscit vt Angelus, & quomodo cognoscit dicere non audeo, quoniam & scire non possum, vnũ tamen scio, quia & antequam essent omnia, nouerat Deus quod fuerat creaturus.

QVÆST. DCCLV.

AN in illa beata vita sit vlla miseria.

Ea. enarratione. RESPON. Ibi in illa beata vita, non inuenis esurientem quem pascas, non peregrinum quem suscipias, non nudum quem vestias, non egrum, quem visites, non litigantem quem concordes, omnia ibi sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt, panis noster ibi iustitia est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi immortalitas est, domus nostra ęterna in cœlis, firmitas nostra immortalitas. Nunquid egritudo surrepit? Nunquid lassitudo ad somnum trhait, nulla mors, nulla lis, ibi pax, quies, gaudium, iustitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus.

QVAEST. DCCLVI.

DOlositas quid est.

Ea. enarratione. RESPON. Dolositas est fraus quædam in verbis, aliud ꝓmendi, aliud sentiendi.

QVÆST. DCCLVI.

QVis est, qui vere laudat Deum?

Ea. enarratione. RESPON. Non laudat: qui male viuendo offendit dominum, non laudat qui cum iam ceperit bene viuere, de suo putat esse, quòd bene viuit, non acceptum a DEO. Nec ille laudat, qui cũ sciat se, quòd bene viuit, accepisse a Deo, tamen vsque ad se vult esse diuitem Deum, ille itaque qui dicebat, gratias tibi ago Deus, ꝙ

Luc. 18. non sum sicut & cœteri homines, iniusti, raptores adulteri, sicut & publicanus iste: nõne ibi habebat, vnde diceret, dona & publicano huic quod mihi donasti, supple & mihi quę nondum dedisti? Sed

iam

iam quasi saturatus, ructabat, non dicebat, ego autem egenus, & pauper sum, quod dicebat publicanus ille, domine propitius esto mihi peccatori ideo, descendit iustificatus publicanus, magis quã ille pharisεus, ergo audite, qui bene viuitis, audite qui male viuitis, sacrificium laudis glorificabit me, nemo mihi offert hoc sacrificiũ laudis, & malus est.

QVAEST. DCCLVIII.

MIsericordia Dei erga peccatores, facit ne, vt peccatũ remaneat impunitum.

RESPON. Misericordia Dei est, vt ignoscat peccatũ, iustitia est, vt puniat peccatum, quid ergo? Queris misericordiam, peccatum impunitũ remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur, sicut Dauid, & dicant, non domine non erit impunitum peccatum meum, noui iustitiam eius, cuius misericordiam quero, nõ impunitum erit, sed ideo nolo, vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio, ideo peto, vt ignoscas, quia ego agnosco. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum coram me est semper. Non post dorsum meum posui quod feci, sed ante me est, vt puniam, & sic non auffertur iustitia, per misericordiam diuinam. *Enarratione. Psal. 50*

QVÆST. DCCLIX.

AN Deus noscat omnia?

RESPON. Si Deus nouit omnia, vt nouit, quare de cęlo prospicit, vt videat si est, intelligens inter nos, aut requirens Deum, sed animaduertendum est quòd plerumque sacra scriptura ita loquitur, vt quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur, vt verbi gratia cũ misereris pauperis, quia dono Dei facis, Deus miseretur, cũ cognoscis q. sis, quia illo allucente facis, si es qui dicas, tu illuminabis, illuminabis lucernam meam domine, Deus meus illumina tenebras meas, quod Deo donante, & faciente cognoueris ille cognoscit: Nam vnde est, tentat vos dominus Deus vester, vt sciat si diligatis illum, quid est, vt sciat? Vt dono suo scire vos faciat: sic ergo prospicit super nos, vt videat si est intelligens, & dominũ requirens, idest vt suo spiritu nobis donato, facit vt discernamus inter *Enarratione. Psal. 52* *Psal. 17* *Deut. 13*

nos & eos, quibus hæc donata non sunt, & ex nobis illos cognoscimus. Remanet igitur, vt Deus omnia nouerit, licet scriptura hoc modo loquatur.

QVÆST. DCCLX.

QVare malos permittat Deus in hoc mundo viuere & an sint odiendi.

Exposi-tione. Psal. 54 RESPON. Ne putetis gratis esse malos in hoc mũdo, & nihil boni Dei illis agere Deum, omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur, vtinam ergo qui nos modo exercent conuertantur, & nobiscum exerceantur, tamẽ quandiu ita sunt, vt exerceant, non eos oderimus, quia in eo quod malus est, quis eorum, vtrum vsq; in finem perseueraturus sit ignoramus, & plerunque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti & nescis.

QVÆST. DCCLXI.

AN inimicus sit diligendus?

Eod. Ps. RESPON. Audite & intelligite, si bonus es, inimicũ non habebis, nisi malũ, porro tibi ea regula bonitatis ꝑfixa est vt imiteris *Mat. 5.* bonitatẽ patris tui, qui facit solẽ suũ oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, nunquid.n. tu habes inimicum, & Deus non hẽt. Tu quidem eum habes inimicũ, qui tecum creatus est, ille vero eũ quem creauit: inimicos ergo Dei malos & iniquos, sæpe in scripturis legimus, & parcit eis ille, qui non habet, quod ei imputet inimicus, cui omnis inimicus ingratus est, ab illo enim habet, quod quid boni habet, ab ipso enim habet misericordiã quidquid est etiã vnde tribulatur, adhoc enim tribulatur, ne superbiat, adhoc tribulatur vt humilis agnoscat excelsum, tu ergo inimico tuo, quem intollerabiliter pateris, quid ꝓstitisti? Deus inimico suo multa bona præstitit, & tu qui nihil dare potes, vti Deus qui Solẽ facit oriri super inimicos, nõ ei saltem parces, innita igitur patrem *Luc. 6.* cœlestem: ecce regula dilectionis. Diligite inimicos vestros &c. Christianus igitur non debet facile velut odio ire in inimicum, a quo patitur, & velle ventum vincere, sed conuertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est, ne

aliquid

aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus. Obbrobria iaculaturus in conuitijs seuiturus, sed quid tibi? Gaudete inquit & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis, ille in terra geminat conuitia, tu in cœlo lucra, sed seuiat amplius, possit & aliquid amplius, quid te securins cui dictũ est: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, quid est ergo timendum quando inimicum pateris, ne conturbetur in te dilectio, qua diligis inimicum. *Mat. 5.* *Mat. 10.*

QVÆST. DCCLXII.

QVæ differentia est inter iram & odium.

RESPON. Ira fratres si fuerit inueterata, iam odiũ est, ira turbat oculum, odium extinguit, ira festuca est, odium trabes est, aliquando odisti & corripuisti irascentem, in te est odium, in illo: ira quem corripis merito tibi dicitur, eijce primum trabem de oculo tuo, & sic videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Nam vt noueritis quantum intersit. inter iram & odium, quottidie homines irascuntur filijs suis. Date qui oderint filios suos. *Eod. Ps.* *Mat. 7.*

QVÆST. DCCLXIII.

COlumba quare sic gemit?

RESPON. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Columba a molestijs quærit auolationem, sed non amittit dilectionẽ, columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur, nihil tam amicum gemitibus, quàm columba, die noctuq; gemit, tanquam hic posita, vbi gemendum est. *Eod. Ps.*

QVÆST. DCCLXIIII.

DIuisio linguarum in ędificantibus turrim, & vnio in Apostolis, vnde prouenerunt.

RESPON. Quid dixerũt superbi? Ne pereamus diluuio faciamus turrim, superbia se munitos, inultos esse arbitrabantur, extruxerũt altã turrim, & dñs diuisit linguas eorũ, tunc se cœperunt non intelligere. hinc facta est origo linguarum multarũ. Antea enim vna lingua erat, sed vna lingua concordibus proderat, vna lingua *Eod. Ps.* *Gen. 11.*

humilibus

humilibus proderat, at vbi illa collectio, in conspirationem superbiæ præcipitata est, pepercit illis Deus, vt diuideret linguas eorum, ne se intelligendo, perniciosam facerent vnitaté, per superbos homines diuisæ sunt lingue, per humiles Apostolos, congregate sunt, linguę, spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregauit linguas. Quando enim venit Spiritus Sanctus super discipulos, omnium linguis loquuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, linguę disperse in vnum congregate sunt.

QVÆST. DCCLXV.

QVare crucis Christi titulus, tribus linguis est scriptus?

Enarratione. Psal. 55 RESPON. Erat in cruce titulus inscriptus, hæbraice, grece, & latine, rex iudeorum, tamquam tribus testibus titulus approbatus, quia in ore duorum vel trium stabit omne verbum. *Deut. 17*

QVÆST. DCCLXVI.

AN fidelibus sit necesse tribulationes pati.

Eod. Ps. RESPON. Necesse est, vt tribulantes nos patiamur vsque in finem, quos non pateremur, nisi nobis expediret, omnis enim tẽtatio, probatio est, & omnis probationis effectus, habet fructum suum, quia homo plerumque etiam sibi ipsi ignotus est, quid ferat quid ve non ferat ignorat, & aliquando præsumit se ferre, quod nõ potest, & aliquando desperat se posse ferre, quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & inuenitur homo a seipso, qui latebat & seipsum, sed artificem non latebat, Petrus præsumpsit de eo, qđ in illo non erat, putabat cum domino vsque ad mortem perseueraturum, accessit tẽtatio, negauit, fleuit, accepit, cum ergo nesciamus, quid petamus tamquam non habentes, & vnde gratias agamus tãquam accipientes, opus est semper tentationibus, & tribulationibus erudiri in hoc seculo, sed tribulari non possumus, nisi ab eis, qui longe fiunt a sanctis.

QVÆST. DCCLXVII.

AN Deus sit colendus pro mercede, quę non est ipse Deus.

Eod. Ps. RESPON. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit,

Quid

Quid ergo? Mercedem de DEI cultu non habebimus? plane. Sed ipsum DEŨ animo colimus, ipse nobis merces erit, quia videbimus eũ sicuti est: dicit Christus, Qui diligit me diligetur a patre meo, & ego diligam eum, quid illi ergo dabis? Et ostendam ei me ipsum, noli ergo extra eum aliquid ab eo quærere, ipse tibi sufficiet. Quantumlibet sis auarus, sufficit tibi DEUS, qui omnia fecit, & ideo est plusquam omnia. Maritus, qui propter dotẽ vxorem diligit, aut quia multum donauit non caste diligit, qui autem propter ipsam, & si nihil donauit, caste diligit, vti multi inueniantur, & talia multa coniugia, quæ gratis adinuicem se colunt, si isti sic se diligunt. Quomodo DEUS est diligendus? qui est maritus animæ nostræ, ad prolem sempiternę vitę fecundans, & steriles nos non esse permittens, DEŨ ergo sic diligamus, vt aliud pręter ipsum non diligamus. *1. Io. 3.* *Ioan. 14*

QVÆST. DCCLXVIII.

AN imitari debeamus Christum in obseruatione præceptorũ.

RESPON. Fecit Christus, quod docuit fecerunt, & Apostoli, quod ab illo didicerunt, & nobis faciendum prædicauerunt, faciamus, & nos, quia & si non sumus quod ille, secundum id qđ creauit nos, quod ille tamẽ summus secundum id quod factus est propter nos, & si solus fecisset, forte nemo nostrum deberet audere imitari, ita enim ille homo erat vt & DEUS esset, sed in eo, quod homo erat, imitati sunt serui dominum, & discipuli magistrum, & fecerunt, qui nos pręcesserunt in familia eius, patres quidem nostri, sed tamen conserui nostri, neque imperaret hoc DEUS vt faceremus si impossibile esse iudicaret, vt hoc ab homine fieret: si considerãs, infirmitatem tuam deficis sub pręcepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum multum est, adest ille qui prębuit exemplũ, vt prębeat & auxilium. *Enarratione. Psal. 56*

QVÆST. DCCLXIX.

QVare ab Adam costa est ablata dum dormiret & non in vigilia.

RESPON. Non enim poterat vxorem facere primo homini, etiam de latere vigilãtis, aut propterea voluit eum dormire, ne sentiret, cum sibi costa detraheretur, postremo, quis ita dormit vt osse *Eod. Ps.*

conuulso

conuulso non expergiscatur? Qui potuit sine dolore aufferre costam dormienti, potuit & vigilanti, sed quare voluit dormienti facere? Quia dormienti Christo in cruce, facta est coniunx de latere, percussum est enim latus pendentis de lancea, & profluxerunt, ecclesiæ sacramenta.

QVÆST. DCCLXX.

AN omnia musice corporea instrumenta dicantur organum.

Eod. Ps. RESPON. Organa dicuntur omnia instrumenta musicorũ, non solum illud organum dicitur, quod grande est, & inflatur follibus, sed quidquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est, quo instrumento vtitur, qui cantat organum dicitur.

QVÆST. DCCLXXI.

AN omnes similitudines datæ in sacra scriptura, sint obseruandæ, immittando posita in similitudinibus.

Enarratione. Psal. 57 Luc. 18. Luc. 11. RESPON. Non vndecumque datur similitudo a scripturis, laudatur ipsa res, sed tantum inde similitudo trahitur: Non enim laudauit, iniquum iudicem, nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur, & tñ inde similitudinẽ dñs traxit. Nec illum laudauit pigrum, qui tres panes, non propter amicitiam dedit petenti, sed tedio victus, & tamen similitudinem dedit, & de rebus ergo non laudandis, trhauntur secundum quemdam modum, nonullę similitudines, etiam si non sunt imitandi in similitudinibus positi.

QVAEST. DCCLXXII.

PAene inflictæ, & infligendæ, in spetie quot sunt?

Eod. Ps. RESPON. Tres sunt species pœnę, sed vna diuiditur, vt sint quatuor, futura pœna duas species habet, aut inferorum est, vbi ardebat diues ille, qui volebat sibi stillam aquę stillari in linguam de digito pauperis, altera est illa in fine, de qua audituri sunt, qui ad sinistrã ponendi sunt, ite in ignem æternum, qui paratus est dyabolo & Angelis eius, illę penę manifestę erunt eo tempore, quando exitũ fuerit ex hac vita, aut finito seculo peruentum fuerit ad resurre-

Luc. 16.

ctionē,altera pęna eſt,qua præmuntur homines in hac vita,vt carceres,exilia tormenta mortes,& diuerſa genera dolorum,& tribulationum,quę quidem iudicio Dei diſpenſantur,ſed multis ad probationem,& multis ad dãnationem,eſt & alia pœna quæ eſt occulta,quæ in impijs manet,& manifeſtatur a Propheta cum dici ſicut cęra liquefacta aufferentur,pęnam impiorũ per ſuas concupiſcentias dixit fieri,cõcupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis,ignis cõſumit veſtē,libido adulterij non cõſumit aĩam?Tales pęnas pauci vidēt,ſunt pęnæ,& impij nõ eas cognoſcũt ideo ipſis ſunt occultę.

QVÆST. DCCLXXIII.

AN omnis iniquitas a Deo puniatur?

RESPON. Iniquitas omnis Parua magna ve ſit, puniatur neceſſe eſt,aut ab ipſo homine pœnitente aut a DEO vindicante,Nã & quē pœnitet punit ſeipſum: puniamus ergo peccata noſtra,ſi q̃rimus miſericordiam Dei,non poteſt Deus miſereri omnium iniquitatē operãtium,quaſi blandiens peccatis,aut non eradicãs peccata,prorſus aut punis, aut punit,vis non puniat?puni tu,nam & illud feciſti,qđ impunitũ eſſe non poſſit,nã non põt impunitum relinqui peccatum,quia verum eſt.Non miſereris omnium,qui operantur iniquitatē,aduertendũ quippe eſt,qđ eſt quędã iniquitas,q̃ qui operatur,non põt fieri vt miſereatur ei Deus, & hæc iniquitas eſt defenſio peccatorũ. Qñ quiſque defendit peccata ſua, magnã iniquitatem operatur. Hoc defendit qđ Deus odit,ſed quomodo deffendunt?ſi Deus noluiſſet nõ id feciſſem, quid vis faciam fato meo? Si q̃d boni fecerit,ſibi vult imputari,ſi quid mali Deo, ergo deffendentiũ peccata,non miſeretur Deus,intellige Aug. Donec pſeuerant in diffenſione,cum ceſſauerint, & doluerint de peccatis, & ea punient,tunc Deus miſerebitur. Deffendentes peccata obliuiſcuntur legis Dei,& hoc eſt vera mors.

Enarratione primæ partis.
Pſal. 58.
Pſal. 58

QVÆST. DCCLXXIIII.

QVæ differentia eſt inter conſumari, & conſumi.

RESPON. Conſumari enim perfici eſt,aliud eſt conſumari,aliud conſumi conſumatur enim quod ſic finitur,vt perficiatur, conſumitur,quod ſic finitur vt nonſit.

2. concione de 2. parte eiuſdē pſ.

QVÆST.

QVÆST. DCCLXXV.

AN ſuperbia ſemper inuideat?

Ead.loco RESPON. Sola ſuperbia diabolus lapſus eſt, & quoniam ſuperbiæ comes eſt inuidentia, fieri non poteſt, vt ſuperbus non inuideat ex hoc vitio, quod ſuperbiam neceſſario ſequitur, lapſus diabolus etiam homini inuidit ſtanti.

QVÆST. DCCLXXVI.

IRa Dei quotuplex dicitur.

Ead.loco RESPON. Eſt ira conſumationis, & eſt ira conſumptionis, nam omnis vindicta Dei, ira dicitur, ſed aliquando adhoc vindicat

Heb.12. Deus vt perficiat, aliquando vindicat Deus, vt damnet. Quomodo adhoc vindicat, vt perficiat? flagellat omnem filium quem recipit.

Mat.25. Quomodo adhoc vindicat, vt damnet? Quando poſuerit impios ad ſiniſtram, & dixerit eis: Ite in ignem ęternum qui paratus eſt diabolo & angelis eius, illa ira cõſumptionis eſt nõ cõſumationis.

QVÆST. DCCLXXVII.

TRibulationes maximè contra eccleſiam, vnde oriantur?

Ex enarratione. Pſal. 59 RESPON. Tribulationes maximè aduerſus eccleſiã non oriuntur niſi ab eis, qui lege male vtuntur: Neſcis Iudęos male vtendo lege Chriſtum occidiſſe? Neſcis hæreticos, male vtendo lege fideles perſequi?

QVÆST. DCCLXXVIII.

AN vita noſtra in hoc mundo poſſit eſſe ſine tentatione?

Ex enarratione. Pſal. 60 RESPON. Nam vita noſtra in hac peregrinatione, non poteſt eſſe ſine tentatione, quia profectus noſter per tentationem noſtram fit, nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi tentatus, nec poteſt coronari, niſi vicerit, nec poteſt vincere, niſi certauerit, nec poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit.

QVAEST. DCCLXXIX.

AN iniquitas reprehendi poſſit, non viſa iuſtitia.

RESPON. Non reprehenderes iniquitatem, niſi videndo iuſtitiam. Reprehenſor iniquitatis eſſe non poteſt, qui non cernit iuſtitiam, cui comparatam reprehendat iniquitatem, vnde enim ſcis, quia hoc iniuſtum eſt, niſi ſcias quid ſit iuſtum? Quid ſi enim iuſtum eſt, & hoc quod dicis iniuſtum? Abſit inquis iniuſtum eſt, & clamas quaſi videntibus oculis videns hoc iniuſtum eſſe, vtique ex aliqua regula iuſtitiæ, cui comparans hoc, quod vides prauum, & cernens non conuenire rectitudini regulæ tuæ, reprehendis tanquam artifex diſcernens iuſtum ab iniuſto. *Ex enarratione. Pſal. 61*

QVÆST. DCCLXXX.

SPes chriſtianorum quæ eſt? & an reſurrecturi ſumus?

RESPON. Quare ſumus chriſtiani? Non enim ad hoc ſumus chriſtiani, vt terrenam nobis fœlicitatem petamus, quam plerunque habent & latrones & ſcelerati. Ad aliam fœlicitatem nos ſumus chriſtiani, quam tunc accipiemus, cum vita iſta huius ſeculi tota tranſierit, ergo promittitur nobis, & carnis reſurrectio, & talis reſurrectio carnis nobis promittitur, vt caro quidē iſta, quam modo portamus reſurgat in finem, nec incredibile vobis videatur, ſi enim DEUS fecit nos, qui non eramus, magnum illi eſt reparare, qui eramus? Ergo hoc vobis incredibile non videatur, quia quaſi putreſcere mortuos videtis, & ire in cineres, & in puluerem. Aut ſi incendatur aliquis mortuus, aut ſi canes dilaniēt eum, putatis quia inde non erit reſurrecturus? omnia quæ diſcerpunt, & in fauillas quaſdam putreſcunt, integra Deo ſunt. In illa enim elementa mundi erunt, vnde primo venerunt: quando facti ſumus, non illa videmus, ſed tamen DEUS vnde ſcit producet illa, quia & antequam eſſemus vnde ſciebat nos produxit. Talis ergo reſurrectio carnis nobis promittitur, vt quamuis ipſa ſit caro quam modo portamus, quæ reſurrectura eſt tamen non habeat corruptionem quam modo habet. *Enarratione. Pſal. 62*

QVAES.

QVÆST. DCCLXXXI.

AN homo habeat multas vitas.

Ea. enarratione. RESPON. Multe ſunt vitæ humanæ, ſed Deus vnam vitã promittit. Quæ ſunt vitæ humanæ? Quas ſibi homines elegerunt, alius elegit ſibi vitam negociandi, alius vitã ruſticandi, alius vita fœnerandi, alius vitam militandi, alius illam, alius illam, diuerſæ ſunt vitæ, ſed melior eſt miſericordia Dei, ſuper vitas noſtras melius eſt, quod dat Deus correctis, quàm quod eligunt peruerſi, vnã vitam donat, quæ pręponitur omnibus noſtris, quaſcunque in mũdo eligere potuerunt.

QVÆST. DCCLXXXII.

QVare leuandæ ſunt manus dum oramus?

Ea. enarratione. RESPON. Leua manus in oratione, leuauit pro nobis dominus Deus noſter manus in cruce, & extenſe ſunt manus eius pro nobis, ideo extenſe ſunt manus eius in cruce, vt manus noſtræ extendantur in bona opera, quia crux ipſius miſericordiam nobis præbuit, ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis Deo ſacrificiũ ſeipſum. & per illud ſacrificium deleta ſunt omnia peccata noſtra, leuemus & nos manus noſtras ad Deum in præce, & non confundẽtur manus noſtræ leuate ad Deum ſi exerceantur in bonis operibus, quid enim facit, qui leuat manus? Vnde præceptum eſt, vt le-
1. Ti. 2. uatis manibus oremus ad Deum. Apoſtolus enim dicit, leuantes puras manus, ſine ira & diſceptatione vt cum leuas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua, quia enim manus iſtę leuantur, vt impetres quod vis, ipſas manus cogitans; in bonis operibus exerce ne erubeſcant leuari ad Deum.

QVÆST. DCCLXXXIII.

AN rogare debeamus, vt non tentemur?

Enarratione. Pſal. 63 RESPON. Nobis expedit eſſe ſine tentationibus. Mec rogemus Deũ vt non tentemur, ſed vt nõ inducamur intentationem.

QVÆST. DCCLXXXIIII.

QVomodo vrificatur, hora tertia & hora ſexta dominum fuiſſe crucifixum. *Mar. 15* *Luc. 23.*

Respon. Quidam Euangeliſta dicit hora ſexta, vt Lucas, & Ioannes crucifixum dñm, & quidã hora tertia, vt Marcus, niſi intelligamus perturbamur: iam incipiente ſexta hora dicitur Pilatus ſediſſe pro tribunali, & reuera quãdo leuatus eſt dominus in ligno hora ſexta erat, ſed alius Euangeliſta intuens animum Iudęorum, quia volebant ſe immunes videri a morte domini, narrando eos oſtendit reos, Dicens dñm hora tertia crucifixum, conſiderantes, autem omnem circunſtantiam lectionis, quanta agi potuerunt, cũ apud Pilatum dominus accuſaretur, vt crucifigeretur, inuenimus horam tertiã eſſe potuiſſe, qñ illi clamauerunt crucifige crucifige, ergo verius illi tunc occiderunt, quando clamauerunt. Apparitores poteſtatis hora ſexta crucifixerunt, illi magis rei, qui clamando ſeuiebant, quàm qui obtemperando adminiſtrabant. *Ea. enarratione.*

QVÆST. DCCLXXXV.

AN ſimulata innocentia debeat dici innocentia?

Respon. Simulata innocentia, non eſt innocẽtia, ſimulata ęquitas, non eſt ęquitas, ſed duplex iniquitas, quia & iniquitas eſt, & ſimulatio, vnde quanto quis acutius excogitare ſibi videtur, tanto magis deficit, quia a lumine veritatis, & ęquitatis, in profunda conſiliorum malignorum demergitur. Habet iuſtitia quandam lucem ſuam, perfundit, & illuſtrat animam inhęrẽtem ſibi, anima vero auertens ſe a luce iuſtitiæ, quãto magis quærit quod inueniat contra iuſtitiam, tanto plus a luce repellitur, & in tenebroſa demergitur. *Ea. enarratione.*

QVÆST. DCCLXXXVI.

AN veritas proſit, paruipendentibus eam.

Respon. Sæpe diximus prædicare veritatem nihil eſt, ſi cor a lingua diſſentiat, & audire veritatem nihil eſt, ſi non auditionem fructus ſequatur. *Enarratione.* *Pſal, 66*

QVAEST. DCCLXXXV.

QVæ differentia est, inter canticum & psalmum.

Enarrat. Psal. 67 RESPON. Discreuerunt quidam ante nos inter canticũ & psalmum, vt quoniam canticum ore profertur, psalmus autem visibili organo adhibito idest psalterio canitur: videatur cantico significari intelligentia mentis, psalmo vero, opera corporis, nam in hoc Psal. dictum est, cantate Deo, psallite nomini eius, ita quidam discreuerunt, vt cantate Deo, dictum videatur, quia ea quæ in seipsa mens agit, Deo nota sunt, quæ ab hominibus non videntur, opera vero bona, quoniam ideo videnda sunt ab hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, merito dictum sit psallite nomini eius idest diffamationi eius, vt laudabiliter nominetur, & hãc differentiam aliquando secutus sum. Memini tamen legisse nos, *Mat. 5.* psallite Deo, quia talia quæ visibiliter bene operamur, non tantum hominibus. sed etiam Deo placent. Non autem omnia quæ Deo placent etiam hominibus placere possunt, quæ videre non possunt, sed cum legatur, & cantate Deo, & psallite Deo, ita alicubi legi potest, cantate nomini eius, adeo, vt hæc differentia frustra elaborata sit, nam secundum hanc differentiam, potius deberet dici, liber canticorum, quam psalmorum, & tamen liber psalmorum dicitur, quoniam canticum, sine psalmo esse potest, psal. vero sine cantico esse non potest, possunt etenim cogitationes esse mentis quorum non sunt opera corporalia. Nullum est autẽ opus bonum cuius non sit in mente cogitatio ac per hoc vtrobique cantica, non vtrobique psalmi, & tamen sicut dixi generaliter psalmi appellantur nõ cantica, liber psalmorum non canticorum. Quapropter relinquentes nos ista eis, qui possunt, & quibus vacat talia discernere, & certa differentiarum ratione deffinire, ad aliud pergimus: & sic irresolutam differentiam relinquit Aug.

QVAEST. DCCLXXXVIII.

AN amor difficilia facilia faciat?

Ea. enarratione. RESPON. Quidquid enim difficile est in precepto, leue est amanti, nec ob aliud recte intelligitur dictũ, onus meũ leue est, ni- *Mat. 11.* si quia dat Spiritũ Sãctũ, per quẽ diffunditur charitas in cordibus *Rom. 5.* nostris, vt amãdo liberaliter faciamus, quod timendo qui facit, ser

uiliter facit. Nec est amicus recti, quando mallet si fieri posset, id quod rectum est, non iuberi.

QVÆST. DCCLXXXIX.

QVę est, hæreticorum doctorum intentio.

RESPON. Hanc enim habent intentionem hæretici doctores, vt ab auribus animarum, quas seducere moliũtur excludãt eos, idest separent eos qui probati sunt argento, idest qui idonei sunt docere eloquia domini. *Ea. enarratione.*

QVÆST. DCCXC.

OPera bona quę sunt?

RESPON. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiũt per dilectionẽ Dei, hęc aũt necesse est, vt antecedat fides, vt inde ista nõ ab istis incipiat illa, qm̃ nullus operatur per dilectionẽ Dei, nisi prius credat in Deũ. Hęc est fides de qua dr̃, in Christo. n. Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputiũ, sed fides q̃ per dilectionẽ operatur, quia ergo vt bona opera sequantur, pręcedit fides, Nec vlla sunt bona opera nisi quę sequuntur pręcedẽtẽ fidem. *Ea. enarratione.* *Gal. 5.*

QVÆST. DCCXCI.

AN pater, & filius, & Spiritus. S. sint vnius substantię.

RESPON. Dicimus patrẽ filium & Spiritum Sanctũ vnius substantię esse; Quid est vnius substantię? verbi gratia, si aurum est pater, aurũ & filius, aurũ & Spiritus. S. Quidquid est pater, qđ Deus est, hoc est filius, hoc Spiritus. S. Cũ aũt pater est nõ illud est, quod illud est, Pater enim non ad se, sed ad filiũ dr̃, ad se aũt deus dicitur: itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est, & quia eiusdem substantię filius, proculdubio, & filius Deus. At vero, quod pater est quia non substantię nomen est, sed refertur ad filium, non sic dicimus filiũ patrem esse, quomodo dicimus filiũ Deũ esse: Queris qđ sit pater. Respondetur Deus. Queris, quid sit filius, respondetur Deus: Queris quid sit pater & filius, respõdetur deus, de solo patre interrogatus deum responde, de solo filio interrogatus, deum responde, de vtroque interrogatus, non deos, sed deum responde. Non sicut in hominibus quæris quid sit pater Abraam, responde- *Enarrat. 1. partis. Psal. 68*

tur homo substantia eius respondetur. Quæris quid sit filius eius Isaac. Respondetur homo, eiusdem substantiæ Abraham & Isaac. Quæris quid sit Abraham & Isaac? Non respondetur homo, sed homines. Non sic in diuinis tanta enim ibi est substantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat, si ergo tibi dictum fuerit, cum dicis mihi filium hoc esse, quod pater est, profecto & filius pater est, responde secundum substantiam tibi dixi hoc esse filium, non secundũ id quod ad aliud dicitur. Ad se enim Deus dicitur, ad parrem filius dicitur. Rursusque pater ad se Deus dicitur, ad filium pater dicitur. Quod dicitur ad filium pater, non est filius, quod dicitur filius ad patrem non est pater, quod dicitur ad se pater & filius ad se hoc est, pater & filius idem Deus.

QVÆST. DCCXCII.

QVid sit obbrobrium, verecundia, & confusio.

2. concione 2. par. eod. psal.

RESPON. Obbrobrium est, quod obijcit inimicus. Confusio est, quæ mordet conscientiam, verecundia est, quæ facit ingenuam frontem etiam de falsi criminis obiectione erubescere, erubescere quidem non est crimen, aut & si crimen est, non est illius cui obijcitur, sed eius qui obijcit, sed tamen infirmitas humani animi, plerunque verecundatur, etiam cum falsum obijcitur, nõ quia obiectum est, sed quia creditum.

QVAEST. DCCXCIII.

QVot sunt genera persecutorum?

Enarrat. Psal. 69

RESPON. Duo sunt genera persecutorum vituperãtiũ, & adulantium, plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris. Nam & ipsam caminum dixit scriptura, certe cum de persecutione loqueretur scriptura dixit: Tãquam aurum in fornace probauit illos, loquens de martyribus interfectis, audi quia & lingua adulantium talis est probatio inquit argenti & auri ignis, vir autem probatur per os laudantium eum. Argenti inquit & auri ignis ille, ignis & iste, de vtroque te saluum oportet exire.

Sap. 3.

Prouer. 27.

QVÆST. DCCXCIIII.

Filius in quibus patri obedire debet.

Respon. In ea ergo re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius iusserit contra dominum deum ipsius. Neque enim debet irasci pater, quãdo sic ei præponitur deus, vbi enim iubet pater, quod contra dominum non sit, sic audiẽdus est quomodo deus, quia obedire patri iussit deus. *1. concione. Psal. 70 Exo. 20.*

QVÆST. DCCXCV.

Homo quando vult cognosci rectus & bonus.

Respond. Quando rectus es? Vis audire? Quando in eo bono quod facis deus tibi placet, in eo autem malo, quod pateris Deus tibi non displicet. *Enarratione prima par. Psal. 70*

QVÆST. DCCXCVI.

Qvare deus homini prohibuit tangere arborem in Paradiso?

Respon. Homo autem positus sub præcepto audiuit a domino deo. Noli tangere. Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est quare non tango? Si mala est. quid facit in Paradiso? Prorsus ideo est in Paradiso, quia est bona, sed nolo tangas. Quare non tango, quia obedientem te volo, non contradicentem seruum, ad hoc serue sed noli male serue, serue audi prius domini iussum, & tunc iubentis disce consilium, bona est arbor. Nolo tangas. Quare? quia dominus sum, & seruus es. Hæc tota causa est, non potuit deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuerit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia inuenit pœnam. *2. concione eo. ps. Gen. 2.*

QVAEST. DCCXCVII.

AN possimus vouere, & sit bene vouere.

Resp. Vouete & reddite domino Deo vestro. Quis quod *Psal. 75*

potest voueat, & reddat. Non voueatis, & nõ reddatis, sed quisque quod potest voueat & reddat. Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis, deficietis, si de vobis præsumitis, si autem de illo cui vouetis, sicuri vouete reddetis. Quid debemus vouere? credere in illum sperare ab illo vitam ęternam, bene viuere secundum communem modum, communis modus est seruare Dei præcepta, quæ omnibus præcipiuntur. Hoc totum omnes vouere debemus, sunt demum vota propria singulorum de his quæ non sunt præcepta, sed ex voto fiunt præcepta, ideo quidam vouit relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam in societatem sanctorum, magnum votum vouit, vouete & reddite domino Deo vestro, vnusquisque quod vouet Deo, si respicit retrorsum malum est.

QVÆST. DCCXCVIII.

AN hominibus pœnę infligantur solum per malos Angelos & non per bonos.

Exposi-tione. RESPON. Si per Angelos malos Deus Aegyptijs plagas inflixit. nunquid audebimus dicere, & aquam in sanguinem per
Psal. 77 eosdem Angelos versam, & ranas per eosdem Augelos factas, quo-
Exo. 7. rum similia etiam magi Pharaonis, veneficijs suis facere potuerũt, vt Angeli mali ex vtraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes, secundum iudicium & dispensationem iustissimi & omnipotentissimi Dei iuste vtentis etiam iniquorum malitia? Non audeo dicere, vnde enim sciniphes facere magi Pharaonis mi
Exo. 8. nime potuerunt? An quia hoc permissi ipsi mali Angeli nõ sunt? An dicendum quod verius est occulta causa est & vires nostras ex-
Gen. 18. cedit, vnde si tantum per Angelos malos Deus irrogat pœnas, & nunquam per bonos, sequitur, vt sodomam credamus euersam per Angelos malos, & hoc falsum est cum scriptura dicat per bonos Angelos; claret igitur ista hominibus fieri per bonos & malos Angelos fieri posse. Quid autem quando fieri oporteat me latet, illũ vero qui facit non latet, & cui voluerit reuelare.

QVAEST. DCCXCIX.

QVOMODO iusti vindictam iniquorum cupiant?

RESPON.

RESPON. Scriptum est lætabitur iustus cum viderit vindictá impiorum lauabit manus suas in sanguine peccatoris, & iterum scriptum est: Diligite inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos, & non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Non solum reddendum est factum malum, pro facto malo, sed nec votum malum, pro facto vel voto malo reddendum est. Reddit autem malum votum, qui etiam si non seipsum vindicat, tamen vt eius inimicum Deus puniat expectat & optat. Quapropter cum & homo iustus, & homo malus volunt de inimicis suis vindicari quomodo discernentur? nisi quia iustus, & magis inimicum suum cupit corrigi quàm puniri, & cum in eum videt a domino vindicari non eius delectat pœna, quia non eum odit, sed iustitia diuina, quia Deũ diligitur: Deniq; si in hoc seculo in eũ vindicatur vel pro illo etiam lętatur si corrigitur, vel certe pro alijs, vt eum timeant imitari, ipse quoque fit melior non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando, ac per hoc de beneuolẽtia est non de malitia, quod lætatur iustus cum videt vindictam, & lauat manus suas, idest opera sua mundiora efficit in sanguine, hoc est in exitio peccatorũ, sumens inde non mali alieni gaudium, sed diuinæ admonitionis exemplum, si autem in futuro seculo, vltimo iudicio Dei vindicat, hoc ei placet quod Deo, ne bene sit malis, ne piorum præmijs etiam impij perfruantur. Quod vtique iniustum est, & a regula veritatis quam iustus diligit alienum.

Expositione. *Psal.* 78 *Psal.* 57 *Mat.* 5. 1. *Pet.* 1.

QVÆST. DCCC.

QVi sunt ædificantes aurum & argentum ligna & stipulam super Christum.

RESPOND. Homines omnino contemnentes, quæ sunt huius mundi non hærentes dilectione aliqua terrenis operibus sancti, casti, sua vendentes & pauperibus distribuentes, possidentes tã quam non possidentes, vtentes hoc mundo, tanquam non vtentes. Tales ædificant aurum &c. sunt alij qui rebus concessis aliquantũ dilectione inhærent, non aliena rapiunt nec cupiunt, sed si sua rapiuntur, conturbantur, & cum fratre suo iudicium habent, vt repetãt sua. Cõtendunt enim pro rebus terrenis amplius quàm decet. Non totum cor suum leuant, sed aliquam partem eius trahunt in terram, occasione veniente martyrij conturbantur, quia amant res proprias.

Exposit. *Psal.* 80

proprias. Habent isti ligna stipulam fœnum super fundamentum, sed rerum concessarum, non illicitarum, & tales saluabuntur quasi per ignem, qui vero ędificant adulteria, blasphemias, & similia, nō se putent, saluos fieri per ignem.

QVAEST. DCCCI.

Psal. 83 VIrtutes vitæ nostræ agendæ quot sunt? & quæ sunt.

RESPON. Virtutes agendæ vitę nostrę, quatuor describuntur a multis, & in scriptura inueniuntur, Prudentia dr̃, qua dignoscimus inter bonum & malum, Iustitia dr̃, qua sua cuiq; tribuimus, nemini quicquam debentes, sed oēs diligentes, Temperantia dicitur qua libidines refrenamus, Fortitudo dicitur qua omnia molesta toleramus.

QVÆST. DCCCII.

Psal. 85 AN Sancti orent pro nobis?

RESPON. Dominus enim noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis omnes martyres qui cum illo sunt interpellant pro nobis, nō transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster, cum autem trāsierit gemitus noster, omnes vna voce in vno populo, in vna patria consolabimur milia milium coniuncta psallentibus Angelicis choris cœlestium potestatum in vna ciuitate viuentium.

QVAEST. DCCCIII.

Psal. 88 DEi iuratio quid sit queritur?

RESPON. Dei quippe iuratio, promissionis est cōfirmatio, bene prohibet homini iurare, ne cōsuetudine iurandi quia potest homo falli, etiam in periurium prolabatur, Deus solus securus iurat, quia falli non potest.

QVÆST. DCCCIIII.

Ex cōmemoratione vsuū. Psal. 90 Mat. 3.

QVare voluit dominus baptizari?

RESPON. Baptizatus est dn̄s. Quare baptizatus? Vt nō aspernaremur baptizari: Nā cū Ioan. diceret dn̄o. Tu ad me venis baptizari, ego a te debeo baptizari, & dn̄s, sine modo, sic enim oportet

portet

portet nos implere omnem iustitiam, voluit impleri humilitatem vt ablueretur, qui sordes nõ habebat, vt quid hoc? propter superbiã futurorũ, poterãt aliquos inuenire cathecumenos & alios, qui vita bona excellerent baptizatos, & dicturi essent. Quid mihi iam opus est baptizari? vt hoc accipiam, quod iste habet quem iam & vita & doctrina præcedo? Huic dñs. Quid pcesisti? Quantũ pcesisti? Tantum ne, quantum ego te? Non est seruus super dominum suũ, neq; discipulus super magistrum suũ, sufficit seruo, vt sit sicut dominus eius, & discipulo, sicut magister eius: Noli extolli vt non quæras baptismum, Baptismum quæres domini, ego serui quæsiui.

QVAEST. DCCCV.

AN augmentum charitatis in hac vita dolorem augeat?

RESPON. Qui apponit scientiã, apponit & dolorem. Ecce abũdet in te charitas, & plus dolebis peccantem. Quanto in te maior charitas est, tãto amplius te torquebit quẽ toleras, non torquebit tanquam irascentem illi, sed tanquã dolentem pro illo. Quanto maior charitas, tanto maiores plagæ de peccatis alienis. *Psal. 98* *Eccl. 1.*

QVÆST. DCCCVI.

PEllicanus quæ auis sit, & de quibusdam suis proprietatibus.

RESPON. Pellicanus nascitur in solitudinib. maxime Nili fluminis in Aegypto, & in solitudine habitat. Legitur de hac aue, quod nolo temere affirmare, sed nec tacere quod dr̃, si verũ est con gruat, si falsum est non teneatur, dñr hę aues tanq̃ colaphis rostrorũ occidere paruulos filios suos, eosdẽq; in nido occisos a se lugere p triduũ postremo dñt matrẽ seipsam grauiter vulnerare & sanguinẽ suũ sup filios fundere, quo illi superfusi reuiuiscũt, aut verũ, aut falsũ fit, cõgruit tñ Christo, q sanguine suo filios suos viuificauit. *Ps. 101.*

QVÆST. DCCCVII.

QVæ est fides christianorum & in quo sua laus consistat?

RESPON. Non enim laus fidei christianorũ est, quia credunt mortuũ Christũ, sed quia credunt resurrexisse Christum, nã mortuũ & paganus credit, & hoc tibi pro crimine obijcit quia in mortuum *Ps. 101.*

mortuum credidisti. Quæ igitur laus tua? Credere resurrexisse
Rom. 10. Christum & sperare te resurrecturum esse per Christum, hæc est laus fidei, si enim credideris in corde tuo, quia dominus est Christus Iesus & confessus fueris ore tuo, quia Deus suscitauit eum a mortuis saluus eris: Non ait si confessus fueris, quia eum tradidit Deus occidendum, sed quia suscitauit eum a mortuis. Quare autẽ credimus & mortuum, quia credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? Hæc fides est christianorum.

QVAEST. DCCCVIII.

Anni Dei quid sunt?

Eod. Ps. RESPON. Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus, sed anni Dei æternitas Dei est. Aeternitas ipsa substantia Dei est, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi, nisi est: non est ibi fuit & erit, quia & quod fuit iam non est, & quod erit nondũ est, sed quidquid ibi est, non nisi est.

QVÆST. DCCCIX.

An Angeli & sancti perituri sint igne quo mundus incendetur in fine.

Ps. 101. RESPON. Quid enim dicturi sumus fratres, quod Angeli perituri sunt igne, quo incendetur mundus? Absit, sed quid? Dicemus quòd Angelos Deus non fecerit? Absit, sed quid dicemus? Et vnde essent, si non ab illo facti essent? Ipse dixit & facta sunt. Ip-
Psal. 32 se mandauit, & creata sunt. Dictum est enim hoc cum operum eius commemoratio fieret, in quibus & Angeli nominati sunt, erunt ergo cum illo Angeli etiam mundo igne flagrante, & erit incendium
Dan. 3. mundi, non incendens sanctos Dei. Quod fuit caminus regis trib. pueris, hoc erit ardens mundus iustis in Trinitate signatis.

QVÆST. DCCCX.

An opera bona sint necessaria.

Eod. Ps. RESPON. De tot milibus intrauerũt in terram promissionis

ſionis niſi duo,& filij in deſerto nati. De veteribus, vnus & vnitas *Nu.* 14.
intrarunt, tanquam caput & corpus Chriſtus & eccleſia, cum omni nouitate illa, ideſt filiorum, ergo filij ſeruorum tuorum inhabitabunt, filij ſeruorum opera ſeruorum ſunt, nemo ibi habitabit niſi per opera ſua. Quid igitur eſt, & filij habitabunt? Nemo glorietur ſe habitaturum in cœleſti terra, ſi dicit ſe ſeruum Dei, & opera non habet: non enim habitabunt niſi filij. Noli ergo eſſe ſterilis, ſi vis habitare terram viuentium, fac filios, ideſt opera.

QVÆST. DCCCXI.

AN Deus coronet dona ſua in nobis, an merita noſtra?

RESPON. Chriſtus vicit ſeculum, gaudeamus quia & in *Pſ.* 102.
illo nos vicimus, qui in nobis victi ſumus, in illo vicimus, ergo coronat te; quia dona ſua coronat non merita tua: plus omnibus illis laborani ait Apoſtolus, ſed vide quid adiunxit, non ego autem *1. Co.* 15
ſed gratia dei mecum, & poſt labores omnes, expectat ipſam coronam: bonum agonem certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui. De cœtero repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam mihi reddet dominus in illa die, & quare? quia certauit, & fidem ſeruauit gratia dei adiutus, ergo & quod coronaris, illius miſericordia coronaris, nuſquam ſis ſuperbus, ſemper lauda dominum.

QVÆST. DCCCXII.

AQuila quid faciat cum ſeneſcit?

RESPON. Dicitur Aquila cum ſenectute corporis preſſa *Eod. Pſ.*
fuerit immoderatione roſtri creſcentis, cibum capere non poſſe, pars enim roſtri eius ſuperior quæ ſupra partem inferiorem aduncatur, cum prę ſenecta immoderatius creuerit, longitudo eius incrementi, non eam ſinit os aperire, vt ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & vncum ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat, non habet morſus, quaſi forcipem, vnde velut tondeat, quod tranſmittat in fauces, & ex hoc prægrauatur languore ſenectutis, & inopia comedēdi langueſcit nimis, ideo inſtinctu naturali pro reparanda vita, & quaſi iuuentute percutit ad petram labium ſuperiorem ipſa Aquila, & frangit, ita vt impedimentum tollatur ſuſcipiendi cibum, & tunc ad cibū accedit, & omnia reparantur, erit poſt ſenectutem tanquā iuuenis Aquila.

QVÆST.

QVÆST. DCCCXIII.

AN ſubueniendum ſit iniquo, & peccatori vt iniquus, & peccator.

Eod. Pſ. RESPON. Fac miſericordiam iniquo, non tanquam iniquo, nam ipſum iniquum tamquam iniquus ne ſuſcipias, ideſt ne quaſi intentione & amore iniquitatis illius eum ſuſcipias, nam & prohibitum eſt dari peccatori, & ſuſcipere peccatores, & tamen omni

Eccl. 12. petēti dandum eſt, vt Eccl. dicit: ideo peccatori petenti dādum eſt, ſed non tamquam peccatori, & tunc tamquam peccatori datur. Quando in quo peccator eſt, hoc placet.

QVAEST. DCCCXIIII.

AN Angeli Dei ſemper dicantur Angeli?

Pſ. 104. RESPON. Spiritus autem Angeli ſunt, & cum ſpiritus ſunt non ſunt Angeli, cum vero mituntur fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen eſt, non naturæ, quæris nomen eius naturæ, ſpiritus eſt, queris officium Angelus eſt. Ex eo quod eſt ſpiritus eſt, ex eo quod agit, Angelus eſt, vide illud in homine, nomen naturę homo, officij miles.

QVÆST. DCCCXV.

3. concione. AN ſolo petenti indigenti, ſubueniendum ſit, & non petenti.

RESPON. Quęre ne quis indigeat, & noli dicere, ſi petie

Pſ. 103. rit dabo: petenti das, quia ſcriptum eſt, omni petenti te da. De nō

Luc. 6. petente, quid ſcriptum eſt? beatus qui intelligit ſuper egenum, &

Pſal. 49 pauperem, qui pręoccupat vocem petituri: quomodo inquis quæro? Eſto curioſus, eſto prouidus, proſpice attende vnde quiſque viuat, vnde ſe tranſigat: vnde habeat, nō reprehēditur iſta curioſitas tua. Alius ad te venit, vt petat: Alium tu, præueni ne petat, ſicut enim de illo, qui te quærit dictum eſt, omni petenti te da. Sic de illo quem iuberis quærere dictum eſt. Sudet elemoſyna in ma

Eccl. 24. nu tua donec inuenias iuſtum cui eam tradas. Nemo vobis dicat, præceptum eſt a Chriſto, vt ſeruo Dei detur, mendico non detur, abſit prorſus, impius iſta loquitur. Da illi, ſed multo magis illi,

ideſt

ideſt Dei ſeruo & iuſto, ille enim petit, & in voce petentis, agnoſce cui des, ille autem quanto minus petit, tanto magis tibi vigilandũ eſt vt præocupes petiturum.

QVÆST. DCCCXVI.

AN iraſci poſſimus ſine peccato.

RESPON. Iraſcimini & nolite peccare: charitas & ſi iraſcitur aliquando vt corrigat, non tenetur rea, quia non inueterauit ira, vt verteretur in odium, ſi autem ira conuerſa fuerit in odium, occidit ſol ſuper iracundiam veſtram. *Ea. concione.* *Pſal. 4.*

QVÆST. DCCCVII.

AN Deus iuſſerit Hebræis, quod ſpoliarent Aegyptios in exitu ab Aegypto.

RESPON. Deus Iſraelitas ditatos auro & argento eduxit de Aegypto, quia & ipſi tales erant, qui nondum poſſent contēnere laborũ ſuorum licet tēporalem, tñ debitam iuſtamq; mercedē, nec in eo quod Aegyptios deceperunt a quibus ſibi vt commodarētur aurum argentũque petiuerunt, putandus eſt Deus huiuſmodi dolos eis, qui ſurſum cor habent vel iubere, vel ſi fecerint approbare, magis enim per illa Dei verba, vtique ab illo qui cor eorũ videbat, & cupiditates examinabat, permiſſi ſunt facere iſta, quàm iuſſi, nõ tamen ſine aliquo profectu animæ carnalis, ꝙ his fecerũt, qui talia iure paſſi ſunt, & quamuis per dolum ab iniquis hominibus, tamē qđ ſibi reddi debuit abſtulerunt, ſicut enim Aegyptiorum iniquitate, ſic iſtorum infirmitate ad id quod opus erat illis factis figurādum, & prænunciandum diuina vſus eſt Deus. *Pſ. 104.* *Exo. 11.*

QVAEST. DCCCLXVIII.

QVantum valeat interceſſio ſanctorum pro nobis apud Deum. *Pſ. 105.*

RESPON. Moyſes obiecit pro ſuo populo ante Deũ dicens, ſi dimittis illis peccatum. Dimitte, ſin autem dele me de libro tuo vitæ, vbi demonſtratum eſt interceſſio ſanctorum quantũ pro alijs valeat apud Deum. Securus enim Moyſes de iuſtitia Dei qua eum delere non poſſet, impetrauit miſericordiā, ne illos, quos iuſte poſſet delere, deleret & damnaret. *Exo. 32.*

QVÆST.

QVÆST. DCCCXIX.

Nu. 20. AN Moyses in magnum reatum inciderit. dum dubie petrã percussit.

In repetitione expositorum. RESPON. Dubitanter enim Moyses petram virga percussit,& ideo hoc miraculum distinxit a cœteris miraculis, in quibus non dubitauerat, hinc offendit, hinc audire meruit vt moreretur, ne intraret in terram promissionis: perturbatus enim murmure populi

Ps. 105. infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit, cui tamẽ Deus, tamquam electo suo, etiam post mortem eius bonum perhibet testimonium, vt intelligamus illam fidei eius titubationem, hac sola pęna fuisse correptam, quod in eam terram, ad quam populum ipse deducebat, non est permissus intrare, absit autem vt eum credamus alienatum a regno gratiæ Dei, quod significabat illa terra pro missionis.

QVAEST. DCCCXX.

QVot tentationes ire volentibus ad Deum occurrunt?

Ps. 106. RESPON. Fac hominem primo nihil quærentem, seductoria securitate secundum vitam veterem, viuentem nihil putantem aliud esse post hanc vitam, quandoque finiendam,& mortiferis delectationibus consopitum, vt excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, vt fiat sollicitus,& tamquam de sonno euigilet, nõne manus Dei excitat eum? Sed tamen a quo sit excitatus ignorat, incipit autem esse iam Dei,& eius suauitatem gustare, cum cognouerit veritatis fidem, sed antequam cognoscat dolet,& dolet errorem suum, inuenit se in errore, vult cognoscere veritatem, pulsat vbi potest, tentat quod potest, famem etiam patitur ipsius veritatis, prima ergo tentatio est, erroris & famis: vbi in hac tentatione fatigatus exclamauerit ad eum, perducitur ad viam fidei, vnde incipiat pargere ad ciuitatem quietis, perducitur ergo ad Christũ, qui dixit, ego sum via, cum ergo ibi fuerit, iam sciens, quod obseruare debeat, & aliquando nimis de se præsumendo, incipit confligere velle bella contra vitia, & propter superbiam superari. Sed sentit difficultatẽ in hoc conflictu ex vehementia vitiorum, & qua via euadat, vt recte viuat non inuenit, iam scit, quomodo viuere debeat, prius in er

tore

rore erat,& famen veritatis patiebatur,modo habet cibum veritatis,& vult bene viuere,conatur & non potest,ligatum se sentit, exclamat ad Deum secunda ergo tentatio est difficultatis in bene operando,sicut prima est erroris & famis, & exclamat ad dominum in hac,& liberat eum de tot difficultatibus,facit ei facile,quod difficile erat, abstinet se a vitijs Dei auxilio cum facilitate, quod prius erat cum difficultate,post has duas tentationes,apud multos notas sequitur tertia tentatio,& si homo superauerit auxiliante domino, illas duas,indiget etiam auxilio in hac tertia, quę est cuiusdam tedij,in moram huius vitę,ita vt aliquando eum,nec legere, nec orare delectet,ideo aduertat,licet a duabus primis sit liberatus, ne in tertia defficiat,ne tedium fastidiumque illum necet, ideo & in hac inuocandus est dominus,vt auxilietur,liberato demum & ab hac tertia fortassis dignus erit,cui populus cõmittatur, & ponatur ad regendam ecclesiam,& ibi erit quarta tentatio. Tempestates maris quatientes ecclesiam turbant gubernatorem, denique tres primas tentationes experiri potest omnis pius fidelis in populo Dei. Quarta autem est gubernantium & maxime prelatorum ecclesiasticorum: in omnibus igitur his tentationibus orandũ est, vt Deus auxilium prębeat,& liberati confiteri ei.

QVÆST. DCCCXXI.

DIfferentiæ reddendi bona,vel mala,quot sunt?

RESPON. Sex sunt in isto genere differentię, videlicet reddere bona pro malis,non reddere mala pro malis, reddere bona pro bonis,reddere mala pro malis,nõ reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis. Horum duo prima bonorum sunt,& eorum duorum prius melius,postrema duo malorum,& eorum posterius deterius. Duo media mediocria quodammodo, sed eorũ prius propinquum bonis,posterius propinquum malis. *Ps.108.*

QVÆST. DCCCXXII.

AN oratio sine Christo sit valida.

RESPON. Oratio eius fiat in peccatum,quoniam non est iusta oratio,nisi per Christum,oratio aũt quę non fit per Christũ, non solũ non põt delere peccatum,sed etiam ipsa fit in peccatum. *Eod. Ps.*

QVAEST.

QVÆST. DCCCXXIII.

POenitere Dei quid est.

Ps. 100. RESPON. Nunquid pœnitet Deum sicut hominem? aut nolens cadit in aliquid vt faciat, aut imprudens prolabitur, vt postea eum de suo prolapsu pœniteat: Scit quid agat, scit quid quousque progrediatur, vnde in aliud commutetur, in potestate rectoris est, sed præsentia mutatio rerum significatur. Quomodo enim tu cum aliquid te pœnitet, doles factum quod fecisti, sic quando aliquid Deus, præter spem hominum, idest præterquam sperat homines mutat in aliud, pœnitere se dicit, vsque adeo, vt de pœna nostra pœniteat eum, si nos de vita nostra mala pœnituerit.

QVÆST. DCCCXXIIII.

QVid petimus dum dicimus in oratione Dominica Dimitte nobis debita nostra.

3. concio ne. RESPON. Petimus ne, vt dimittat quæ nos operamur, quando peccati desiderijs obedimus, an ipsa desideria nobis dimitti vo-
Ps. 118. lumus, quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatũ.
Mat. 6. Quantum quidem ego sapere possum lãguorem & infirmitatem,
Rom. 7. vnde illicita desideria commouentur, idest fomitem ab Apostolo peccatum dictum, dico per baptismum eius reatum solutum esse, & nunquam nobis obesset, si nullis eius illicitis desideriis obedien
Iob. 7. tiam præberemus, tamen quia tentatio est vita humana super terram, etiam si a criminibus longe simus, non tamen deest, vbi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus, quando aduersus maiora vigilantibus quædam incautis minuta surrepunt, & breuiter hæc sunt venialia peccata & imperfectiones in via Dei, quæ & si non singula suis motibus non conterunt, omnia tamen acceruo nos obruunt.

Quapropter petitio fit, & de criminibus & imperfectionibus, & negligentijs in via Dei.

QVÆST. DCCCXXV.

QVot retributiones inueniuntur?

Respon. Quatuor enim retributiones sunt, aut enim mala pro malis, sicut Deus ignem ęternum retributurus est impiis: aut bona pro bonis, sicut regnum ęternum: iustis retributurus est: aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam iustificat impium, aut mala pro bonis, sicut Iudas & Iudęi per malitiam persequuti sunt Christum; Harum quatuor retributionum, duæ priores pertinent ad iustitiam, vt retribuantur mala pro malis, bona pro bonis: tertia pertinet ad misericordiam, vt retribuantur bona pro malis, quartã Deus nescit, nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco posui primitus, necessaria est, nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis; nisi per suam misericordiam Deus nos vocaret ad suã gratiam & iustificaret, non esset cui daret beatam vitam. *Cõcione. 7. Ps. 118.*

QVÆST. DCCCXXVI.

AN differant concupiscere & desiderare?

Respon. Aliud est concupiscere, aliud desiderare, non ꝙ non sit concupiscentia desiderium, sed quia non omnis concupiscentia desiderium est, concupiscuntur enim & quæ habentur, & q̃ non habentur. Nam concupiscendo fruitur homo rebus quas habet, desiderando autem absentia cõcupiscit, desiderium, ergo quid est, nisi rerum absentiam concupiscentia? sepe enim quid agendũ sit videmus, nec agimus quia non delectat vt agamus, & concupimus vt delectet, pręuolat intellectus & tarde sequitur & aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus: Ideo ergo desiderare concupiscimus, quæ bona esse cernimus, cupientes eorum habere delectationem, quorum potuimus videre rationem. *Concione 8. Ps. 118.*

QVÆST. DCCCXXVII.

AN quis sine intelligentia possit in Deum credere.

Respond. Quamuis enim nisi aliquid intelligat nemo possit credere in Deum, tamen ipsa fide qua credit sanatur, vt intelligat ampliora. Alia sunt enim quæ nisi intelligantur non credimus, & alia sunt, quæ nisi credamus non intelli- *Concione 18. Ps. 118.*

gimus. Nam cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, quomodo credit prædicanti fidem, qui vt alia taceã, linguam ipsam quam loquitur non intelligit? sed nisi essent rursus aliqua, quę intelligere non possumus nisi ante credamus, propheta non diceret, nisi credideritis non intelligetis, proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quę credat, & fides proficit ad credenda, quę intelligat, & eadem ipsa vt magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens, sed hoc non fit proprijs tãquã naturalibus viribus, sed Deo adiuuante, atque donante, sicut medicina fit, non natura, vt vitiatus oculus vim cernendi recipiat.

Esa. 7.

QVAEST. DCCCXXVIII.

AN detur iustitia iniusta.

Cõcione. 26. Ps. 118.

RESPON. Iustitia non solet dici bona iustitia, vel mala iustitia, sicut aliquando dicitur bonum, malum ve iudicium, sed eo ipso iam bona est, quia iustitia est, sic ergo habet consuetudo loquendi vt dicatur & bonum iudicium, & malum iudicium, quemadmodum hẽt vt dicatur & bonus iudex, & malus iudex, sic aũt nõ dr̃ bona iustitia, vel mala iustitia, sicut non dicitur bonus iustus, vel malus iustus, quia continuo bonus quisque si iustus.

QVÆST. DCCCXXIX.

QVomodo toto corde clamatur ad Deum?

Cõcione. 29. Ps. 118.

RESPON. Clamor ad dominum qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, nõ intẽto in dominum corde, quis dubitet innaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silenti corporis voce alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce canis, quando id opus est siue cum silentio, ad Deũ cum oramus corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio. Quę cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, vt non desperet effectum, tunc porro: in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur tales orationes rarę sunt multis, crebræ paucis.

QVÆST. DCCLXXXIX.

AN amor possit esse otiosus.

RESPON.

Respon. Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis, necesse est, vt ducat, sed vis nosse qualis sit? vide quo ducat, non enim monemus, vt nil ametis, sed monemus ne mundum ametis, vt eum qui fecit mundum libere ametis, obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pēnis, volare non potest, mundata vero ab affectibus sordidissimis seculi, tamquam extensis pennis, & duabus alis resolutis, ab omni impedimento, idest duobus præceptis dillectionis Dei, & proximi volat? Quo nisi ad Deum ascendit volañdo, qui ascendit amando? *Enarrat. Ps. 121.*

QVÆST. DCCCXXXI.

TRibus quid sunt?

Respon. Tribus alio nomine dici possunt curiæ. Sed non proprie, itaque tribus vno nomine alio proprie non possunt, sed vicino dicuntur curię. Nam propriæ si dixerimus curias, non intelliguntur nisi curię, quæ sunt in ciuitatibus singulis singulę, vnde dicuntur curiales, & decuriones, idest quòd sint in curia, vel de curie, & nostis, quia tales curias singulas habent singulæ ciuitates, sunt autem, vel erant aliquando in istis quoque ciuitatibus curię trium populorum, & vna ciuitas multas curias habet, sicut Roma triginta quinque curias habet populi, hæc dicuntur tribus. Has populos Israel duodecim habebat, secundum filios Iacob qui fuerant duodecim. *Eod. Ps.*

QVÆST. DCCCXXXII.

DEus vbi habitabat antequam faceret cœlum, & terram?

Respon. Antequam faceret Deus cœlum & terram vbi habitabat? sed dicit aliquis. Antequam Deus faceret sanctos, vbi habitabat? cum dicatur habitare in sanctis: in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus, & quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti domus dei, vt ipsa subtracta cadat deus. Aliter enim nos habitamus in domo, Aliter deus in sanctis: Tu habitas in domo, si subtracta fuerit, cadis, deus autem sic habitat in sanctis, vt si ipse discesserit, ipsi cadant. *Enarrat. Ps. 122.*

QVÆST. DCCCXXXIII.

QVare Deus fecit pauperem?

Ps. 124. RESPON. Dicunt quidam non debuit Deus facere pauperes, sed soli diuites esse debuernnt, & ipsi soli viuerent; vt quid factus est pauper? Vt quid viuit? Cito autem responderi potest, fecit Deus pauperem, vt probet hominem Deus, & fecit diuitem Deus vt probet illum de paupere, & omnia quæ fecit recte fecit.

QVÆST. DCCCXXXIIII.

QVis est timor castus, & quis timor non castus?

Ps. 127. RESPON. Timor domini castus permanet in seculum seculi. Alius ergo timor domini permanet, alius excluditur. Timor qui excluditur castus non est, qui autem permanet castus est: Quis est timor qui excluditur? Audi. Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ęgritudo accedat, & breuiter ne aliqua tribulatio occurrat, & propterea timent, & tremunt, tlmor iste non est castus, alij non timent in hac terra pati, sed timent gehennam. Habent isti timorem propter quem continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant iustitiam, fit postmodum consuetudo non peccandi, & iustitiæ, & sic homo incipit iuste viuere propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem, & sic exclusus est timor a charitate, & successit timor castus. Quis est istæ timor castus? castus enim timor hoc habet, quia venit de amore: Timor vero nōdum castus præsentiam domini, & pœnas timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi malum, non timet ne perdat, amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam, bonus est & iste timor, & vtilis, non quidem permanebit in seculū seculi: Iterum interrogo, quis sit iste timor castus? fac vt Deus dicat. Accipe omnem delectationem mundi, pecca in omnibus, & fac quidquid te delectat, faciem tantum meam nunquam videbis, hic timor castus gemeret, & diceret, immo tollantur omnia, & faciem tuam videam, spernit omnia caduca, vt solum Deum habeat. Amat Deum, propter Deum.

QVÆST. DCCCXXXV.

AN hominem chriſtiauum non facientem miracula dicere debemus non iuſtum.

RESPON. Si obiectum fuerit & dictum ſi iuſtus eſſes reſuſcitares mortuos, quomodo reſuſcitauit Petrus: cum ergo hoc audierit homo, qui proficit, quaſi obiectam calumniam ab ignaris paganis ab hominibus neſcientibus quid loquantur, in compage corporis Ghriſti reſpondeat & dicat. Quid dicis: Non es iuſtus, quia non facis miraculum, poſſis & audiri dicere. Non es in corpore, quia non vides, faceres inquit & tu, ſicut & Petrus fecit, ſed ipſe Petrus & mihi fecit, quia in eo corpore ſum, in quo Petrus fecit in illo quod poteſt, poſſum a quo diuiſus non ſum. Quod minus poſſum compatitur mihi, & quod plus poteſt congaudeo illi. Non arguit igitur me non eſſe iuſtum, ſi miracula, quæ multi ſancti fecerunt, non facio. *Pſ. 130.*

QVÆST. DCCCXXXVI.

DOlores in humanis corporibus poſſunt ne fieri a ſpiritibus malignis.

RESPON. Paulus Apoſtolus colaphizabatur ab Angelo Satanæ. Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer. Dolores autem corporum plerunque imittuntur ab Angelis Satanæ, ſed hoc non poſſunt niſi permiſſi, vt factum eſt in Iob. Neſcit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cum ſeuit, ſeuiens intrauit in cor Iudę, ſeuiens tradidit Chriſtum, ſeuiens crucifixit, & crucifixo Chriſto redemptus eſt orbis terrarum, ecce ſeuitia diaboli, diabolo obfuit, nobis autem profuit. *Eod. Pſ.* *2. Co. 12* *Iob. 1.*

QVÆST. DCCCXXXVII.

AN verbum Dei crucifixum ſit?

RESPON. Et quia ipſum verbum caro factũ eſt, & ipſum verbum crucifixũ eſt, ſed non eſt mutatum in hoĩem, homo in illo mutatus eſt, Mutatus eſt homo in illo, vt melior fieret, quàm erat, Non vt ipſa ſubſtantia verbi conuerteretur, per id ergo quod homo erat, mortuus eſt Deus, & per id quod Deus erat excitatus *Eod. Pſ.*

est homo & resurrexit, & ascendit in cęlum, quidquid passus est homo non potest dici non passus est Deus, quia Deus erat hominem assumendo, sed non est mutatus in hominem, quomodo non potes dicere non te passum iniuriam, si vestis tua conscindatur.

QVÆST. DCCCXXXVIII.

QVare laudamus Deum?

Ps. 134. RESPON. Cogitate & videte, quoniam quidquid laudatis, quia bonum est, insanit qui laudat quod non est bonum, si laudes iniquum eo ipso quòd iniquus est, nonne & tu iniquus es? si laudes iustum in eo ipso quod iustus est, nonne & tu habes inde partem laudando? Non enim laudares iustum nisi amares, non amares, si nihil inde haberes, si ergo quidquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum est, nulla tibi maior causa & melior, & firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est.

QVÆST. DCCCXXXIX.

QVomodo charitas christianorum separetur a charitate apparente malorum.

Præfat. RESPON. Quidquid salubriter concipitur mente, vel ore pro-
Ps. 140. fertur, vel de qualibet diuina pagina exculpitur, non habet finem nisi charitatem. Hæc autem charitas non qualiscunque est, nam & male viuentes se amant, simul colloquuntur associantur, sed ad mala, nolunt ab inuicẽ discedere, & talia dicunt esse charitatis effe-
1. Ti. 1. ctus. Amor iste turtureus est, vt igitur charitas christianorum a talibus charitatibus separetur, sic definitur ab Apostolo, finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Vide vtrum inter se latrones habeant talem charitatem, de puro
Mat. 12. corde, purum cor in charitate, hoc est quando diligis hominem secundum Deum, quia & teipsum sic debes diligere, vt non erret regula. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Differentia igitur magna est inter charitatem veram christianorum, & apparentem charitatem malorum.

QVÆST.

QVÆST. DCCCXL.

AN ante Christi mortem fuerint martyres Christi.

RESPON. Propter Christum, id est propter confessionē nominis Christi, quo christiani sumus, nemo mortuus est ante Christum, Ne forte occurrat nobis? Multi enim mortui sunt: & martyres sunt, multi & prophetæ talia passi sunt, non tamen ideo moriebãtur, quia prænunciabant Christum, sed quia peccata hominum dicebant in eos, & eorum iniquitatibus liberius resistebãt, & habentur inter martyres, iuste etenim, si non pro nominis Christi confessione, tamen pro veritate occisi sunt, vsque adeo autē pro ipso nomine, idest pro cōfessione nominis Christi, nemo mortuus est ante Christum, cuius ex persona dictum est, singularis ego sum donec transeam, scilicet ex hoc mundo ad patrem, & transiuit per mortem, & si Ioannes Baptista mortuus est ante mortem Christi, non propter hoc interfectus est, quia confessus est Christum, sed caput suum saltatrici donatum est, ergo fuit Christus singularis ante suam mortem. Demum post ipsum, multi martyres sui sequuti sunt. *Ps. 140.*

QVÆST. DCCCXLI.

AN diabolus nos tentet, nisi prius videat in nobis aliquid carnaliter dominari.

RESPON. Non enim tentat diabolus, vel Angeli eius, nisi qđ in te carnaliter dominatur, nam quomodo vincimus illos hostes, quos non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus? His confligimus illis percutimur, & illos percutimus, in amore pecuniæ dominatur auaritia, Dominante tibi auaritia, diabolus forinsecus lucrum cum fraude proponit, plerunque enim ad lucrum non peruenis nisi fraudem feceris, proponit ergo ille forinsecus, auaritiæ tuę quam intus non vicisti, proponit tanquā athletę suo agonotheta malus fraudem, & lucrum, opus, & prēmium, fac & tolle, si vero calcaueris auaritiā, si interius tibi nō dominatur, quam si sentires vinces, iam diabolum insidiantem non sentis. *Ps. 143.*

QVÆST. DCCCXLII.

Ps. 145. AN anima peccatrix sit laudabiliter & melior corpore pulchro. RESPON. Sicut aurum sordidum est melius plumbo purgatissimo, etiam anima peccatrix melior est pulcherrimo corpore. Licet vituperem sordidum aurum, & laudem plumbum purgatissimum, tamen melius est aurum, ita licet vituperem animam inquinatam & laudem corpus pulchrum, tamẽ anima inquinata melior est corpore pulchro, quia natura ipsum excellit.

QVAEST. DCCCXLIII.

Ps. 147. PAx sancta quid in nobis agat? RESPOND. Quid agit pax? De incertis non iudicat incognita non confirmat? procliuior est ad bene credendum de homine, quàm ad male suspicandum, Non se multum dolet errare cum bene credit etiam de malo, pernitiosa autem cum male senserit forte de bono, nesciens qualis sit. Quid perdo si credo, quia bonus est? si incertum est, licet vt caueas ne forte verum sit, non tamen damnes tanquã verum sit. Hoc pax iubet. Quære pacem & sequere eã.

QVAEST. DCCCXLIIII.

Eod. Ps. QVare modo non loquamur varijs linguis, licet detur Spiritus S. RESPON. Tempore Apostolorum, hoc erat iudicium venientis in homines Spiritus Sancti, vt linguis omnium loqueretur. Modo dico tibi contradicenti. Datur modo Spiritus Sanctus? an non datur? si non datur, quid est, quod agis loquendo, baptizãdo, benedicendo? Ergo datur, Si datur: Quare nos linguis omnium loquuntur quibus datur? Nunquid defecit donum Dei, aut minor est fructus? Quare non apparet modo Spiritus Sanctus in linguis omnibus? immo vero apparet in linguis omnib. Tunc enim nondum erat in ecclesia, per orbem terrarum diffusa, vt membra Christi in omnibus gentibus loquerentur, tunc implebatur in vno, qđ prænunciabatur in omnibus, iam totum corpus Christi loquitur omnium linguis & quibus nondum loquitur, loquetur. Crescit.n. ecclesia donec occupet omnes linguas. loquor omnium linguis,

audeo tibi dicere, in corpore Christi sum, in ecclesia Christi sum, si corpus Christi omnium linguis iam loquitur, & ego in omnib. linguis sum, mea est Græca, mea est Syra, mea est Hebræa, mea est omnium gentium, quia in vnitate sum omnium gentium.

QVÆST. DCCCXLV.

QVid est Hymnus?

RESPON. Hymnus cantus est cum laude Dei, si laudas Deum & non cantas, non dicis hymnum, si cantas enim & nō laudas Deum, non dicis hymnum, si laudas aliquid quod nō pertinet ad laudem Dei, & si cantando laudes non dicis Hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, & canticum, & laudem, Dei. Laus ergo Dei in cantico hymnus dicitur. *Ps. 148.*

QVÆST. DCCCXLVI.

ARguentes Deum dicunt quare in mare pluuit Deus, vbi non deficit aqua, & in Getulia non pluuit, vbi est magna siccitas.

RESPON. Ad istos dicitur, quod totum, quod fit, Dei prouidentia fit, in terra, & in mari. Nonne in mari fecit pisces, qui aluntur pluuia. Currunt enim pisces ad aquam dulcem, & quare inquis piscis pluuit, & non mihi? vt cogites te in regione esse deserti, & in peregrinatione vitæ, vt amarescat tibi vita presens, & futuram desideres, aut vt flagelleris, & corripiaris, & corrigaris. Quomodo autem distribuit propria regionum? Ecce quia de Getulia loquuti sumus, pluuit apud nos, omni anno, & omni anno dat frumētum, seruari apud nos frumentum non potest, cito corrumpitur, quia omni anno datur, in Getulia quia raro, & multum datur, & diu seruatur, Lauda ergo dominum in omnibus operibus suis, & non arguas eum. *Eod. Ps.*

INCIPIT

INCIPIT TOMVS NONVS.

QVAEST. DCCCXLVII.



VOMODO a nobis possit aliqualiter & superficialiter cognosci verbum Dei.

1. *Trac. super Io.* RESPON. Considera in homine duo esse verba, & quæ per sonum literarum exprimũtur, & quæ sunt in mente hominis, quæ dicuntur trãseunt, videlicet ille sonus ex literis & syllabis factus. Quod autem significauit sonus & in cogitante est & in intelligente, hoc est verbum mentis. Quis vult facere fabricã, prius cor generat consilium, & in sit consilium quasi proles mentis tuæ, quasi filius cordis tui, facta fabrica homines mirantur consilium fabricantis, stupent quod vident, & amant quod non vident, si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium, vis videre quale consilium Dei est? Dominus Iesus Christus, idest verbũ Dei: Attende fabricam istam mundi, vide quæ sint, quæ facta sunt per verbum, & tunc cognosces quale sit verbum: Attende hæc duo mundi corpora, cœlum & terra, & quidquid continent, per hoc verbum facta sunt.

QVÆST. DCCCXLVIII.

QVomodo intelligitur nobis a Deo dari gratiam pro gratia.

3. *Trac. super Io.* RESPON. Primo enim accipimus de plenitudine eius, id est gratiam, idest fidem, demum gratiam pro gratia, idest vitã ęternam, quę dicitur gratia pro fide, quę & ipsa est gratia, vita ęterna fideli est debita, tanquam merces fidei, sed quia fides gratia est, & vita ęterna gratia est, & sic habemus gratiam pro gratia, quia & fides gratis datur, & vita ęterna gratis datur licet operibus bonis detur, quia tamen opera bona dona Dei sunt, & coronat deus dona sua, quæ non ex pręcedentibus meritis dantur, sed gratis: Ideo & ipsa vocatur gratia: Ideo gratiam pro gratia, fides cui datur vita ęterna est Dei donum, & dono Dei datur vita ęterna, idest do-

num

num pro dono, a dono ſequitur donum ab homine libere acce-pto, et acceptum.

QVÆST. DCCCXLIX.

QVare Ioãnes Baptiſta vltra Chriſtum, multos alios baptizauit. *4. Trac. ſuper Io.*
RESPON. Si ſolum dominum Ioannes baptizaſſet, non deeſſent qui putarent ſanctius fuiſſe baptiſmum Ioannis, quàm Chriſti, quaſi baptiſmate Ioannis, ſolus Chriſtus meruiſſet baptizari, baptiſmate autem Chriſti genus humanum, intẽdat charitas veſtra, baptiſmate Chriſti, baptizati ſumus non tantum nos, ſed et vniuerſus orbis terrarum, et baptizatur vſque in finem, baptiſmus autem Ioannis ipſo in carcere poſito finiuit.

QVÆST. DCCCL.

AN quidquid ex ſe loquitur homo ſit mendacium.
RESPON. Quæ ab homine ſunt mendacia ſunt, ſicut ipſe Chriſtus dixit. Qui loquitur mendacium de ſuo loquitur. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum, ſi quid autem homo habet veritatis, atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo. *5. Trac. ſuper Io. Ioan. 8.*

QVÆST. DCCCLI.

QVid cognouit Ioannes de Chriſto, cum vidit ſpiritum deſcendentem ſicut columbam.
RESPON. Non vtique didicit per columbã ipſum eſſe Chriſtum. Dixerat enim ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me, ſed didicit per columbam Chriſtum eſset ſoli ſibi baptizandi poteſtatem retenturum et nulli ſeruo eam daturum, ſed ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus bonus, ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus malus non ſciret ſe ille, qui baptizaretur, baptizari niſi ab illo, qui ſibi tenuit baptizandi poteſtatem: ideo ſi quis a malo baptizatur non perdit hęreditatem ęternam, ſicut filij ancillarum Iacob obtinuerunt hæreditatem cum filijs liberarum propter ſemen paternum. *Eo. trac.*

QVÆST.

QVAEST. DCCCLII.

AN baptiſmus Ioannis fuerit ſufficiens ſine baptiſmo Chriſti.

Eo. trac. RESPON. Qui baptizati ſunt a Ioanne non eis ſuffecit, baptizati ſunt enim in baptiſmo Chriſti, quia non baptiſmus Chriſti, erat baptiſmus Ioannis. Qui accipiunt baptiſmum Chriſti, baptiſmum Ioannis non quærunt, qui acceperunt baptiſmum Ioannis, baptiſmum Chriſti quæſierunt.

QVAEST. DCCCLIII.

QVare Spiritus Sanctus voluit apparere in ſpecie columbæ in baptiſmo Chriſti.

Trac. 6. ſuper Io. RESPON. Qui ad Chriſtum venit per baptiſmum, habet gemere pro præſſuris huiuſmundi, cum in baptiſmo renuntiauit: co columba gemit, & Spiritus Sanctus licet non gemat eſt tamen qui facit nos ſalubriter gemere, qui venit ad Chriſtum per baptiſmũ, ſimplicem eſſe oportet ſicut columbam, & habere cum frattibus veram pacem, quam ſignificant oſcula columbarum, & proterea deſcendit Spiritus. S. in Chriſti baptiſmo ſicut columba, vt ingrederetur ad nos vt pacificus rex, & inſinuans nos aquirere per bapti mum ſuum, ſuam ſanctam pacem.

QVÆST. DCCCLIIII.

QVo iure humano an diuino, dicunt homines hæc eſt villa mea.

Trac. 6. ſuper Io. RESP. Quo iure defendis villas? Diuino an humano? Reſpõdeant. Diuinum ius in ſcripturis habemus, humanum ius in legibus regum vnde quiſque poſſidet? Non ne iure humano? Nam iure diuino domini eſt, terra & plenitudo eius, pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes, & diuites vna terra ſuppor tat: iure tamen humano dicit, Hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſeruus meus eſt, iure ergo humano, iure imperatorũ. Quare? quia ipſa iura humana per imperatores etreges ſeculi Deus diſtribuit generi hnmano.

QVÆST. DCCCLV.

DOlus quid eſt?

RESPON. Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt; quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & tanquam duo corda habet, vnum quaſi ſinum cordis habet, vbi videt veritatem, & alterum ſinum, vbi concipit mendacium, & vt noueritis hunc eſſe dolum: Dictum eſt in Pſalmis, labia doloſa. *Trac. 7.* *Pſ. 11.*

QVÆST. DCCCLVI.

AN vti poſſumus Euangelio ſcripto pro ſedandis corporis doloribus.

RESPOND. Cum caput tibi dolet, laudamus ſi Euangeliū ad caput tibi poſueris, & non ad ligaturam cucurreris. Adhoc.n. perducta eſt infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines, qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus quando videmus hominē in lectulo ſuo conſtitutum iactari febribus & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi vt ſibi Euangelium ad caput poneret, nō quia ad hoc factum eſt, ſed quia prælatum eſt Euangelium ligaturis, ſi ergo ad caput ponitur vt quieſcat dolor capitis ad cor non ponitur vt ſanetur a peccatis? *80. trac.*

QVAEST. DCCCLVII.

QVot natiuitates inueniuntur?

RESPON. Duæ natiuitates ſunt, vna eſt de terra, alia de cœlo: vna eſt de carne, alia eſt de ſpiritu: vna eſt de mortalitate, alia eſt de ęternitate: vna eſt de maſculo & fœmina, alia de Deo & eccleſia: ſed ipſe duæ ſingulæ ſunt, nec illa poteſt repeti, nec illa. *Trac. 11 ſuper Io.*

QVAEST. DCCCLVIII.

CHriſtus ſolus in cœlum aſcendit, quia ſolus deſcendit, quomodo ergo nos aſcendemus?

RESPON. Solus Chriſtus enim deſcendit, & ſolus aſcendit, q. hoc ait: Nemo aſcendit in cœlū, niſi qui deſcēdit de cœlo. Nō ergo *Trac. 12 ſuper Io.*

aſcenſuri

ascensuri sunt in cęlum, quos facit filios Dei? Ascensuri sunt plane;
Mat. 12. Hæc nobis promissio est. Erunt ęquales Angelis Dei.

Quomodo ergo nemo ascendit nisi qui descendit? Quia vnus descendit, & vnus ascendit; De cęteris quid intelligẽdum, nisi quia membra eius erunt, vt vnus ascendat, ea spes est cœteris, quia ille propterea descendit, & ascendit, vt in illo & cum illo, vnum essent qui per illum ascensuri essent, quod dixit vnum, hoc dixit omnes nos esse, & iste vnus commendat vnitatem ecclesiæ, si vnus ergo Christus ascendit, qui est caput ascendent & membra, vt totum corpus Christi ascendat.

QVÆST. DCCCLIX.

VNde incipiunt nostra bona opera?

Eo. trac. RESPON. Opportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei, cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua: Initiũ operum bonorum cõfessio est operum malorum, venis autem ad lucem, vt manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta, quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet. Non amplius te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis non dicis iustus sum, cum sis ini quus, & incipis facere veritatem.

QVÆST. DCCCLX.

AN multa minuta peccata multum aggrauent animam.

Eo. trac. RESPON. Quomodo minuta plura occidunt? Minutę sunt guttę quæ flumina implent, minuta sunt grana arenę, sed si multa aręna imponatur præmit, atque opprimit, hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens, paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruuant peccata gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo, iter autem huius seculi molestum est, plenum est tentationibus, in rebus prosperis nę extollat, in rebus aduersis ne frangat.

QVAEST.

QVAEST. DCCCLXI.

BAptiſmus Chriſti, quid eſt?

RESPON. Quid eſt, baptiſmus Chriſti? Lauacrum aquæ in verbo. Tolle aquam non eſt baptiſmus. Tolle verbum & non eſt baptiſmus. *Trac. 15 ſuper Io.*

QVÆST. DCCCLXII.

PRodigium quid eſt.

RESPON. Prodigium enim appellatum eſt, quaſi porrodicium, quod porro dicat, porro ſignificet, & aliquid futurum eſſe portendat. *Trac. 16 ſuper Io.*

QVÆST. DCCCLXIII.

DIlectio quæ eſt prior, Dei, an proximi?

RESPON. Dilectio DEI prior eſt, ordine pręcipiendi, proximi autem dilectio prior eſt, ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem iſtam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & poſtea Deum, ſed prius Deum poſtea proximum, tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum, promereris quē videas: diligendo proximum, purgas oculū ad videndum Deum euidenter Ioanne dicente, ſi fratrem, quem vides non diligis, Deum quē nō vides, quomodo diligere poteris? *Trac. 17 ſuper Io.* *1. Io. 4.*

QVÆST. DCCCLXIIII.

AN ęternus pater ſit venturus ad iudicium?

RESPON. Neque enim ad iudicium viuorum & mortuorum pater ipſe venturus eſt, nec tamen recedit a filio pater. Quomodo ergo non ipſe venturus eſt? quia non ipſe videbitur in iudicio: videbunt in quem pupugerūt, forma illa erit iudex, quæ ſtetit ſub iudice, illa iudicabit, quę iudicata eſt, iudicata eſt enim inique, iudicabit iuſte, veniet ergo forma ſerui, & apparebit, etenim forma Dei quomodo apparebit iuſtis, & iniuſtis? Nam ſi iudicium, non fieret niſi inter ſolos iuſtos, appareret tamquam iuſtis forma *Trac. 19 ſuper Io.*

Dei

Dei. Quia vero iudicium futurum est iustorum & iniquorum, nec licet vt iniqui videant Deum, beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, talis apparebit qualis videri possit, & ab eis quos coronaturus est, & ab eis quos damnaturus est, forma ergo serui videbitur, occulta erit forma DEI, occultus erit in seruo filius DEI, & apparebit filius hominis, quia potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est: Et quia ipse solus apparebit in forma serui, pater autem non apparebit, quia non est indutus forma serui, ideo ait: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.

QVAEST. DCCCLXV.

QVid est, quod dicit Ioannes, non potest a se filius facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem.

Trac. 20 super Io. RESPON. Cum sint inseparabilia opera patris & filij, quod dicitur non potest filius a se quicquam facere, est ac si diceret filius non est a se, etenim si filius est, natus est, si natus est, ab illo est de quo natus est, sed tamen ęqualem sibi genuit: non enim defuit aliquid generanti, aut tempus quæsiuit vt generaret, qui genuit coęternum, aut matrem quæsiuit, vt generaret, qui de se protulit verbum, aut pater generans ętate præcesserat filium, vt minorem filium generaret: ęqualis ergo ęqualem genuit, ęternus ęternum. Quomodo, inquit aliquis, ęternus ęternum? Quomodo flamma temporalis generat lucem temporalem, coeua autem est flamma generans luci quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam, sed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. DA mihi flammam sine luce, & do tibi DEum patrem sine filio. Hoc est ergo non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, quia videre filij, hoc est natũ esse de patre.

QVAEST. DCCCLXVI.

AN miracula Christi sint facta a solo Christo an insimul & a patre.

Trac. 22 super Io. RESPON. Quid dicimus, Lazarum suscitauit Christus, quẽ mortuum suscitauit pater? vt videret Christus, quemadmodum Lazarum suscitaret? An quando Lazarum suscitauit Christus,

non eum reſuſcitauit pater? Et ſine patre fecit filius ſolus? Legite Euangelium, & videte quia patrem inuocat, vt reſurgat Lazarus: ſicut homo inuocat patrem, ſicut Deus facit cum patre, ergo & Lazarus quod reſurrexit & a patre & a filio ſuſcitatus eſt, in dono & gratia Spiritus Sancti, & illud mirabile opus Trinitas fecit. *Ioan. 1.*

QVÆST. DCCCLXVII.

AN filius Dei ſit minor patre quia a patre miſſus eſt.

RESPON. Dicis forſan maior eſt pater, quia miſit. Recede a carne vetus homo ſuggerit hoc. Nam lego miſſionem, & audio, ſed non ſeparationem. Dicis iterum videmus in rebus humanis, quia maior eſt, qui mittit, quàm ille, qui mittitur, ſed res humanæ fallunt hominem, res diuinæ purgant, Noli attendere ad res humanas, vbi maior videtur, qui mittit, & minor qui mittitur, quamquam & ipſe res humanæ dicunt contra teſtimonium, velut verbi gratia, ſi quis vxorem vellet petere, & per ſe non poſſet, amicum maiorem mittit, qui petat ei. Et ſunt multa in quibus maior eligitur, qui mittatur a minore. Quid ergo calumniam vis facere, quia ille miſit, ille miſſus eſt? Sol radium mittit & non ſeparat. Luna ſplendorem mittit & non ſeparat. Lucerna lumen fundit & non ſeparat, video ibi miſsionem & nullam video ſeparationem: Ideo non attendas ad res humanas, quia fallunt. Attende quàm ſit aliud in rebus humanis, vnde vis ducere exempla ad res diuinas. Homo qui mittit manet ipſe, & pergit ille qui mittitur. Nunquid pergit homo cum eo quem mittit? Pater autem qui miſit filium, non receſſit a filio, dicente ipſo. Non ſolus ſum, quia pater mecum eſt. Miſſus enim & mittens vnum ſunt. *Eo. trac.*

QVAEST. DCCCLXVIII.

IVdicium quot modis dicitur.

RESPON. Hortor ergo vt attendatis, aliquando iudiciũ diſcriminatio dicitur, ſecundum illum modum quo dicitur iudiciũ diſcriminatio, oportet nos exhiberi, ante tribunal Chriſti, vt illic *Trac. 22 ſuper Io.*

recipiat homo, quæ per corpus gessit siue bonum, siue malum, ipsa est enim discriminatio, vt bonis bona, malis mala distribuantur,
Psal. 42 nam si iudicium semper in malo acciperetur, non diceret Psal. Iudica me Deus, potius diceret parce mihi Deus. Ideo qui dicit psallendo Iudica me Deus. Credit aliquid boni esse, quod cantat, & hoc aperit Psal. Dum sequitur. Et discerne causam meam a gente non sancta. Ergo secundum hoc iudicium discretionis, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Secunndum iudicium autem damnationis, qui audit verba mea inquit, & credit ei qui misit me, habet vitam ęternam, & in iudicium non veniet, sed transitum facit a morte ad vitam. Quid est in iudicium non veniet? in damnationem non veniet & in scripturis ponitur pro pęna aliquãdo iudicium, & pro damnatione, sic enim ait Apostolus, propterea
1. Co. 15 multi in vobis infirmi & ægroti dormiunt sufficienter. Multi. n. propterea etiam moriebantur. Et secutus est si enim nos ipsos iudicaremus a domino non iudicaremur, hoc est si nos ipsos corriperemus, a domino non corriperemur, cum iudicamur autem a domino, corripimur, ne cũ hoc mundo damnemur: sunt ergo secundum pœnam qui iudicantur hic, vt parcatur illis, ibi sunt quibus parcatur hic, vt abundantius torqueantur ibi, sunt ergo plura iudicia diuina.

QVÆST. DCCCLXIX.

Religio christiana quæ est quæ per tot mundum prædicatur.
Trac. 23 super Io. RESPON. Hæc est religio christiana, vt collatur vnus Deus, non multi dij, quia non facit animam beatam nisi vnus Deus. participatione Dei fit beata, non participatione sanctæ animę, fit beata infirma anima, nec participatione Angeli, fit beata sancta anima, sed si quærit beatam esse infirmam animã, quærat vnde beata sit sancta anima. Non efficeris beatus ex Angelo tu. Sed vnde Angelus, inde & tu.

QVÆST. DCCCLXX.

Quot resurrectiones inueniuntur.
RESPON. Duę resurrectiones sunt, vna animę, altera cor
Eo. trac. poris & ambę per Christũ fiunt, vtrunq; mortuum erat, corpus

ex infirmitate anima ex iniquitate. Reſurget anima ex iniquitate per Chriſtum, per id quod Deus eſt, reſurget corpus a corruptione per Chriſtum per id quod homo eſt. Animæ reſurgent per ſubſtantiā Dei, corpora per diſpenſationem humanam. Quia vtrunq; mortuum erat, vtrunque reſurgat, Quid vtrũque? anima & corpus, per quid ergo anima, niſi per dominū Chriſtum per quid corpus? niſi per hominem eundem Chriſtum.

QVÆST. DCCCLXXI.

AN quiſquam credat in Chriſtum inuitus?

RESPON. Nemo venit ad Chriſtum niſi tractus a patre, & tamen nemo poteſt credere niſi volens, intrare quiſquam eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolēs, accipere poteſt ſacramentum nolens, ſed nolens non poteſt credere, quia inquit Apoſtolus corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſed talis confeſſio non prodeſt, ſi non credat corde, cum ergo in Chriſtum corde credatur, quod nemo vtique facit inuitus, qui autem trahitur, taquam inuitus cogi videtur, ſed dico corde credenti, noli te cogitare inuitum trahi. Trahitur animus & amore, trahitur & voluptate. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis, poetę porro ſi licuit dicere, trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio, quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt? Nam ſi ſenſus habent ſuas voluptates, quare non & animus ſuas? inebriabuntur quidem ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. Trahit ergo pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum, & iſte tractus eſt voluntarius, & non inuitus.

Trac. 26 ſuper Io.

Rom. 10.

Pſal. 36

Virgil. in 2. Eglo.

QVÆST. DCCCLXXII.

AN proſit homini ſacramentum altaris, ſine virtute eius.

RESPON. Multi viſibilem cibum accipiunt, ſed aliud eſt *Eo. trac.*

sacramentum aliud est virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur, vnde dicit Apostolus, iudicium sibi manducat & bibit: Nonne bucella dominica,
2. Cor. 5. venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & cum accepit, in eum inimi-
De cons. d. 2. c. panem de altari. cus intrauit, non quia malum accepit: sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata & si sint quottidiana non tamẽ mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis dimittetur tibi, securus accede, panis est non venenum: sed vide si dimittis, nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis, mentiri Deo potes, fallere non potes.

QVÆST. DCCCLXXIII.

QVid significat assumptio sacramenti altaris.

80. trac. RESPOND. Qui sumunt hanc escam sanctam spiritaliter, habent vitam, & hanc æternam. Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus eius. Quorum primum iam factũ est, idest prædestinatio secundum & tertium factum est & fit, & fiet, idest vocatio & iustificatio. Quartum vero nunc in spe, futurum autem in re est, idest glorificatio. Huius rei sacramentum, idest vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quottidie, alicubi certis interuallis dierum, in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa, cuius & sacramentum est, omni homini ad vitam, nullibi ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.

QVÆST. DCCCLXXIIII.

AN possit vere dici, Christus Deus & homo in cœlo prius erat, antequam descenderet de cœlo.

Trac. 27 super Io. RESPON. Cum videritis inquit filium hominis ascendentem, vbi erat prius, ac si vellet dicere antequam incarnaretur erat filius hominis in cœlo, & tamen hoc non sequitur, quod

humanitas

humanitas Chriſti ibi eſſet, licet filius hominis Chriſtus ibi eſſet, ſicuti etiam dixit, nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo, non dicit, qui erat, ſic ergo ſoluitur, & loquutio ſtat in ſua veritate Chriſtus Deus & homo, vna tantum perſona eſt & non duæ, ne fides noſtra non ſit Trinitas, ſed quaternitas Chriſtus ergo vnus eſt verbum anima, & caro vnus Chriſtus, filius Dei & filius hominis, vnus Chriſtus filius Dei ſemper filius hominis ex tempore, tamen vnus Chriſtus ſecundum vnitatem perſonę, in cœlo erat quando loquebatur in terra, ſic erat filius hominis in cœlo, quemadmodum filius Dei erat in terra, filius Dei in terra in ſuſcepta carne, filius hominis in cœlo in vnitate perſonæ.

QVÆST. DCCCLXXV.

AN credere cognitionem præcedat?

RESPON. Et nos credidimus & cognouimus. Nõ cognouimus & credidimus, ſed credidimus & cognouimus. Credidimus enim vt cognoſceremus, nam ſi prius cognoſcere, & deinde credere vellemus, nec cognoſcere, nec credere valeremus. *60. trac.*

QVÆST. DCCCLXXVI.

AN Maria habuerit alios filios præter Chriſtum?

RESPON. Loquuti ſunt Chriſti fratres ad eum, cum auditis fratres domini, Mariæ cogitate conſanguinitatem, nom iterum parientis vllam propaginem, ſicut enim in ſepulchro, vbi poſitum eſt corpus domini, nec antea, nec poſtea mortuus iacuit. ſic vterus Mariæ, nec antea, nec poſtea quidquam mortale concepit. Eſt enim conſuetudinis ſcripturarum appellare fratres quoſlibet conſanguineos, & cognationis propinquos, ſicut Loth dictus eſt frater Abraham, licet eſſet ſuus nepos. *Trac. 28 ſuper Io. Ioan. 7. Gen. 13.*

QVÆST. DCCCLXXVII.

AN seductor, dici possit, & in bono.

Trac. 29 super Io. RESPON. Si enim seducere, decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli eius nec quisque christianus, debet esse seductor, si autem seducere aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est vnde, & quò si a malo ad bonum, bonus seductor est: si a bono ad malum, malus seductor est: in hac ergo parte, qua seducuntur homines de malo ad bonum, vtinam omnes seductores & vocemur, & simus.

QVAEST. DCCCLXXVIII.

QVare circumcisio octauo die fiebat.

Trac. 30 super Io. RESPON. Octauo die, fiebat circumcisio, quia post septimum sabbati, dominus die Dominico resurrexit, ergo resurrectio Christi, quæ facta est tertio quidem die passionis, sed octauo die, in diebus hebdomadis ipsa nos circumcidit. Abstulit enim Christus per resurrectionem superfluum, cum quo nati eramus.

QVÆST. DCCCLXXIX.

QVomodo non sit iudicandum personaliter.

Eo. trac. RESPON. Cum simus cohæredes domini, non personaliter iudicemus, sed rectum iudicium teneamus, quis est, qui nõ iudicat personaliter? Qui diligit ęqualiter: Dilectio æqualis facit nõ acceptari personas, nam cum homines diuerso modo, pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas accipiamus, sed quando inter duos iudicamus, & aliquando inter necessarios fit non numquam iudicium, inter patrem, & filium, quæritur pater de malo filio, aut quæritur filius de duro patre, seruamus honorificentiam, quæ debetur patri a filio, quę deficit a filio. Non æquamus filium patri in honore, sed præponimus si bonam causam habet, filium æquamus patri in veritate, & sic tribuimus honorem debitum, vt non perdat ęqualitas meritum.

QVÆST. DCCCLXXX.

OPinio iudeorum dicentium se nescire vnde Christus sit, vnde nata est?

RESPON. Christus cum venerit, nemo scit vnde sit, sed istum nouimus vnde sit. Non enim inaniter hæc opinio nata est, licet ad miramur, cum scripturę dicant vnde sit, primo dictum est, quòd Christus Nazareus vocabit, deinde iudei fuerunt, qui locum natiuitatis Chisti docuerunt magos, in Bethleem Iudę dicentes: vnde ergo nata est hæc opinio? apud iudæos, cum venerit Christus, nemo scit, vnde sit, nisi quia vtrumque prædicauerant, & prenunciauerant scripturæ, secundum hominem pędixerunt scripturę vnde esset, secundum Deum latebat impios, & quęrebat pios, & isti dixerunt, Christus cum venerit nemo scit, vnde sit, quia hanc illis opinionem generauerat, quod per Esayam dictū est, generationē eius quis enarrabit. *Trac. 31 super Io.* *Mat. 2.* *Mich. 5.* *Esa. 53.*

QVÆST. DCCCLXXXI.

QVomodo plus sit amandus animus in amico quam corpus.

RESPON. Constat enim plus amare hominem animam quàm corpus suum, sed in alio etiam homine, plus homo amat animam quàm corpus quid enim amatur in amico vbi est amor sincerior, & castior? Quid amatur in amico animus an corpus? si fides amatur, animus amatur, si beneuolentia amatur, beneuolentiæ sedes animus est, si hoc amas in altero, quia & ipse amat te animum amas, quia non caro, sed animus amat, ideo enim amas, quia te amat, quære vnde te amet, & vides, quid amas, plus ergo & non videtur, considera amatores lasciuos, qui pulchritudine corporum, delectantur, tunc amant amplius, quando amantur, nam si quis amet, & sentiat, quia odio habetur, magis irascitur, quā diligit, quare magis irascitur, quam diligit, quia non ei redditur, quod impēdit, si ergo isti amatores redamari se volunt, & hoc magis eos delectat, si amentur, quales sunt amatores animorum? Et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? sicut enim animus facit decus in corpore, sic Deus in animo, non enim facit corpori vnde ametur, nisi animus, qui cum mi- *Trac. 32 super Io.*

grauerit cadauer arrescit, Decus ergo corporis animus, & in amico animus est amandus, vt postmodum animi decus sit Deus.

QVÆST. DCCCLXXXII.

QVomodo paganis respondendum est interrogantibus de Christo.

Trac. 35 super Io. RESPOND. Quis est Christus? dicit paganus: cui respondemus, quem prænunciauerunt Prophetæ. Et ille, qui Prophetæ? Recitamus Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, & alios sanctos Prophetas, hi omnes præuenerunt aduentum eius, & venturum esse prædixerunt: & ille, qui sunt hi Prophetæ? Nos respondemus, qui & prædixerunt ea quæ fieri videmus. & ille, vos illa vobis finxistis, vidistis ea fieri, & quasi ventura q̄ p̄dicta sunt essent, in libris quibus voluistis, conscripsistis. Sed contra hos inimicos nostros proferimus codices a Iudæis, & respondemus. Nempe & vos & illi fidei nostræ estis inimici: ideo sparsi sunt per gentes, vt

Esa. 53. alios ex aliis conuincamus inimicis. Quid dicit codex Esaiæ a Iudæis datus, sicut ouis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic non aperuit os suum, in humilitate iudicium eius sublatum est liuore eius sanati sumus, omnes vt oues errauimus, & ipse traditus est pro peccatis nostris, proferatur &

Ps. 21. Psalm. Foderunt manus meas & pedes meos. Dinumerauerunt omnia ossa mea &c. Erubescat vnus inimicus, quia codicem mihi ministrat alius inimicus. Ecce de codicibus prolatis ab vno inimico alterum vici, vincatur nodo & is qui codicem protulit. Au-

Mala 1. di alium Prophetam ad iudæos loquentem. Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus, nec accipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab ortu solis vsque ad occasum sacrificium mundum offertur nomini meo. Non venis ô Iudee ad sacrificium mū dum? conuinco te immundum.

QVÆST. DCCCLXXXIII.

QVæ animalia quatuor Euangelistis attribuuntur.

Trac. 36 super Io. RESPON. Plerique tractatores sanctarum scripturarum in quatuor animalibus Euangelistas intellexerunt, Leonem pro rege posuerunt, quoniam videtur Leo rex quodammodo bestiarum,

rum, propter potentiam & terribilem fortitudinem. Hæc persona tributa est Matthæo, quia generationibus domini, regiam seriem prosecutus est, quemadmodum esset dominus per stirpem regiam de semine Dauid regis, Lucas autem quoniam cœpit a sacerdotio Zachariæ sacerdotis faciens mentionem patris Ioannis Baptistæ, vitulo deputatus est quia magna victima vitulus erat in sacrificiis sacerdotum, Marco homo Christus merito assignatus est, quia neque de regia potestate aliquid dixit, neque de sacerdotali cœpit, sed tantum ab homine Christo exorsus est. Hi omnes prope de terrenis, id est de his, quæ in terra gessit dominus noster Iesus Christus, non recesserunt, de diuinitate eius per pauca locuti sunt, tanquam in terra cum illo ambulantes. Restat Aquila, ipse est Ioannes sublimium prædicator, & lucis internæ, atque æternę fixis oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli Aquillarum a parentibus sic probari, patris.s. vngue suspendi & radiis solis opponi, qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur, si acie palpitauerit, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur.

QVAEST. DCCCLXXXIIII.

AN pater ęternus in cruce sit passus.

Respon. Fuerunt quidam hęretici dicti Sabelliani, siue Patripassiani, qui dicunt ipsum patrem passum fuisse, noli tu catholice. Si enim fueris Patripassianus, non eris sanus. Ergo intellige missionem filij, nominatam incarnationem filij, patrem autem incarnatum esse non credas, sed & a filio incarnato patrem recessisse non credas. Ille carnem portabat, ille autem cum filio erat. Si in cœlo pater, in terra filius: quomodo pater cũ filio erat? quia & pater & filius vbique erant. non enim in cœlo sic est Deus, vt nõ sit in terra. Dicit Psal. Quo ibo a spiritu tuo & quo a facie tua fugiam? sper Hieremiam dicit cœlum & terram ego impleo, vbique ergo est, qui nullo clauditur loco.

Eo. trac. *Ps. 138.* *Hier. 23*

QVAEST. DCCCLXXXV.

QValiter ecclesia catholica, stat media inter Sabellianos & Arrianos, circa veritatem patris & filij.

Respond. Catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, sana & vera inter errorem Sabellianorum, & Arrianorum, tenuit veritatem, non dicit, vt Sabelliani dicunt, ipsum esse

Trac. 37 super Io.

patrem

patrem, qui est filius nomina diuersa vnam vero esse personam, nō dicit vt arriani dicunt, patrem & filium duas esse personas, sed nō eiusdē substātię dicit enim catholica fides, immo Christus patrē, & filium duas esse personas, & eiusdem substantiæ, quia Christus dicit. Ego & pater vnum sumus, cum audit sumus abscedat confusus sabellianus, cum audit vnum ascedat confusus arrianus. Dicendo sumus intelligit patrem & filium duas esse personas, dicendo vnum, intelligit patrem & filium esse vnius eiusdemque substantiæ.

QVÆST. DCCCLXXXVI.

QVomodo non sit desperandum de misericordia Dei.

Trac. 38 super Io. RESPON. Quid autē conuerso non ignoscitur, si fusus Christi sanguis agnoscitur? Quis homicida desperet, si in spē redditus est, de quo etiam Christus occisus est? crediderunt inde multi donatus est eis sanguis Christi, vt magis eum biberent quo liberarentnr, quam rei de illo effuso tenerentur; quis desperet, si in cruce latro saluatus est, ante pauludum homicida, post paululum accusatus conuictus damnatus, suspensus: Liberatus, noli mirari, vbi cō uictus ibi damnatus, sed ibi liberatus, vbi mutatus.

QVÆST. DCCCLXXXVII.

QVid est amplius verax an veritas.

Trac. 39 super Io. RESPON. De quibusdam quæramus pius homo an pietas, sed plus est, ipsa pietas pius enim a pietate non pietas a pio, potest enim esse pietas, & si ille, qui pius erat factus est impius, ipse pdidit pietatem, pietati nihil abstulit, quid item pulcher, & pulchritudo plus est pulchritudo quam pulcher, pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem, castus & castitas, castitas plane plus est, quam castus, si enim castitas non esset, vnde esset iste castus, non haberet, si autem noluerit este castus, castitas integra perseuerat, si ergo plus pietas, quam pius, plus pulchritudo quàm pulcher plus castitas, quàm castus, nunquid dicturi sumus plus veritas, quam verax si hoc dixerimus, filium incipiemus, dicere patre maiorem, ait enim dominus, ego sum via veritas, & vita si filius veritas pater, quod? nisi quod ait ipsa veritas, qui me misit

sit

ſit verax eſt. Filius veritas ſi pater verax, quid plus ſit quæro, ſed ęqualitatem inuenio, verax enim pater, non ab ea veritatę verax eſt, cuius cepit partem, ſed quam totam genuit: Creatura ſi ue anima, ſi eſt verax, & pia eſt veritas, & pietas apud Deum, cuius eſt, particeps anima: Vnde de creatura nõ dicitur ſicut de Deo, nullus homo de ſuo eſt verax, pater autem verax, de ſuo eſt, verax, quia genuit veritatem. Aliud eſt, homo iſte verax eſt quia percepit veritatem. Aliud eſt, verax Deus, qui genuit veritatem.

QVAEST. DCCCLXXXVIII.

QVa tentatione tentat nos Deus.

RESPON. Duas eſſe tentationes cognoſcimus, vnam quæ decipit alteram quæ probat, ſecundum eam quæ decipit, Deus nemině tentat, ſecundum eam quę probat, tentat vos dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum ideſt vt ſcire vos faciat, quia Deus non ignorat ſi diligitis eum. *Trac. 43 ſuper Io.*

QVAEST. DCCCXC.

AN fides antiquorum fuerit vna met cum fide chriſtianorum.

RESPON. Aute aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, quo humilis venit in carne, ꝑceſſerunt iuſti ſic in eũ credẽtes venturum quomodo nos credimus in eum qui venit: tempora variata ſunt, non fides, quia & ipſa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur, alium ſonum habet venturus eſt, alium ſonum habet venit, mutatus eſt ſonus, venturus eſt, & venit eadem tamen fides vtroſque coniungit, & eos, qui venturum eſſe, & eos, qui eum veniſſe crediderunt, diuerſis, quidem temporibus, ſed vtroſque ꝑ vnum fidei oſtium, hoc eſt per Chriſtum, videmus ingreſſos eſt. *Trac. 45 ſuper Io.*

QVÆST. DCCCXCI.

AN homo naſcatur cum morte.

RESPON. Homo cum naſcitur, iam cum morte naſcitur quia de Adam peccatum trahit, vnde dicit Apoſtolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, *Trac. 49 ſuper Io. Rom. 5.*

& ita

& ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt, ecce habes vnum diem mortis, quod homo trhait de mortis propagine deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, vt
Tob. 4. legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixa, quod tibi non vis fieri alij ne feceris. Nnnquid hoc de paganis dicitur, & non in natura ipsa quodammodo legitur? Furtum vis pati? vtique non vis, ecce lex in corde tuo, quod non vis pati, noli facere, & hanc legem trangrediuntur homines, ecce alter dies mortis. Data
Exo. 20. est lex diuinitus per famulum Dei Moysem, non occides, non mechaberis &c. & ipsa contennitur, ecce diestertius mortis. Quid restat? Venit & euangelium, prædicatur regnum cœlorum. Diffamatur vbique Christus, minatur gehenna, vita promittitur æterna, & ipsa contemnitur, transgrediũtur homines euangelium, ecce quartus dies mortis, & isti quatuor dies significãtur, in quatriduano Lazaro mortuo.

QVAEST. DCCCXXI.

AN liceat seipsum occidere, etiam pro veritate.

Trac. 51 super Io. RESPON. Hoc Christus non docuit, quod quispiam seipsum occidat, immo diabolo suggerenti præcipitium, respondit. Re
Mat. 4. di retro Sattanas, scriptum est, non tentabis dominum Deum tuũ.
Ioan. 21 Dixit etiam Petro, quòd cum senuerit, alter eũ cinget & feret quò non voluerit, vbi satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi: cum vero alicui proponatur, vnum e duobus eligere, aut violare dei præceptum, aut mori, eligat potius deo dilecto emori, quàm offenso viuere.

QVÆST. DCCCXCII.

QVid sit Christo ministrare?

Eo. trac. RESPON. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eũ
Ioan. 12 pater meus, qui in cælis est. Ministrare Christo est ne opera corporis ei exhibere, vti faciebat Martha? Nam & hoc modo etiã iudas ministrauit, & tamen non est consecutus illam tantam mercedem ministranti propositam. Nullo igitur modo dominus dicit de huiuscemodi ministris vbi sum ego illic & minister meus erit, cum enim dixit si quis mihi ministrat me sequatur, hoc intelligi voluit,

voluit, ac ſi diceret, ſi quis me non ſequitur, non mihi miniſtrat, miniſtrant ergo Ieſu Chriſto qui nõ ſua quęrũt, ſed q̃ Ieſu Chriſti hoc eſt enim me ſequatur, vias ambulet meas, & non ſuas, & ſi opera miſericordię facit, debet de miſericordia facere, & non de iactãtia, non aliud ibi quærere, quàm opus bonum, neſciente ſiniſtra quid faciat dextera, ideſt vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui ſic miniſtrat, Chriſto miniſtrat. *Mat. 6.*

QVAEST. DCCCXCIII.

AN excuſentur iudei & cæteri peccatores cũ Deus illos exceca uerit vt nn credant vt dicitur de iudeis. Execauit oculos eorũ. RESPON. Quidam proclamant, quę culpa fuit iudeorum, *Trac. 53* ſi neceſſe fuit vt ſermo Eſayæ impleretur, quem dixit. Domine *ſuper Iõ.* quis credidit auditui noſtro, & brachium domini cui reuelatũ eſt? *Eſa. 53.* Quibus reſpodemus, Deum præſcium futurorum per prophetã prędixiſſe infidelitatem iudeorum prædixiſſe tamen, non feciſſe: non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit, ipſorum enim præſciuit peccaata, non ſuà, non cuiuſquam alterius, ſed ipſorum, Qua propter ſi ea quæ ille preſciuit ipſorum, non ſunt ipſorum, non vere ille præſciuit, ſed quia illius præſcientia falli non poteſt, ſine dubio nõ alij, ſed ipſi peccant, quos Deus peccaturos eſſe præſciuit, fecerunt ergo peccatum iudei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur, ab eo qui nouit. quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro eius opere redditurus, ſed nos plus grauat aliud Eſayæ dictum. Excecauit oculos eorum, & indurauit cor eorum vt non videant oculis & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem illos, & quia excecauit, nõ potuerũt credere: Quod peccatũ eſt hominis non facientis qđ non põt facere? Si aũt nõ credẽdo peccauerũt, potuerũt ergo credere, & nõ fecerũt, ſi ergo potuerũt quo modo dicit euangeliũ, propterea non potuerũt credere quia vt dixit Eſayas, excecauit oculos eorũ &c. Et quidem cauſa iſtorũ infidelitatis, Deo nõ eſt danda, ſed ipſis iudeis, ſic igitur reſpõdemus. Nõ poterant credere, quia hoc Eſayas propheta prædixit, hoc autem *Eſa. 6.*

propheta prędixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Quare autem non poterant, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per prophetam prænuntiauit, ille cui abscondi futura non possunt, & si dicis iterum, nō fuit voluntatis eorum, quia indurauit eorum cor, vt non possent credere, respondeo etiam hoc voluntatem eorum meruisse, sic enim excecat, sic obdurat Deus deserendo, & non adiuuādo, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest, quando enim adiuuat misericorditer facit, quando non adiuuat iuste facit, quia omnia non temeritate, sed iudicio facit.

QVÆST. DCCCXCIIII.

AN quod dicitur spiritualiter, semper in laude sit accipiēdum.

Trac. 55 super Io. RESPON. Missum est in cor Iudæ a dyabolo, vt traderet dominum, missio ista spiritalis sugestio est, non fit per aurem, sed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, sed spiritaliter, neque spiritale quod dicitur, semper in laude accipiendum est, nouit Apostolus quędam spiritalia nequitiæ in cœlestibus, & hæc non essent maligna spiritalia si non essent etiam maligni spiritus, A spiritu enim spiritalia nominantur, & a maligno spiritu suggestiones, & a bono spiritu inspirationes, ideo non omnia spiritaliter immissa sunt in laude accipienda.

QVÆST. DCCCXCV.

QVOMODO Christus commendat humilitatem suo exemplo.

Eo. trac. RESPON. Ad maximum cumulum humilitatis, accessit Christus ad iudam vt lauaret pedes, licet præuideret manus eius iā in scelere, quid autem mirum, si surrexit a cœna, & posuit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, & quid mirum, si præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens, habitu inuentus est vt homo? Quid mirum si misit aquam in peluim, vnde lauaret pedes discipulorū, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum si linteo quo erat præcinctus, pedes quos lauerat tersit, qui carne qua erat indutus, euangelistarum vestigia confirmauit, & linteo quidem vt se p̄cingeret, posuit vestimenta sua, quæ habebat, vt autem formam ser- *Phil. 2.*

tii acciperet, quando ſemetipſum exinaniuit, nõ quod habebat depoſuit, ſed quod non habebat accepit, crucifigendus ſane ſuis expoliatus eſt veſtimentis, & mortuus inuolutus eſt Linteis, paſſurus igitur exitia, in ſua paſſione, pręmiſit obſequia, pro quibus erat moriturus. Tanta eſt quippe humanę humilitatis vtilitas vt eam ſuo commendaret exemplo.

QVÆST. DCCCXCVI.

AN pro nobis inuicem orare debeamus.

RESPON. Chriſtus lauando diſcipulis pedes tali exẽplo vult nos eſſe admonitos, vt confeſſi inuicem delicta noſtra, oremus pro nobis, ſic vt & Criſtus interpellat pro nobis, ſic inquit Iacobus Apoſtolus confitemini inuicem delicta uoſtra, & orate pro vobis, quia & hoc dominus, nobis dedit exemplum ſi enim ille qui nullũ peccatum vnquam habuit, orat pro peccatis noſtris, quanto magis nos inuicem, pro peccatis noſtris orare debemus, & ſi dimittit nobis ille, cui non habemus quod dimittamus, quanto magis dimittere nobis debemus inuicem, qui ſine peccato hic viuere non valemus? Hoc ſignificauit dominus ſuo exemplo, cum dixit de lotione pedum. Dicens, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis; quod apertiſſime dicit Apoſtolus. Donantes vobis metipſis, ſi quis aduerſus aliquẽ habet quærelam, ſicut & dominus donauit vobis, ita & nos inuicẽ ita nobis delicta donemus, & pro noſtris delictis inuicem oremus.

Trac. 58 ſuper Io.
Iac. 5.
Coloſ. 3.

QVÆST. DCCCXCVII.

AN in ſapientem cadere poſſint perturbationes.

RESPON. Pereant argumenta philoſophorum, qui negãt in ſapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. Et dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanę ſunt, turbetur plane animus chriſtianus, non miſeria, ſed miſericordia, timeat ne pereãt homines Chriſto, contriſtetur, cum perit aliquis Chriſto, cõcupiſcat homines acquirere Chriſto, lętetur cum acquiruntur homines Chriſto, timeat ne ſibi pereat, & Chriſto, contriſtetur ſe peregrinari a Chriſto, concupiſcat regnare cum Chriſto, letetur dum ſperat ſe regnaturum eſſe

Trac. 60 ſuper Io.
o. Cor. 1.
Pſal. 93

cum Christo: Iste sunt certè quatuor, quas perturbationes vocāt, timor & trististia, amor & lætitia, habeant eas iustis de causis, animi christiani, nec philosoforum, stoicorum vel quorumcunque similium consentiatur errori.

QVÆST. DCCCXCVIII.

AN a bono accepto, causetur malum in homine, sicut Cristi panis in iuda videtur fecisse.

Trac.62 super Io. Ioan. 13 RESPON. Christus panem iudę dedit, & statim introiuit Sathanas in illum. Dices enim ita ne meruit hoc panis Christi porrectus de mensa Christi, vt post illum intraret in eius discipulum Sathanas? Respondeo, hinc nos potius doceri, quam sit cauendū male accipere bonum, multum quippe interest, non quid accipiat sed quis accipiat, nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur, nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint, quibus dantur: *Rom.7.* Peccatum inquit Apostolus, vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ecce per bonum factum est malum, *2. Co.12* dum male accipitur bonum, item ipsi Paulo datus est carnis stimulus vt perficeretur. Ecce per malum, factum est bonum, dum bene accipitur malum.

QVÆST. DCCCXCIX.

AN in Paradiso sint diuersę mansiones, iuxta diuersa merita.

Trac.67 super Io. RESPON. A perturbatione recreantur fideles, certi ac fidētes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros; quia & si alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo patris mei mansiones *Ioan. 14* multę sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem il*Mat.20.* le ęqualis est omnibus, quem pater familias eis, qui operati sunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus, etiam qui amplius laborarunt, quo, vtique denario, vita significatur ęterna; vbi amplius alio nemo viuit, quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura: Sed multæ mansiones diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis

alia

alia Lunæ, alia gloria stellarum: Stella enim ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum, tanquam stellæ sancti diuersas mansiones diuersas claritates, tanquam in cælo sortiuntur in regno, sed propter vnum denarium nullus separatur a regno. Et nõ erit aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnib. vnitas charitatis.

QVÆST. DCCCC.

QVodcunque petimus a Christo sumus ne accepturi?

RESPON. Quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam, inuenimus enim Apostolos dilectos Christi, quòd quodcumque petierunt non acceperunt. Paulus petiit remoueri ab eo stimulum carnis, non accepit: aduerte fidelis, quòd qui promisit hoc magnum beneficium, vocatur Christus Iesus, Christus significat Regem, Iesus Significat Saluatorem. Non itaque nos saluos faciet quicunque Rex, sed Rex Saluator, ac per hoc, quodcunque petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris, & tamen ipse Saluator est non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando nõ facit, quoniã quod videt peti contra salutem, non faciendo, potius se exhibet Saluatorẽ, nouit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutẽ poscat ęgrotus, & ideo contraria poscentis, non facit voluntatem, vt faciat sanitatem, quapropter quando volumus, vt faciat quodcunque petimus, non vtcũque, sed in nomine eius, hoc est in nomine Saluatoris petamus: Non ergo contra nostram salutem petamus, quod si fecerit, non vt Saluator facit, quod est nomen eius fidelibus eius.

Trac. 73. super Io. Ioan. 14

QVAEST. DCCCCI.

CVm opera Trinitatis ab extra sint inseparabilia, quare in scripturis aliquãdo diuinę psonę sigillatim noĩantur, ẽt in operib.

RESPOND. Christus dicit, veniet spiritus Sanctus, qui vos docebit oĩa: nunquid non pater, nec filius docebunt? Immo tota Trinitas docet, sed distinguntur personæ, vt innuatur Trinitas: oportebat eas nos distincte audire, & inseparabiliter intelligere. Audi patrem dicentem. Dominus dixit ad me filius meus es tu. Audi & docentem, omnis qui audiuit a patre & didicit, venit ad me

Trac. 67 super Io.

Psal. 2.

Ioan. 6.

Mat. 23. filium vero dicentem modo audisti. Si vis & docentem, recole quod dicit, vnus est magister vester, ergo non tantum spiritus S. docet, sed tota Trinitas, cum ergo omnino sit inseparabilis, nũquã Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur.

QVÆST. DCCCCII.

QVomodo pater æternus dicatur maior Christo, cum sit eius filius in substantia æqualis.

Trac. 78 super Io. RESPON. Æqualis est patri Christus secundum substantiam diuinam, minor patre secundum humanam, vtraque vero substantia simul non duo, sed vnus est Christus, ne sit quaternitas, non Trinitas Deus: Sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic vnus est Christus, Deus & homo, ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, & caro: Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus sed in forma Dei. Quis est sub Põtio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui, idẽ de singulis quib. homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo & in his singulis Christus, verum hæc omnia non duo vel tres, sed vnus est Christus.

QVÆST. DCCCCIII.

CVm sacrificium altaris in commemorationem martyrum facimus, oramus ne pro ipsis.

Trac. 84 super Io. RESPOND. Ideo ad ipsam mensam non sic martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt ipsi orent pro nobis, vt eorũ vestigiis adhæreamus; ex dictis duo dogmata catholica eliciuntur, vnum, quòd sancti orant pro nobis; Ideo implorandi sunt, alterum quod detur purgatorium, quia illam mensam dominicam facimus & commemoramus pro his qui in pace requiescunt, vt oremus pro ipsis.

QVÆST. DCCCCIIII.

QVod sunt seruitutes?

Respon. Sicut enim duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium, sic duę sunt seruitutes, quæ faciunt duo genera seruientium. Est timor quem perfecta charitas foras mittit, & est alius timor castus permanens in seculum seculi, de primo dicit Apostolus. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. De secundo idem Apostolus dicit: Noli altum sapere. sed time: in illo timore, quem foras charitas mittit: est etiam seruitus simul foras cum ipso timore mittenda: vtrunq; enim iunxit Apostolus hoc est seruitutem & timorem, dicendo. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, ad hanc seruitutem seruũ pertinentem intuebatur & dominus dicens. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, non vtique ille seruus pertinens ad timorem castum, cui dicitur. Euge serue bone intra in gaudium domini tui, talis seruus, dicitur etiam Dei amicus, & scit quid facit dominus eius, non autem primus, quia talis non manet in domo in æternum.

Trac. 85 super Io. *1. Io. 4.* *Rom. 8.* *Ro. 11.* *Mat. 25.*

QVÆST. DCCCCV.

AN Deus elegerit nos ante mundi constitutionem, quia præsciuit nos futuros bonos.

Respon. Vana est ratiocinatio dicentium nos elegisse, quia præsciuit bonos futuros, Dei enim præscientiam defendunt, contra gratiam Dei, & hoc non dicit Christus, talib. verbis erga Apostolos prolatis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præsciuerat, simul etiam præscisset, quod eum nos fuissemus prius electuri: Non enim aliter possemus esse boni: nisi forte dicendus est bonus, qui non eligit bonum: Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni nõ essent nisi electi essent, alioquin gratia non est gratia, si præcesisse contendimus merita. Hęc quippe electio gratia est, de qua dicit Apostolus, sic ergo & in hoc tempore reliquię per electionem gratiæ Dei, saluæ factę sunt, unde subiungit, si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iã non est gratia: Audi ingrate: ingrate audi. Nõ vos me elegistis,

Trac. 86 super Io. *Ioán. 15* *Rom. 11.*



ſed ego elegi vos. Non eſt vt dicas: ideo electus ſum: quia iam credebam: Si enim credebas in eum, iam elegeras eum, ſed audi non vos me elegiſtis. Non eſt vt dicas, antequam crederem, iam bona operabar: ideo electus ſum, quid enim boni operis ante fidem? cũ
Rom. 14 dicat Apoſtolus, omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.

QVAEST. DCCCCVI.

INter peccata, quod eſt maximum.

Trac. 89 ſuper Io. RESPON. Vnum peccatum eſt quo tenentur cuncta peccata, quod vnuſquiſque ſi non habeat: Dimittuntur ei cuncta peccata hoc eſt autem non credere in Chriſtum, qui propterea venit in hunc mundum, vt credatur in eum, aduentus quippe eius, quantũ credentibus ſalutaris, tantum non credentibus exitialis factus eſt.

QVÆST. DCCCCVII.

AN ad quos non venit Chriſtus nec eis loquutus, excuſentur de peccato infidelitatis.

Io. trac. RESPON. Ad hæc pro meo captu Deo donante reſpondeo, habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſto non crediderunt, ad quos non venit, & quib. non eſt loquutus, poſtquam autem ſonus Apoſtolum per gẽtes venit, & qui audierunt non excuſantur de tali peccato, ſed antequam diuulgaretur Euangeliũ, & nomen Chriſti p eccleſiã ad gentes veniret, poſſunt habere hanc excuſationẽ, ſed nõ poſſunt effugere dam-
Rom. 2. nationem, quia quicunq; ſine lege peccauerũt, ſine lege peribunt.

QVÆST. DCCCCVIII.

AN Spiritus Sanctus procedat a patre & filio.

Trac. 99 ſuper Io. RESPON. Filius enim ſolius patris eſt filius, & pater ſolius filij eſt pater, ſpiritus autem, ſanctus non eſt vnius eorum ſpiritus, ſed amborum. Habes ipſum dominum dicentẽ. Nõ enim vos
Mat. 10. eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.
Gal. 4. Habes & Apoſtolum. Miſit Deus inquit ſpiritum filij ſui in corda veſtra; Nunquid duo ſunt alius patris, alius filij? Abſit, vnum enim corpus ait, cum ſignificaret moxque addidit, & vnus ſpiritus.

QVAEST.

QVAEST. DCCCCIX.

GLoria quid est.

RESPON. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude quæ cũ in hoc mundo facta est de Christo, non Christo credenda est magnum aliquid contulisse, sed mundo: bonum enim laudare non laudato, sed laudantibus prodest: Est autem etiam falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, siue in rebus siue in hominibus siue in vtrisque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse, quod malum est, in hominibus autem, quando putant eum bonum esse qui malus est, in vtrisque vero quando & id quod est vitium virtus putatur, & ipse qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, siue sit bonus, siue sit malus. Donare quippe res suas hystrionibus, vitium est immane, non virtus, & scitis de talibus, quam sit frequens fama cum laude. Hi laudatores, nõ falluntur in hominibus, sed in rebus, malum est enim quod bonum esse credunt, illi autem qui hoc modo largitionis, vitiosi sunt, tales vtique sunt, quales eos hi qui laudant, non suspiciantur esse, sed cernunt, hi vero qui bona opera faciunt vt videantur ab hominibus, laudantur quidem & est eorum fama cum laude, & laudantes falluntur non in re, sed in hominibus, quod enim bonum esse credunt est bonum, sed quos bonos esse credunt, non sunt boni: vera igitur gloria est cum de aliquo per Deum, & propter Deum iusto hoc est veraciter iusto causa ipsius iustitię frequens est fama cum laude. *Tractatu 100. super Io.*

QVAEST. DCCCCX.

AN a veris christianis quidquid agitur, pro pace fiat.

RESPON. Christus commendauit pacem suis discipulis in fine suæ vitæ, pp quod totũ agitur, quod christiani sumus, hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis, actionisque finis ipsa erit, propter hanc sacramentis eius inbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus, & sermonibus erudimur, propter hanc spiritus eius pignus accepimus, propter hanc credimus in eum. & speramus, & eius amore, quantum donat, accendimur. Hac pace in pressuris omnibus consolamur, hac a pressuris omnibus liberamur, propter hanc omnem *Tractatu 104. super Io. Ioan. 17*

tribulationem fortiter sustinemus, vt hac fœliciter sine tribulatione regnemus. Merito ad eam clausit sermo in fine suæ vitæ.

QVÆST. DCCCCXI.

TRina Petri negatio, an omnis facta fuerit in domo Annæ.

Tracta-tu 113. super Io. Ioan. 18 RESPON. Sed cum dixisset Euangelista, quod eum ligatũ miserit Annas ad Caipham, reuersus est ad locum narrationis, vbi reliquerat Petrũ, vt explicaret, quod in domo Annæ, de trina eius negatione contigerat.

QVÆST. DCCCCXII.

QVi ex timore occidit hominem, peccat ne? vt fecit Pilatus occidendo Christum.

Tracta-tu 116. super Io. RESPON. Dixit Christus Pilato. Qui tradidit me tibi maius peccatum habet. Ille quippe me tuæ potestati tradidit, inuidẽdo, tu vero eandem potestatem in me exerciturus es metuendo, nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem debet occidere, inuidus homicida malus est, sed tamen id zelando facere, multo magis malum est quàm timendo, & vt Pilatus cognosceret se peccare occidendo Christum etiam timore, non dixit qui me tradidit tibi peccatum habet, sed maius peccatum habet, peccauit Pilatus, sed magis peccauerunt Iudæi, qui Christum Pilato tradiderunt occidendum.

QVÆST. DCCCCXIII.

CHristus fuit ne crucifixus hora tertia, vel sexta, vt duo Euangelistæ videntur innuere, & quasi contradicere adinuicem.

Tractat. 117. super Io. Mar. 15. Ioan. 18 RESPOND. Marcus dicit erat hora tertia, quando crucifixus est Iesus, & Ioannes, quòd erat quasi hora sexta, possunt concordari sic, hora tertia crucifixus est linguis Iudeorum quando clamauerunt, crucifige, crucifige eum, hora sexta vero manibus militum crucifixus est, vt intelligamus horam quintam iam fuisse transactam, & aliquid de sexta cœptum, quando Pilatus sedit pro tribunali, quæ dicta est a Ioanne hora quasi sexta, quando autem ductus est & confictus cruci hora sexta erat completa, ex qua hora

vsque

vſque ad nonam ſol obſcuratus eſt, poteſt etiam dici aliter in hac difficultate, videlicet quòd hic non accipiatur hora diei ſexta, quia nec Ioannes ait, Erat autem hora diei quaſi ſexta: ſed ait, erat autem paraſceue Paſchę hora quaſi ſexta, paraſceue dicitur pręparatio. Erat autem pręparatio Paſchæ, Paſcha noſtrum verum, ſicut dicit Apoſtolus immolatus eſt Chriſtus, cuius Paſchæ pręparationẽ, ſi ab hora nona noctis computemus, tunc enim principes ſacerdotum videntur pronuntiaſſe immolationem domini dicentes. Reus eſt mortis, in domo Cayphę, vnde congruenter accipitur, inde cœpiſſe præparationem veri Paſchę, cuius vmbra erat Paſcha Iudæorum, ideſt immolationis Chriſti, ex quo a ſacerdotibus pronunciatus eſt immolandus, profecto ab ea noctis hora, quę tũc nona fuiſſe conijcitur, vſque ad horam diei tertiam, qua crucifixum eſſe Chriſtum, Marcus Euangeliſta teſtatur, ſex horæ ſunt, tres nocturnæ, & tres diurnę, vnde in hac paraſceue Paſchę, ideſt præparatione immolationis Chriſti, quæ ab hora nona noctis cœperat, quaſi ſexta agebatur hora, ideſt peracta quinta iam ſexta currere cœperat, quã do Pylatus tribunal aſcendit, adhuc enim erat ipſa pręparatio, quę ab hora nona noctis cœperat, donec fieret quæ pręparabatur Chriſti immolatio, quæ facta eſt hora tertia ſecundum Marcum non pręparationis, ſed diei, eademq́; ſexta, non diei, ſed pręparationis, ſex vtique horis a noctis nona, vſque ad diei tertiam cõputatis: Harum duarum ſolutionum eligat quiſque quam volet. *1. Cor. 5.*

QVÆST. DCCCCXIIII.

QVam grande ſpectaculum fuerit crucifixio Chriſti.

Respon. Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectat impietas, grande ludibrium, ſi pietas grande myſterium: ſi ſpectat impietas, grande ignominię documentum, ſi pietas grande fidei munimentum: ſi ſpectet impietas, ridet regem pro virga regni lignum ſui portare ſupplicij: ſi pietas videt regem baiulantem lignum ad ſemetipſum figendum quod fixurus fuerat etiam in frontibus regũ. in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda ſanctorum, ſicut gloriatur Paulus dicens: Mihi abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. *Eo. trac.* *Gal. 6.*

QVAEST. DCCCCXV.

Tractatu 118. super Io.

DImensiones crucis quid significant.

RESPON. Lata est crux in transuerso ligno quo extendũtur pendentis manns, & significat opera bona in latitudine charitatis: longa est a transuerso ligno vsque ad terram, vbi dorsum pedesque figuntur, & significat perseuerantiam in longitudine temporis, vsque in finem. Alta est in cacumine, quod per transuersum lignum sursum versum excedit, & significat supernum finem quo cuncta opera referuntur, quoniam cuncta quę latitudine, ac longitudine, bene ac perseueranter fiunt, propter altitudinem diuinorũ facienda sunt prętniorum: Profunda est in ea parte, qua in terra figitur, ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta eius apparentia, & eminentia inde cõsurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratię Dei, quæ comprehendi, ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt.

QVÆST. DCCCCXVI.

Tractatu 123. super Io.

AN non amans Deum seipsum amet.

RESPON. Quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat, & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat, qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se, non ergo se amat, qui ne viuat, se amat, cum vero ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se nõ diligit, vt eum diligat, de quo viuit.

QVAEST. DCCCCXVII.

Tractatu 124. super Io.

DVobus Christi discipulis ipsum diligentibus videlicet Petro & Ioanne quis melior.

RESPON. Quis duorum istorum sit melior, vtrum quem minus, aut quem plus diligit, Christus? Eum qui plus diligitur a Christo meliorem proculdubio respondebimus, ita respondemus meliorem esse, qui plus diligit Christum, in prima anteponitur Petro Ioannes, in secunda anteponitur Petrus Ioanni, Petrus plus diligebat Christum & Ioannes plus diligebatur a Christo, propono,

aliam.

aliam. Quis eſt duorum diſcipulorum melior, qui minus quam condiſcipulus eius diligitur a Chriſto, an ille quem minus quàm condiſcipulum eius diligit Chriſtus, cum plus ipſe, quam ſuus cõdiſcipulus, diligat Chriſtum? Hic plane cunctatur reſpõſio, & augetur queſtio. Quantum autem ipſe ſapio, meliorem qui plus diligit Chriſtum, fœliciorem vero quem plus diligit Chriſtus, facile reſponderem.

QVÆST. DCCCCXVIII.

QVare remiſſis peccatis, adhuc remanet pœna.

RESPOND. In malis quę quiſque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus eſt patięntia, hanc itaque vitam de qua ſcriptum eſt. Nunquid non tentatio eſt, vita humana ſuper terram, in qua quottidie clamamus ad dominum, libera nos a malo: cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamuis vt in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſa peccatum, productior eſt enim pœna quam culpa; ne parua putaretur culpa, ſi cum illa finiretur, & pœna; ac per hoc vel de demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem ſempiternam, reum non detinet culpa. *Eo. trac.* *Iob 7.* *Mat. 6.*

QVÆST. DCCCCXIX.

QVod non ſit deſperandum de venia peccatorum.

RESPOND. Deus fidelis enim eſt, & iuſtus, vt dimittat nobis delicta noſtra, ſi ſemper tibi dipliceas, & muteris donec perficiaris; ideo quod ſequitur, filioli mei, hęc ſcribo vobis vt non peccetis, ſed forte ſurrepit de vita humana peccatum, Quid ergo fiet? iam deſparatio erit. Audi, ſi quis inquit peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio: ſi de infirmitate vitę, ſurrepſerit peccatum, continuo vide, continuo diſpliceat, continuo damna, & cum damnaueris, ſecurus ad iudicẽ venies, ibi habes aduocatum, noli timere, ne perdas cauſam cõfeſſionis tuæ, ſi enim aliquãdo in hac vita cõmittit ſe homo *Tract. 1. ſuper epiſtol. Ioã. 1. Io. 2.*

diſertæ

disertę linguę, & non perit, commitis te verbo, & periturus es? Sed dicet aliquis. Ergo sancti non petunt pro nobis, si Christus est noster aduocatus? Ergo Episcopi vel præpositi non petunt pro populo? Sed attendite scripturas, & videte, quia & prępositi commendant se populo, nam Apostolus dicit plebi, orantes simul & pro nobis, orat Apostolus, pro plebe, orat plebs pro Apostolo, oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis, inuicem pro se omnia mẽbra orent, caput pro omnibus interpellet.

Colos. 4.

QVÆST. DCCCCXX.

AN sit de cremento spirituali, sicut de corporali.

Trac. 3 super epistol. Io.

RESPON. Aetas corporis non est in voluntate, ita nullus secundum carnem crescit quando vult, sicut nullus quando vult nascitur, vbi crescit quando vult sicut nullus, quando vult nascitur, vbi natiuitas in voluntate est, & incrementum in voluntate est, nemo ex aqua & spiritu nascitur, nisi volens, ergo si vult crescit, si non vult decrescit, Quid est crescere? proficere. Quid est decrescere? deficere.

QVÆST. DCCCCXXI.

QVid est sacramentum vnctionis.

Eo. trac.

RESPON. Vnctionis sacramentum est ipsa virtus inuisibilis, vnctio inuisibilis Spiritus Sanctus, vnctio inuisibilis charitas illa est, quæ in quocunque fuerit tanquam radix illi erit, quamuis ardente sole arescere non potest, omne quod radicatum est nutritur calore solis, non arescit, & non habetis necessitatem, vt aliquis vos doceat, quia vnctio ipsius docet vos de omnibus.

QVÆST. DCCCCXXII.

AN vita christiani boni sit sanctum desiderium.

Trac. 4. super epistol. Io.

RESPON. Tota vita christiani boni, sanctum desideriũ est, quod autem desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit quod videas, implearis, sicuti enim si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est, quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei, nosti quantum

tum missurus,& vides quia angustus est sinus,extendendo facis capaciorem, sic Deus differendo, extendit desiderium, desiderando, extendit animum,extendendo facit capaciorem. Hæc est vita nostra,vt desiderando exerceamus. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputauerimus ab amore seculi.

QVÆST. DCCCCXXIII.

AN qui natus est ex Deo non peccet?

RESPON. Intelligendum est, talem non peccare secundũ quoddam peccatum,& non secundum omne peccatum,& tale peccatum est illud,vt si quisquam illud admiserit,cõfirmet cætera peccata, si quis autem hoc non admiserit,soluat cetera. Quod est hoc peccatum? facere contra mandatum. Quod est mandatum? Mandatum nouum do vobis,vt vos inuicem diligatis. Hoc mandatũ, Christi dilectio vocatur,per hanc dilectionem peccata soluuntur, Hæc si non teneatur,& graue peccatũ est,& radix oĩum peccatorũ. *Trac. 5. super epistol. Io.* *Ioan. 13.*

QVÆST. DCCCCXXIIII.

QVomodo quis possit noscere,quod acceperit Spiritum Sanctũ.

RESPON. Si vis nosse quia accepisti Spiritum Sãctum, interroga cor tuum, ne forte cum sacramentum habes, virtutem sacramenti non habeas,interroga cor tuum, si est ibi dilectio fratris, securus esto, non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. *Trac. 8. super epistol. Io.* *Rom. 5.*

QVÆST. DCCCCXXV.

AN timor precedat charitatem.

RESPON. Incipiat timor, quia initium sapientie timor domini, timor quasi locum præparat charitati, cum autem cœperit charitas habitare pellitur timor, qui ei preparauit locum, quantum enim illa crescit ille decrescit, & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor. Minor charitas maior timor, si autem nullus timor, non est qua intret charitas. *Trac. 9. super epistol. Io.* *Eccl. 1.*

Sicut

Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, nõ succedit linum, sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.

QVAEST. DCCCCXXVI.

AN fides sine operibus saluet?

Trac. 10 super epistol. Io. RESPON. Quis est qui non credit, quod Iesus sit Christus? qui non sic viuit quomodo præcepit Christus. Multi enim dicunt credo: sed fides sine operibus non saluat, opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo Apostolo, est fides quæ per dilectionem operatur, opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erãt, sic eras quasi homo sine pedibus aut vexatis pedibus ambulare nõ valens, si autem bona videbantur antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo errabas potius, quàm perueniebas, est ergo nobis currendum & in via currendum, qui præter viam currit inaniter currit immo ad laborem currit, tanto plus errat, quanto pręter viam currit, via est Christus: qui sine ipso currit extra viam est.

Gal. 5.

QVAEST. DCCCCXXVII.

QVis fuerit causa passionis Christi?

lib. med. cap. 7. RESPON. Hic est domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus in quo tibi bene placuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus non est inuentus, & tamen inter iniquos deputatus est. Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis? Ego enim sum tui causa doloris, tuæ culpa occissionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor ò mirabilis cẽsurę cõditio & ineffabilis mysterij dispositio, peccat iniquus, & punitur iustus. Offendit impius, & damnatur pius, quod meretur malus, patitur bonus quod perpetrat seruus, exoluit dominus, quod committit homo sustinet Deus.

QVÆST. DCCCCXXVIII.

QVomodo ſit ſperandum in paſſione Chriſti, pro remiſſione peccatorum.

Respon. Deſperare vtique potuiſſem propter nimia peccata mea, & infinitas negligētias meas, niſi verbum tuum Deus caro fieret & habitaret in nobis, ſed deſperare iam non audeo, quia cū inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortē filij tui, quanto magis reconciliati ſalui facti ſumus per eum; omnis namque ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in precioſo ſanguine eius, qui effuſus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem, in ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus, ad te peruenire deſidero, non habēs meā iuſtitiā, ſed eam quæ eſt in filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto. *lib. med. cap. 14.*

QVAEST. DCCCCXXIX.

QVotuplex ſapientia ſit, & quomodo diſtinguuntur ſapientia diuina & ea quæ donum Dei eſt.

Respon. Hæc eſt domus tua Deus, non terrena, neque vlla cęleſti mole corporea, ſed ſpiritalis & particeps ęternitatis tuę, quia ſine labe manet in æternum, ſtatuiſti enim eam in ſeculum, & in ſeculum ſeculi? præceptum poſuiſti & non præteribit. Non tamen tibi Deo coęterna, quia non ſine initio, facta eſt enim, prior quippe omnium creata eſt ſapientia, non vtique illa ſapiētia Deo patri plane coæterna, & coæqualis, per quam creata ſunt omnia, & in quo principio factum eſt cœlum & terra, ſed profecto ſapiētia quæ creata eſt ſpiritalis natura, ſcilicet quæ contemplatione luminis, lumē eſt. Dicitur enim & ipſa, quamuis creata, ſapientia, ſed quantum diſtat inter lumen illuminans, & lumen quod illuminatur, tantum differt inter te ſummam ſapientiam, quæ es creans, & iſtam quæ creata eſt, ſicut inter iuſtitiam iuſtificantem, quæ tu Deus noſter es, & iuſtitiam quæ iuſtificatione noſtra facta eſt. Nam & nos dicti ſumus iuſtitia Dei patris, in te filio eius domino noſtro, teſtante Apoſtolo, prior igitur omnium creata eſt quædam ſapiētia, & hæc eſt mens rationalis & intellectualis, q̄ eſt creata, & hæc domus Dei eſt in qua habitat, & hæc eſt quæ tantum diſtat a ſapientia diuina. *lib. med. cap. 19.* *2. Cor. 5*

QVÆST.

QVÆST. DCCCCXXX.

AN sint sancti inuocandi vt pro nobis orent.

Lib. meditat. c. 4. RESPON. Fœlices sancti Dei, qui iam peruenistis ad portam perpetuæ quietis, obsecramus vos, per vestram charitaté, qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis, securi estis de vestra immarcessibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria, per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, quod cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis, estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in solo huius vitę circunstantibus agitamur procellis. Hic Aug. orat sanctos ergo persuadet, & nos eos orare suo exemplo.

QVAEST. DCCCCXXXI.

QVæ sit via quæ ducit ad vitam.

Lib. de diligendo Deo. c. 1. RESPOND. Apostolus duo ostendit, scilicet quod cœlestis gloria ineffabilis est, & quę sit via quæ ducit ad vitam, ait enim Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascéderũt, q̃
1. Cor. 2. præparauit Deus diligentibus se: Ecce per hoc quod dicit Deum præparasse bona diligentibus se, ostendit quia dilectio via est, qua ad illa bona peruenitur, sed dilectio Dei, sine delectione proximi,
1. Ioan. 4 haberi non potest, testante Beato Ioanne qui ait, qui non diligit fratrem suum, quem videt. Deum quem non videt, quomodo diligere potest? & hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & proximum suum. Ecce in hac gemina dilectione consi-
1. Co. 12 stit vera charitas, de qua Apostolus loquens ait, excellentiorem adhuc viam vobis demonstro, ecce charitas excellentissima via est, quæ ducit ad cœlestem patriam, & sine qua nemo illuc venire potest, sed quis in hac via est? Quis nouit eam? Qui diligit Deum & proximum: Quomodo diligẽdus est deus, & quomodo proximus? Deum debemus diligere plusquam nos, & proximum sicut nos, Deum diligimus plusquam nos, si præcepta eius voluntati nostræ in omnibus pręponimus, proximum autem non iubemur diligere quantum nos, sed sicut nos, idest velle & optare ei omne bonum, quod debemus velle, & optare nobis, & maxime ęternã beatitudinem

nem, & ad illam obtinendam ei succurrere, & in corporalibus bonis, & in spiritualibus prout ratio exigit? & facultas permittit, vnde dominus in euangelio ait. Quęcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, & Ioannes Apostolus ait. Nō diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate: sed qui sunt proximi quos debemus sic diligere? certe omnes homines christiani, iudei, pagani, amici & inimici. *Mat. 7.* *1. Ioan. 3*

QVÆST. DCCCCXXXII.

Deus in quibus operibus se ostendit mirabiliorem

Respon. Cum autem ò Deus meus in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in visceribus pietatis, nullum enim spernis, neminem per horescis, nisi qui forte te amens exhorruerit. Me enim in pericuils sæpe constitutum clemēter eripuisti, nec vnquam in peccatis meis me dereliquisti, oblitum tui de te admonuisti, auersum a te reuocasti, venientē ad te benigne suscepisti, pœnitenti indulsisti. Non solum peccata a te dimissa sed & non a nobis commissa, tibi hoc deputandum est. Nam sicut in multa peccata cecidi, sic & in multo plura, nisi me conseruasses cecidissem, tribus autē modis a peccato: me memini cōseruatum scilicet occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate, ò quam multa peccata committeret homo, nisi Deus occasionem subtrhaeret, & vim resistendi daret, hæc suut Dei miserationes erga nos in quibus mirabilior videtur. *Eod. lib. cap. 12.*

QVÆST. DCCCCXXXIII.

Gratia promerendi vitam æternam in quibus constat, & quid ad hęc cor roborat.

Respon. Deus dat gratiam promerendi bona vitæ ęternæ, quam gratiam in tribus maxime stare arbtror, in odio pręteritorū malorum, in cōtemptu bonorum pręsentiū, in desiderio futurorū deinde in spe eadem obtinendi. Tria inquam sunt quę sic roborant & confirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla consideratio proprię vilitatis, nulla ęstimatio cœlestis beatitudinis, de celsitudine spei deijcere possit, in ea firmiter radicatur, anima mea: tria considero in quibus spes mea tota cōsistit scilicet charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. *Eod. lib. cap. 14.*

tionis. Murmuret iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens. Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibus ve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, scio cui credidi & certus sum quia in charitate nimia adoptauit me Deus quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione, licet enim ei hoc facere, quod voluerit, pro his ergo meritis, Deus meus mihi diligẽdus est.

QVÆST. DCCCCXXXIIII.

AN Angeli sint deputati ad custodiam hominum.

Lib. soliloquiorũ cap. 27. RESPON. Fecisti Deus Angelos tuos spiritus, propter me, quibus mandasti vt custodiant me in omnibus vijs meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne antiquus ille serpens, aduersarius noster dyabolus, animas nostras eripiat: hi ciues supernę ciuitatis Hyerusalem, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis, confortẽt quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant, in conspectu gloriæ maiestatis tuæ.

QVÆST. DCCCCXXXV.

AN Deus possit, vti est, inueniri a nobis in rebus exterioribus.

Eod. lib. cap. 21. RESPON. Misi omnes nuncios meos, idest sensus meos exteriores, vt quærerem te & non inueni, quia male quęrebam. Nam oculi dicunt, si coloratus non fuit, per nos non intrauit. Aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos non transiuit. Nasus dicit si nõ olluit, per me non venit, gustus dicit, si non sapuit, per me nõ introuit, tactus dicit si non est corpulentus, nihil me de hac re interroges. Non ista igitur sunt in te Deus meus, non enim speciẽ corporis, nec omnia alia his sensibus subiecta quæro, cum Deum meum quæro. Absit vt ista crediderim dñm meum, quæ etiam a brutorum sensibus comprenduntur, & tamen cum dñm, meum quæro, quæro nihilominus quãdam lucem super omnem lucem, q̃ non capit oculus, quandã vocẽ super oẽm vocẽ, q̃ non capit auris, quẽdã odorem super oẽm odorem, quẽ non capit naris, quẽdã dul

corem,

corem, super omnem dulcorem, quem non capit gustus, quendam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Ista enim lux fulget, vbi locus non capit, ista vox sonat, vbi spiritus non rapit. Hic est Deus meus, & non æstimabitur alius ad illum. Hoc quæro cum Deum meum quæro. Istud amo, cũ Deum meum amo.

QVÆST. DCCCCXXXVI.

AD confessionem verę fidei, quæ sunt de Deo dicenda?

RESPON. Qualiter cognoui te Deus meus? Cognoui te solum Deum viuum & verum Creatorem meum, cognoui te Creatorem cœli & terrę, visibilium omnium & inuisibilium, Deum verum omnipotentem & immortalem, inuisibilem, incircunscriptum, interminabilem, ęternum, inaccessibilem, incomprehensibilem, imperscrutabilem, incommutabilem, immensum infinitum, principium omnium visibilium & inuisibilium creaturarum per quem omnia facta sunt: per quem cuncta subsistunt elementa, cuius maiestas sicut principium nunquam habuit, sic nec desinet in ęternum, cognoui te vnum solum verum Deum ęternum, patrẽ & filium & Spiritum Sanctum, tres quidem personas, sed vnam essentiam, omnino simplicem indiuisamque naturam, & patrem a nullo, filium a patre solo, & Spiritum Sanctum pariter ab vtroq; absque initio semper & sine fine, Deum trinum, & vnum solum & verum Deum omnipotentem, vnum vniuersorum principium, cognoui te & confiteor te verum Deum & dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ac Creatorem, Saluatorem & Redẽptorem totius humani generis, quem confiteor ex patre genitum ante secula Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem patri, & coęternum, per quem omnia facta sunt: Cõfiteor te Deum vnigenitum Iesum Dhristum, propter salutem hominum a tota Trinitate, communiter incarnatum, & ex Maria perpetua Virgine Spiritus S. cooperatione conceptum, verum hominem factum ex anima rationali, & humana carne subsistentem. Qui secundum diuinitatem vnigenitus Dei impassibilis, & immortalis, idem ipse Dei filius, secundũ humanitatem passibilis & mortalis pro salute nostra est factus, & passus est in cruce.

Eod. lib. cap. 32.

QVÆST. DCCCCXXXVII.

Eod. lib. cap. 36. QVę erit gloria cœlestis patriæ.

RESPON. Cum peruenerimus ad te fontem sapientiæ, ad te lumē indeficiens, tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit exterius, quod desideretur, nisi tu domine summū bonum, qui eris præmium beatorum: Ibi videbimus, amabimus, & laudabimus, videbimus in lumine tuo lumen tuum. Quale autem lumen? lumen immensum, lumen incorporeum, lumen indeficiens. Tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen te, scilicet in te in splendore vultus tui, quando te videbimus 1. Cor. 3. facie ad faciem. Quid est videre facie ad faciem? nisi quod ait Apostolus cognoscere sicut & cognitus sum, cognoscere veritatem tuā, & gloriam tuam, hoc est cognoscere faciem tuam, cognoscere patris potentiam, filij sapientiam, Spiritus Sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis vnam & indiuiduam essentiam, videre enim faciem Dei viui, hoc est summum bonum, vita beata, plenitudo beatitudinis. Hæc est plena beatitudo & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Hæc est enim vita ęterna. Hæc est inquam sapientia tua. Hęc est vita ęterna, vt cognoscant te solum verum Ioan. 17 Deum & quem misisti Iesum Christum. Magna enim merces nostra Deus est, qui est magnus.

QVÆST. DCCCCXXXVIII.

Ex Manuali. c. 15. AN sint tribulationes desiderandæ pro Christo.

RESPON. O anima, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & sanctis eius sociari, nonne dignum esset, pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? insidientur ergo demones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, occurrat quidquid mali possit in hac vita, nihil est pro illa æterna gloria: Illa ęterna est. Hęc temporalia & cito transitura.

QVÆST.

QVÆST. DCCCCXXXIX.

QVid sit cognitio veritatis.

RESPON. Quid est cognitio veritatis? primo cognoscere teipsum, & quod esse debes esse studeas, quod autem corrigendum est corrigas. deinde cognoscere & amare creatorem tuũ, hoc enim est totum hominis bonum. *Eod. lib. cap. 26.*

QVÆST. DCCCCXL.

QVomodo mutua charitas in cœlis in sanctis augeat beatitudinem,

RESPOND. Certe si quis alius, quem omnino, sicut teipsum amares eãdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuũ, quia non minus gauderes pro eo, quàm pro te ipso, si vero duo, vel tres, vel multo plures, idipsum haberent, tantundem pro singulis, quantundem pro te ipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares, ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & Hominum, vbi nullus alium minus diliget quàm seipsum. Non enim aliter gaudebit vnusquisque pro singulis aliis, quàm pro seipso: si ergo cor hominis de tanto bono suo vix gaudium suum capiet, quomodo capax erit tot & tantorũ gaudiorum? Et tamen erit capax, & sic ex mutua charitate sortietur magnam beatitudinem. *Eod. lib. cap. 35.*

QVÆST. DCCCCXLI.

AN gaudia Paradisi, item & pœnæ inferni possint a nobis plenè cogitari.

RESPON. Bona enim regni cœlestis dicere, vel cogitare, vel intelligere vt sunt, nullus potest carne vestitus. Multo enim maiora & meliora sunt, quàm cogitantur, & intelliguntur, cum scriptũ sit. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę pręparauit Deus diligentibus se: Regnum namq; Dei omni fama maius, & omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quę putatur excellentius. Mala autem inferni, dicere vel cogitare vt sunt, nemo potest, peiora quippe *De triplici habitaculo. c. 1.* *1. Cor. 2.*

ſunt valde quam cogitantur, regnum itaque Dei plenum eſt lucis, & pacis, & charitatis, & ſapientiæ, & gloriæ, & honeſtatis, & dulcedinis & melodiæ, & lętitię, & beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari poteſt, at lacus inferni plenus eſt tenebrarum, diſcordiæ, odij ſtultitiæ, miſeriæ, turpitudinis, amaritudinis, offenſionis, doloris, aduſtionis, ſitis, famis, ignis inextinguibilis, triſtitiæ, vindictę perennis, & omnis ineffabilis mali, quod dici non poteſt, nec cogitari: ciues regni ſunt Angeli & iuſti homines, quorum Rex eſt, Deus omnipotens, & eos ſatiat viſio ſanctorum Angelorum, & ſuper omnia ipſius Dei: Ciues inferni ſunt impij homines, & demones, quorum princeps eſt dyabolus, & cruciat eos viſio hominum damnatorum & demonũ & ſuper omnia ipſius diaboli.

QVÆST. DCCCCXLII.

Eod. lib. cap. 5.

AN preſcientia Dei cogat homines peccare.

RESPON. Præſcientia Dei neminem ad peccandum cogit, vt multi errantes dicunt, ſi enim inquiunt preſciuit Adam peccaturum eſſe, non peccare non potuit, ex quo errore naſcitur, Deũ cauſam eſſe peccati, quod nefas eſt dicere, & illi, tamen ſuis verbis alligantur, ſi enim quod preſciẽtia Dei habet, neceſſe eſt fieri, ideo voluntate propria homo peccauit, & non alia neceſſitate, quia in præſcientia Dei fuit, vt voluntate & libero arbitrio, & non neceſſitate cogente peccaret, ſi ergo præſcientia Dei non poteſt vitari non potuit homo aliter peccare, niſi voluntate, nulla alia vi cogente, quia ita DEUS præſciuit peccaturum; ſi ergo voluntarie, non coactus eſt, ſi enim non coactus eſt ad peccandum, potuit ſine dubio non peccare ſi vellet, ideoque pœnam meruit, quia non inuitus peccauit, alioquin enim a Deo pœnam mortis non ſuſciperet.

QVÆST. DCCCCXLIII.

Lib. de gradibus abuſionũ per totũ.

GRadus abuſionum quot ſunt, & qui ſunt?

RESPON. Primus abuſionis gradus (cum ſint duodecim) eſt ſi ſine bonis operibus, ſapiens & prædicator fuerit,

quod

quod ſermone docet, actibus complere negligit.

2 Secundus abuſionis gradus eſt ſi ſine religione ſenex inueniatur.

3 Tertius abuſionis gradus eſt ſi adoleſcens ſine obedientia, deprehenditur, quo mundus a recto rationis ordine deprauatur.

4 Quartus abuſionis gradus eſt. Diues ſine eleemoſyna, qui ſuperflua vſus ſui quę cuſtodienda in poſterum recondit, indigentibus, & nihil habentibus non diſtribuit, per quod efficitur, vt dū in terra quæſita diligenti cura cuſtodit, cœleſtis patriæ perennem theſaurum amittat.

5 Quintus abuſionis gradus eſt fœmina ſine pudicitia, quod facit in viris prudentia, hoc facit in fœminis pudicitia, cunctos bonos mores in viris procurat & cuſtodit prudentia, ita honeſtos actus cuſtodit in fœminis pudicitia.

6 Sextus abuſionis gradus eſt dominus ſine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere poteſtatem, ſi dominus ipſe nō habeat virtutis rigorem.

7 Septimus abuſionis gradus eſt chriſtianus contentioſus, qui cum participationem nominis Chriſti, per fidem & baptiſmum ſuſceperit contra Chriſti dicta & propoſitum, mundi caduca delectamenta diligit.

8 Octauus abuſionis gradus eſt pauper ſuperbus, qui nihil habens in ſuperbiam extollitur, cum econtrario diuitibus ſeculi non ſuperbe ſapere per Apoſtolum imperatur. *1. Tim. 6*

9 Nonus abuſionis gradus eſt Rex iniquus, etenim regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet.

10 Decimus abuſionis gradus eſt, Epiſcopus negligens, qui gradus ſui honorem requirit inter homines, ſed miniſterij ſui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non cuſtodit.

11 Vndecimus gradus abuſionis eſt plebs ſine diſciplina, quæ cū diſciplinæ exercitationibus non ſeruit, communi ſe perditionis. Laqueo conſtringit.

12 Duodecimus abuſionis gradus eſt populus ſine lege, qui dū Dei dicta, & legum ſcita contemnit, per diuerſas errorum vias, prę uaricationis laqueum incurrit.

QVÆST. DCCCCXLII.

ABissi quot sunt.

Lib. de contrit. cordis. cap. 9.

Respon. Vere abissus peccata mea sunt, quia incomprehensibilia sunt profunditate, & inestimabilia sunt numero, & immensitate, ò abissus abissum inuocans, ò peccata mea, tormenta quibus me seruatis, abissus sunt, quia infinita, & omnino incomprehẽsibilia sunt, Est & tertia abisus, & est nimis terribilis, iudicia Dei abissus multa, quia super omnẽ sensum occulta, Hæ omnes abissi terribiles sunt mihi vndique, quia timor super timorem, & dolor super dolorem: Nam abissus abissum in voce cataractarum tuarũ inuocat, quia peccati abissus abissum tormentorum meretur, quia iudicia Dei pronunciat, abissus ergo iudiciorum Dei super me, abissus inferni subtus mę, abisus peccatorum meorum est intra me, illam quæ super me est timeo, ne in me irruat & me cum abisso mea, in illam quæ subtus me latet, obruat, vbi per tormenta peccata nunquã delebuntur, sed peccata tormenta super me tenebũt.

QVÆST. DCCCCXLV.

QVomodo animæ sanctorum intelligantur audire pręces viuentium.

Lib. de cognitione veræ vitæ. cap. 39.

Respon. Si animæ corporeas voces non audiunt, quomodo animas sanctorum Petri scilicet & Martini, vel alterius iusti, pręces suas exaudise, multi experti sunt? Dicitur, quòd oratio cordis non oris, ascendit in cœlum. Animę enim non clamorem vocis, sed cordis audiunt, & se fideliter inuocantibus subueniunt, neque magis clamosas preces audiunt, quàm eas, quæ sine voce, vel in lingua, vel in corde tantum fiunt, quia neque a nobis verba, sed voces cordis tantum audiunt, cœterum verba mente videntur, cum ergo animæ, nostræ aliquid secundum Deum desiderant, & hoc sibi a Deo per sanctos dari, siue corde, siue lingua, siue voce postulant, animę sanctorum, quibus est idem audire, quod videre, & econuerso, non voces, sed verba intuentes, desiderata eis a Deo impetrant, vt habetis scriptum desiderium pauperum exaudiuit dominus.

QVÆST. DCCCCXLVI.

AN tres cœli historialiter dicti, & tres significatiue dicti inueniantur.

Respon. Sciendum est tres cœlos historialiter appellari, & iterum tres significatiue nuncupari. Hic quippe aer primum cœlum historialiter vocatur, sicut habetis volucres cœli, quia in cœlo, idest in aere volare videtur, secundum cœlum ether vocatur, sicut habetis. Stellæ cœli, quia in eo planetæ vago cursu feruntur. Tertium cœlum firmamentum appellatur, sicut habetis. Astra cœli, quia in eo fixa sidera traduntur: significatiue quoque tres cœli leguntur, quia tres visiones, scilicet sensualis, spiritalis, & intellectualis a sapientibus non nesciuntur. Sensualis quippe visio est cum colores, & formas rerum exterius cernimus, sed interius aliquid cœlari intelligimus, vt in litteris intelligimus significantiam. Hæc ergo visio primum & substantiale cœlum nominatur, quia in scripturis intelligentia cœlatur, cœlum etenim a cœlando nominatur, secunda visio spiritalis est qua non res, sed imagines rebus similes spiritaliter videmus, sicut in somniis solemus, & sicut Ioannes in Apocalipsi, & Prophetas multa nouimus vidisse. Et hæc visio secundum cœlum nuncupatur, quia res in his similitudinibus cœlantur. Tertia vero visio intellectualis est cum neque res exterius, neque imagines rerum interius, sed ipsas substantias, prout vere sunt, abstractis coloribus intellectu cõspicimus, & vniuscuiusque qualitatem inter se differentem ratione discernimus, & hæc visio tertium cœlum vocatur, quia veritas rerum in hac quasi a stultis cœlatur.

Eod. lib. cap. 43.

QVÆST. DCCCCXLVII.

REgnum cœlorum quid est?

Respond. Regnum cœlorum, id est iustorum non vrbium mœnia, non possessionum prædia, non auri vel gemmarum copia, sed iustitia, pax & omnimoda gloria, in pleno gaudio creditur, quod de visione æternæ claritatis, & de societate Angelorum & sanctorum habetur. Deus ęterna lux probatus est esse in mundo, & extra mundum, infra & supra, & in circuitu, vndique,

Eod. lib. cap. 44.

& vbique igitur si regnum cœlorum talium, ratione demonstrante nihil aliud est quam visio Dei, quæ est fons omnium bonorum.

QVAEST. DCCCCXLVIII.

Eod. lib. cap. 45.

CORpora nostra in resurrectione quibus dotibus ornabuntur, RESPON. Corpus sanctorum resurget spiritale, quia velocitate Leuitate perspicuitate spiritibus erit equale, & omne solidum erit ei penetrabile, sicut & corpus domini lapide clauso surrexit, & ianuis clausis intrauit, sicut igitur spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur, ita quoque non est necesse, vt tunc spiritale corpus, aliquo loco fulciatur, Non enim insensibile corpus spiritum, sed spiritus corpus vegetat, igitur nullus locus spiritale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit, sed vt spiritus illocaliter in summo spiritu Deo subsistitur, nisi forte, hoc pro loco accipiatur, quod substantialiter & personaliter ascribitur.

QVÆST. DCCCCXLIX.

AN Deus vsque ad certum terminum expectet peccatorem antequam grauiter puniat siue exterminet.

lib. de vita christiana. c. 4. 3.

RESPON. Sentire nos conuenit tandiu vnumquemque Dei patientia sustentari, quandiu nondum peccatorum suorum, terminum finemque compleuerit, quo consumato eum illico percuti, nec illi vllam veniam iam reseruari, & quod hoc sit verum euidentissime demonstratur, quando ad Abraham loquitur de interritu sodomorum & gommoreorum dicens, clamor sodomorum, & gommoreorum repletus est, & de ammoreis loquens dicit. Nondum sunt expleta peccata ammoreorum, vsque adhuc. Quo exemplo, manifestissime instruimur & docemur singulos secundum peccatorum suorum plenitudinē consumari, & tandiu vt conuertantur sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint delictorum consumatum.

QVÆST.

QVAEST. DCCCCL.

QVæ sit quotidiana peccata, & si elemosynis possunt mundari.

Respon. Illa dico esse quotidiana peccata, quę aut per linguam facile committuntur, vt est verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in huiusmodi nugas quotidianas, si etiam quis vltra necessitatem sumit cibum vel vxoratus concumbat cum vxore non causa pro creandorum filiorum. Quotidiana sunt ista peccata, quæ dico, & non sunt leuia, quia plura. Quia vero quotidiana, & plurima, timenda est ruina multitudinis & si nõ magnitudinis. Talia peccata dicimus quotidianis elęemosynis mundari posse facite ergo elemosynas & nolite cessare. *Lib. de decẽ cordis. c. 11*

QVÆST. DCCCCLI.

QVot sunt actiones pœnitentię.

Respon. Tres sunt actiones pœnitentiæ vsitate in ecclesia, vna est, quæ nouum hominẽ p baptismum parturit, donec salutaris omnium præteritorum, peccatorum fiat ablutio, omnis enim qui iam voluntatis suæ factus est arbiter cum accedit ad sacramẽta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, nouam nõ potest inchoare, ab hac pœnitentia cum baptizantur soli pueri immunes sunt. Nondum enim vti possunt libero arbitrio. Quibus tamen ad consecrationem, remissionemque originalis peccati, prodest eorum fides a quibus offeruntur, vt quascunque maculas delictorum, per alios ex quibus nati sunt contraxerunt, aliorum etiam interrogatione, ac responsione purgantur, altera vero pœnitentis est, cuius actio per totam istam vitã, qua in carne mortali degimus perpetuæ suplicationis humilitate subeunda est. Nullus enim vitã ęternam desiderat, nisi eum vitę huius temporalis, & mortalis pęniteat, licet in baptismo deponat omnia peccata nõ tamen corruptionẽ & fomitem deponit. Quis ergo festinat atque optat ad patriam remeare, & illam per spetiem, quę est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suę pœnituerit? Tertia actio pœnitentiæ est, quæ pro illis peccatis subeunda est, quam *Lib. de pœnitentiæ medicina. c. 2. De consf. d. 4. cap. omnis. De pœn. d. 1. cap. tres sunt*

legis

Gal. 5. legis decalogus continet, & de quibus Apostolus dicit. Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, in hac ergo pœnitentia maiorem in se quisque seueritatem debet exercere, vt a seipso iudicatus, non iudicetur a domino iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate dum potest, & mores componat, & conuertat in melius, ne cum iam non poterit, etiam preter voluntatem a domino iudicetur, & cũ ipse protulerit seuerissimæ medicinę, sed tamẽ medicinę sententiam, veniat ad antistites, per quos in ecclesia claues ministrantur, & hoc ordine custodito, a prępositis sacramẽtorum accipiat satisfactionis suæ modum.

QVÆST. DCCCCLII.

AN satisfactio pro peccatis requiratur, etiam si vita in melius mutetur.

Eod. lib. cap. 5. De pœni. d. 1. cap. Nõ suffi- cit. RESPON. Non enim sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etia de his quę facta sunt, satisfiat Deo, per pęnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus Elemosynis.

QVÆST. DCCCCLIII.

QVot modis peccata dimittuntur.

De Simbolo ad cathecumenos. lib. 1. c. 6 RESPON. Tribus modis dimittuntur peccata tn ecclesia, in baptismate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentię, tamen Deus non dimmittit peccata nisi baptizatis, ipsa peccata quę primum dimittit, nisi baptizatis dimittit, quãdo baptizantur, peccata quę postea orantibus dimittuntur. Nam quomodo dicunt pater noster, qui nondum nati sunt? Et pœnitentibus quibus dimittit, baptizatis dimittit cathecumeni quandiu sunt, super illos sunt peccata eorum, si cathecumeni, quanto magis pagani? quanto magis, hæretici? Sed hæretici baptismum non mutamus; quare? Quia sic habent baptismum, quomodo desertor habet characterem, ita & isti baptismum habent, sed vnde damnentur, non vnde coronentur. Et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, nunquid audet quisquam ei characterem mutare?

QVAEST.

QVÆST. DCCCCLIIII.

AN creatura aliqua possit dici omnipotens.

Respon. Potest quippe secundum datam potestatem, quilibet Angelus, vel homo dici potens, sed nunquid potest omnipotens? potest dici Rex vel imperator, quod multa quæ velit possit, non tamen eum, qui sanum sapit, audebit dicere omnipotentẽ, nam si voluerit eum adulando ita laudare incipit, & illum, & seipsum fallendo decipere. Quomodo audebit dicere omnipotentem quem videt multum velle viuere, & vitam succedẽte morte finire? omnipotens est, nõ moriatur, a morte excludatur, si autem ei mors terminũ dabit, omnipotentem eum nõ fuisse, mors ipsa demõstrauit Non ergo quispiam audebit aliquam creaturam, siue cœlestem siue terrestrem dicere omnipotentem, sed solam Trinitatem, patrẽ scilicet, & filium & Spiritum Sanctum. *Ad cathecumenos. c. 3. lib. 2.*

QVÆST. DCCCCLV.

AN Moyses viderit Deum & essentiam suam oculis corporeis.

Respon. Videbat Moyses Deum, non oculis corporeis, sed oculis mentis & quia lux illa perpetua, quod Deus est, plus eum quam cœteros illustrauerat, ideo dictum est, os ad os Moyses cum Deo loquebatur, sicut quis loquitur ad amicum suum, sic intelligẽdum est hoc dictum quòd plus omnibus manifestatus est illi. Nemo enim videre potest deum, & viuere, idest videre oculis corporeis, posteriora autem Dei vidit Moyses, idest Christum cognouit filium dei incarnandum, & hęc fuit vna prophetia de missione filij dei ad nos, nam iussus est Moyses stare supra petram in monte Horeb, quando voluit videre dei posteriora Hæc petra Christum figurabat, petra autem erat Christus inquit Paulus. *Ad cathecumenos. c. 2. lib. 4.* *Exo. 33.* *1. Co. 10*

QVAEST. DCCCCLVI.

QVæ sunt superstitiones fugiendę.

Respon. Nullus obseruet egrediens domum quid sibi occurrat vel sibi in aliquo vox reclamantis fiat, aut qualis auis cantus garriat, vel quid etiam portantem videat, quia qui hæc obseruat, *Lib. de rectitudine catolica conuersationis.*

uat, ex parte paganus eſſe dignoſcitur, qui ergo hęc comenpſerit,
Pſal. 39 prophetam ſibi gratuletur clamare, beatus vir cuius eſt dominus ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Recedendum eſt ergo a cunctis huiuſcemodi obſeruantibus, mathematici ſpernendi, auguria horrenda ſonnia contemnenda, quoniam ſicut
Leui. 19 ſcriptura teſtatur vana ſunt, vnde per Moyſem præcipit; Non auguriabimini, nó obſeruabitis inqt ſonnia, nec ad magos declinabitis

QVAEST. DCCCCLVII.

RESpectus Dei quot modis accipi ſolet.

Expoſit. cant. Magnificat. RESPON. Reſpectus Dei, tribus modis accipi ſolet, videlicet ſecundum cognitionem, ſecundum gratiam, ſecundum iudicium. De primo Apoſtolus, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius
Heb.4. ſed per gratiam Deus non omnes reſpicit, quia oculi domini ſuper
Pſal. 33 iuſtos. De tertio in fine dicetur, Neſcio vos, oculi domini bonos
Mat.7. & malos contēplātur: Videre Deū per cognitionem, eſt, nihil eorū quæ ſunt ignorare: Videre per gratiam, dona miſericordię impendere, videre per iudicium, vnumquemque ſecundum opera ſua, vel ad pœnam deſtinare. Quid ſit reſpicere: Reſpicere plus eſt quā videre. Reſpicere per gratiam eſt prius abiectos, & derelictos viſitare, cum bona placatus, per miſericordiam ſubtracta reſtituit, rurſum per reſpectum gratię, ad eum ſe conuertit.

INCIPIT

INCIPIT TOMVS DECIMVS.

QVÆST. DCCCCLXVIII.



Vomodo opera bona sint coram hominibus facienda.

Respon. Sunt quidam qui sic faciunt iustitiam suam coram hominibus, non vt videantur ab eis, sed vt ipsa opera videãtur, & glorificetur pater qui in cœlis est, qui eam iustificatis impiis donare dignatus est. Qui tales sunt, nec suam iustitiam deputant, sed eius, ex cuius fide viuunt, vnde & Apostolus dicit: Vt nos simus iustitia Dei in illo, vnde & iudeos reprehendit, ignorantes inquit Dei iustitiam, & suam volentes statuere iustitiæ Dei non sunt subiecti. Quisquis ergo ita vult videri opera sua, vt ille glorificetur, a quo ea quæ in illo videntur accepit, & sic ad imitandum bonum idem ipsius, qui vidẽt fidei pietate prouocẽtur. Hic cauet ne iustitiã suam faciat coram hominibus, vt videatur ab eis, sed tantũ vt glorificetur Deus, & hoc modo sunt facienda coram hominibus bona opera.

De verbis Domini ser. 2.

2. Cor. 5.

Rom. 10.

QVÆST. DCCCCLIX.

An docere bona & non facere sit reprehensibile.

Respond. In doctore enim molesta est causa, dicere non facere, præcipere nec obseruare, in discente vero audire velle, quod nolit implere, aures auditui accommodare, & ob opere volũtatem auertere, cœterum qui facit, quod docet, & quidquid impe rat complet, maximus in cœlestibus sententia domini declaratur, at vero qui quod dicit negligit, & qui quod audit contemnit, salutis reus existit, qui obseruanda contempsit, & pericula non vitauit.

Eod. lib. serm. 3.

QVAEST.

QVAEST. DCCCCLX.

QVid sit peccatum in spiritum Sanctum, quod nunquam dimittitur.

Eod. lib. serm. 11 *Mat.* 12. RESPON. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur neque in hoc seculo neque in futuro, si omnem blasphemiam in Spiritum Sanctũ & omne verbum contra Spiritum Sanctum intelligeret, vtique nemo infidelis ad fidem veniret, quia dum sunt infideles blasphemãt Spiritum Sanctum. Dicunt miracula Christi artibus magicis facta esse, negant sanctificationem in baptismo factam, quæ omnia per Spiritum Sanctum fiunt, & multa quæ ex operatione Spiritus Sancti fiunt, dum infideles sunt negant, & sic blasphemant Spiritum Sanctum. Multi tamen istorum conuertuntur, ergo aliqua blasphemia Spiritus Sancti remittitur. Quapropter non est necesse, vt omnem blasphemiam, & omne verbum quod dicitur contra Spiritum sanctum, remisionem quisquam existimet non habere. Aduertendum est quod nõ dixit Christus, omnis blasphemia Spiritus, sed indefinite dixit, blasphemia spiritus, vt intelligatur, aliquam remitti, & aliquam non. Quæ autem nunquam remittitur, hęc est, videlicet impœnitentia, nunquam peccatorum suorum pœnitere, & non admittere in ecclesia remisionem peccatorum. Hęc omnino impœnitentia est blasphemia siue peccatum in Spiritum Sanctum, quod non remittitur nec in hoc seculo, nec in futuro, quia pœnitentia in hoc seculo impetrat remisionem, quæ valeat in futuro: sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quandiu quisque in hac carne viuit, non potest iudicari. Non enim de nullo est desperandum in hac vita; hodie quis est paganus, cras erit bonus christianus, sed moriens corde impœnitenti, de tali est desperandum, tale peccatum nunquam ei remittetur.

QVÆST. DCCCCLXI.

QVid est bonum?

Eod. lib. serm. 12 RESPON. Hoc est bonũ, quod non potes inuitus ammittere, potes enim aurum perdere & nolens potes domum, potes honores, bonum vero, quo bonus vere es, nec inuitus accipis, nec inuitus ammittis.

QVÆST.

QVÆST. DCCCCLXII.

NOx quot vigilias habet, & vigilia quot horas?

RESPON. Christus suos discipulos quarta vigilia noctis in mari visitauit, idest extrema parte noctis, iam nocte finita, igitur nox quatuor vigilias continet, & vigilia horas tres. *Eod. lib. serm. 14 Luc. 24.*

QVAEST. DCCCCLXIII.

QVare Mattheus generationem Christi descendendo ab Abrahã ad Ioseph describit, & Lucas ascendendo. *Eod. lib. serm. 15.*

RESPON. Quia Mattheus generationem Christi commendabat qua descendit ad nos, ideo quando natus est Christus, cœpit numerare descendendo, Lucas autem ascendendo cœpit numerare: Quare ille descendendo iste ascendendo? de Mattheo diximus Lucas vero tunc cœpit numerare, quando Christus baptizatus est, ibi est initium ascensionis. Totidem generationes inueniuntur ascendendo, quot descendendo, ab Adam vsque ad Christum septuagintaseptem sunt, & totidem a Christo vsque ad Adam qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit, vnde apparet nullam generationem esse pretermissam, nec vlla culpa præteriri debet, quin per Christum non deleatur, cũ deletur, ideo vtraque numeratio non fit sine Christo, vna terminatur in Christo, altera incipit a Christo, quia ipse est propitiatio omnium peccatorum nostrorum, & cum nulla culpa preteriri possit, quin per Christum deleri possit, ita nulla culpa pretereat, quin a nobis proximo parcatur.

QVÆST. DCCCCLXIIII.

COrrectio fraterna quomodo sit fienda.

RESPON. Correptio non solum est fienda, quãdo in nos peccatur, sed etiam, quando peccatur ab aliquo, vt ab altero nesciatur, in secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volẽtes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere, quid si inimicus querit audire quod puniat, Nouit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo nouit *Eod. lib. serm. 16*

uit

uit discernere enim debemus, quando si corripiendus frater inter te & ipsum solum, & coram cœteris, vt cęteri timorem habeant, & vt scias discernere audi Christũ, si peccauerit in te frater tuus, corri eum inter te & ipsum solum, Quare? Quia peccauit in te. Quid est, in te peccauit? Tuscis quia peccauit, quia enim secretum fuit, quando in te peccauit, secretum quære cum corrigis quod in te peccauit. Nam si solus nosti, quia in te peccauit, & eum vis corã corã omnib. arguere, nõ es corrector, sed proditor: si aũt peccauit
1.Tim.5 omnibus, & coram omnibus argue vt dicit Apostolus, peccantes coram omnibus argue vt cœteri timorem habeant: quando corripimus, debemus amando corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi. Quare corripis fratrẽ? Quia tu doles, quòd peccauerit in te? Absit, si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, id est vt lucreris illum, optime facis, si faciendo lucraris, nisi fecisses perierat.

QVAEST. DCCCCLXV.

QVid si trabes, & festuca in oculo.

RESPON. Christus dixit eijce trabem de oculo, vt videas
Eod.li.et eijcere festucam de oculo fratris, festuca in oculo ira est, trabes in
serm. oculo odium est. Quando ergo qui odit irascentem reprehendit,
Mat.7. festucam vult de oculo fratris tollere, sed trabe impeditur, quam ipse portat in oculo suo: festuca initium trabis est, nam trabes quando nascitur, prius festuca est, Rigando producis festucam ad trabem, Alẽdo iram malis suspitionibus, perducis ad odium: Multum autem interest inter peccatum irascentis, & crudelitatẽ odio habentis, nam & patres aliquando filijs irascuntur, odisse vero filios quis inuenitur? Multum quippe interest inter turbatum oculũ & extinctum, festuca turbat, trabes extinguit, odium ergo ante omnia vitandum est, trabes de oculo eijcienda est, vt videamus eijcere festucam de oculo fratris.

QVAEST. DCCCCLXVI.

CLamare ad Christum quid est.

Eod. lib. RESPOND. Clamare ad Christum est gratiæ Christi con
cap. 18. gruere bonis operibus, clamat ad Christum, qui contemnit mun-
Gal. 6. dum, clamat ad Christum qui spernit seculi voluptates. Qui dicit

non

non lingua, sed vita. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Qui dispergit dans pauperibus, vt iustitia eius maneat in seculum seculi, clamat ad Christum qui audit & non surdus audit, res vestras vendite, & dete pauperibus, clamat ad Christum qui nõ deuiat a via perfectionis propter insultores. *Luc. 12.*

QVÆST. DCCCCLXVII.

AN militare sit delictum.

RESPON. Non.n. militare delictum est, sed propter prędã militare peccatum est, nec rem publicam gerere criminosum est, sed ideo agere rempublicam, vt rem familiarem potius augeat, videtur esse damnabile; propterea enim prouidentia quadam, militãtibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quęritur, pręda grassetur, non enim ex offitio militandi, excusatur libido prędãdi, cunctis enim offitijs sacris litteris pręscribitur norma viuendi, omnis ad bene viuendum prouocatur sexus ętas, & dignitas: igitur nemo se excuset publicis actibus, nemo de occupatione militię conqueratur: Apud omnem christianum, prima honestatis, debet esse militia. Nam milites Ioanni Baptistæ petierunt dicentes, quid faciemus, & nos? Ait illis Ioannes. Neminem concutiatis neque calumniã faciatis, sed contenti estote stipendijs vestris. *De verbis domini ser. 19* *Luc. 3.*

QVÆST. DCCCCLXVIII.

AN exigere vectigal, sit peccatum.

RESPON. Publicani dixerunt Ioanni Baptistę, magister quid faciemus? At ille dixit nihil amplius exigatis, quam quod constitutũ est vobis. Non.n. dixit, nihil exigatis, sed nihil amplius exigatis, vnde intelligamus, quòd apud Deum, non tam exactio, iniqua damnetur, dicit enim ipse dominus. Reddite quę Dei sunt Deo, & quę Cæsaris Cæsari: igitur quod Cęsar pręcipit, ferẽdũ est, quod imperator indicit tolerandum est, sed fit intolerabile, dum illud pręda exactionis accumulat, vltra igitur stipendia publice decreta consequens, tamquam calumniator & concussor, Ioannis sententia damnatur. *Eod. ser.* *Luc. 3.* *Mat. 22.* *23. q. 1. militare ante medium.*

QVÆST. DCCCCLXIX.

Eod. lib. serm. 25 AN diues & pauper sint duo sibi necessaria.

RESPON. Diues & pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si inuicem se supportarent, et nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est,& pauper propter diuitem, pauperis est orare,& diuitis erogare, Dei est pro paruis magna pensare, de misericordia eius parua, magna nascitur copia, fœcundus est ager pauperum: Cito reddit dominantibus fructum, via cœli est pauper, per quā venitur ad patrem, incipe, ergo erogare si non vis errare.

QVÆST. DCCCCCLXX.

Eod. lib. serm. 28 AN christiano adulto sit bene quotidie se communicare.

RESPON. Panem nostrum quottidianum da nobis hodie: hoc docuit Christus orare quod latinus dicit quottidianū, Græcus supersubstantialem vocat, vt non intelligamus de pane materiali, sed de pane cœlesti, idest de Eucharistia, sed si iste panis est quotidianus, cur post annum illum sumas; quem iam modum in Oriente Græci facere consueuerunt; Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic viue ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere: Quomodo sanctus Iob quotidie pro filijs offerebat sacrificium, ne forte aliquid, vel in corde, vel in sermone peccassent, ergo tu audis, ꝙ qotiescunque offertnr sacrificium, mors domini, resurrectio domini, eleuatio domini significetur,& remissio peccatorum: & panem istum vitæ nostræ quottidianum non assumis? Qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste & venerabile sacramentum, panem nostrum quottidianum da nobis hodie: Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Tibi hodie est Christus, tibi hodie resurgit.

Mat. 6. *Iob. 1.*

QVAEST. DCCCCLXXI.

Eod. lib. serm. 29 INimicus spei quis est?

RESPON. Nihil certe tam inimicum spei, quàm retro respicere,

ſpicere, ideſt in eis rebus, quæ præterlabuntur, & tranſeunt ſpem ponere, ſed in his, quæ nondum datæ ſunt, ſed dandæ, quandocunque nunquam tranſibunt non ſperare. Quando autem ſcatet tentationibus mundus, velut pluuia ſodomę ſulphurea, metuendum eſt exemplum vxoris Loth. Retro enim reſpexit, & vbi reſpexit, ibi remanſit in ſalem conuerſa eſt, vt prudentes condiret exemplo, Apoſtolus Paulus de hac ſpe ſic dicit, ſpe enim ſalui facti ſumus, ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes. *Rom. 8.*

QVÆST. DCCCCLXXII.

AN liceat furari & rapere res alienas, vt ſubueniatur pauperib'

RESPON. Quidam male intelligentes dictum Chriſti, videlicet facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ideſt de diuitiis iniquitatis, rapiunt res alienas, & aliquid in pauperibus largiuntur, & putant ſe facere quod præceptum eſt: Dicunt enim rapere res alienas. Mãmona eſt iniquitatis, erogare inde aliquid maxime egentib. ſanctis, hoc ita eſt facere amicos de Mammona iniquitatis, intellectus iſte corrigendus eſt, immo de tabulis cordis veſtri omnino delendus eſt, Nolo ſic intelligatis, de iuſtis laboribus facite eleemoſynas, & ex eo quod rectè habetis date: Non enim corrupturi eſtis iudicem Chriſtum, vt non vos audiat cum pauperibus quibus tollitis. Nolite etiam velle facere eleemoſynas de fœnore & vſuris, fidelibus dico eis quibus corpus Chriſti erogamus dico: Timete, corrigite vos, facite ergo amicos de Mammona iniquitatis, ſicut fecit Zacheus, qui dimidium ſuorum bonorum dabat pauperibus, & in quadruplum reddebat, quando aliquid male acceperat, Ergo qui habetis de malo, facite inde bonum. Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. *Eod. lib. ſerm. 35. Luc. 16. Luc. 19.*

QVÆST. DCCCCLXXIII.

AN fides ſit orationi neceſſaria?

RESPON. Si fides deficit oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? vnde & Apoſtolus cum ad orandum exhortaretur ait, omnis quicunque inuocauerit nomẽ domini ſaluus erit, & vt oſtẽderet fidem fontẽ eſſe orationis, nec poſſe ire riuũ, vbi caput aquę ſiccaretur, adiũxit atq; ait. Quomodo autem inuocabũt, in quẽ nõ crediderunt? Ergo vt oremus, credamus, & vt ipſa non deficiat fi- *Eod. lib. ſerm. 36. Rom. 10.*

des qua oramus, oremus, fides fundit orationem, fusa oratio fidei imperrat firmitatem, etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea dominus ait, vigilate & orate ne intretis in tẽtationem: quid est in tentationem intrare? nisi a fide exire, in tantum enim tentatio proficit, inquantum fides deficit, & intantum tentatio deficit inquantum fides proficit.

QVÆST. DCCCCLXXIIII.

Gaudium seculi quid est.

Eod. lib. serm. 37 RESPON. Seculi lætitia est, impunita nequitia, luxurientur homines fornicentur, in spectaculis nugẽtur, ebriositate ingurgitentur, nihil mali patiantur, & videte seculi gaudium. Non castiget fames ista mala, non timor belli, non aliquis timor, non aliquis morbus non vlla aduersitas, sed sint omnia in rerum abundátia, in pace carnis, in securitate malę mentis. Ecce vide seculi gaudium, sed non cogitat Deus sicut homo, alia est Dei cogitatio, alia hominis. Magnę misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere & ne cogatur in extremo gehenna damnare, modò flagello dignatur castigare, vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna? non tamen iusto, sed peccatori, cui est temporalis pœna, ne succedat æterna, *Psal. 9.* psalmum interroga irritauit dominum peccator, exclamauit vehementer, quis exclamauit? Propheta. Quare? quia vidit peccatorem impune luxuriantem & mala alia facientem & tamen bonis abundantẽ, irritauit dominum peccator. Et præmagnitudine irę suæ non requiret, & quare non requiret? Quia est misericors, vult quidem castigare mundum, & non damnare parcendo, sęuit, & iuste sæuit. Est enim sæueritas quasi seua veritas si ergo aliquando sæuit parcendo, bonum est nobis, vt subueniat castigando.

QVAEST. DCCCCLXXV.

An Deus comprehendi ab homine possit vel ab alia creatura.

Eod. lib. serm. 38 RESPON. De Deo loquimur, quid mirum comprehendis, si enim comprehẽdis, non est Deus, sit pia confessio ignorãtiæ magis

quam

quàm temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantum te mẽ te Deũ, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile est, ad mentẽ Deus ptinet, mente intelligendus est, ad oculos corpus. Videndũ est, sed corpus oculo cõprehendere te putas? oĩno non potes. Quidquid.n. aspicis, non totũ aspicis cuius hoĩs faciẽ vides, dorsum non vides eo tpe quo faciẽ vides, & qñ dorsum vides, eo tẽpore faciẽ non vides. Non sic ergo vides, vt comprehendas: Vno.n. aspectu totũ videre non potes, & quandiu versas, vt videas oẽs partes vides partes, & cõtexendo, quia vidisti alias partes, videris totũ inspicere. Non aũt hic oculorum visus, sed memorię viuacitas intelligitur: Si igitur oculus corporis non cõprehẽdit totũ corpus suo aspectu, oculus cordis comprehendet Deũ? Minime sufficit vt attingat, si purus est oculus, si autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo, & spiritali non tamen comprehendit,

QVÆST. DCCCCLXXVI.

AN filius Dei sit minor ęterno patre.

RESPON. Non defuerunt Arriani hæretici. Dicentes minorem filium ipso patre & mentiuntur, comparant enim temporalia ęternis, & volunt eis illa assimilari, & tamen temporalia ęternis non sunt comparanda. Distant enim in infinitum: Ideo isti dicũt in creaturis, certum est quòd pater maior est filio, quia tempore prior est, prior est generator generato, sed cum temporalia non possint comparari ęternis, comparatio istorum nulla est dum volunt in generatione ęterna ita esse, sicut & in temporali, coeua vero coęternis, aliqua tenui, & parua similitudine comparari possunt. Aliud est enim coęternum, aliud coeuum, coeuos quottidie dicimus eos, qui eandem habent mensuram temporum, Non alter ab altero, præceditur tempore, ambo tamen esse cœpisse insimul, dicimus coeuos, vti ignis & fulgor, fulgor non præcedit ignem, sed ignis est, vt pater fulgoris, & fulgor vt filius: Isti duo sunt coeui, quia vt existit ignis, statim & fulgor existit, hic non est præcessio temporis, sed solum quòd ignis non est a fulgore, sed fulgor ab igne, ita hac tenui similitudine de coeuis, dicimus in diuinis, filium esse a patre, & non pater a filio, tamen vnus non præcedit alium tempore, sed ambo coęterni, posito patre, statim & filius ponitur: pater est ęternus, & filius est æternus, sed dicetur. Hac similitudine data deducitur coęterni- *Eod. li. et serm.*

coeternitas filij cum patre, sed non æqualitas substantię filij cum patre, nam ignis magis lucet, quam eius fulgor, & sic nō omni modo æqualitatem, ac si diceretur, hac similitudine manifestatur, ꝙ filius est coeternus patri, sed non æqualis, igitur videretur pater maior filio, veniamus ad similitudinem datam ab hæreticis, & sua similitudine cōfundētur, homo pater maior est homine filio, quia pater tempore pręcessit filium, non autem maior est natura, quia sunt ambo & filius eiusdem naturę & substantiæ, in substantia sunt æquales, non in tempore, quia vnus prior præcessit, in similitudine ergo temporali & hęreticorum. deest æqualitas temporis & non naturæ, & hic laudatur æqualitas naturę, in nostra similitudine data de igne, & fulgore deest æqualitas naturę, teneamus ergo hic vnum quod laudatur, idest æqualitatem naturæ scilicet in prima similitudine, in vestra similitudine teneamus quod laudatur, idest coeuitatem, & quid hic laudamus? coeuitatem; Quid deest Æqualitas naturæ? Cōiunge quę laudas, In creaturis enim deest, aliquid qđ laudas, in creatore deesse nihil potest, quia quod inuenis in creatura a creatore artifice processit: Quid ergo in coeuis? Non ne hoc Deo dandum quod ibi laudas? Quod autem deest non tribuendum maiestati, in qua nullus defectus est. Non negatur, quod de hoīe natum, nō sit homo, & qđ de Deo natum est, non id erit quod ille, de quo natum est? taceant igitur hæretici, & catholici, confiteātur patrem & filium & Spiritum .S. esse vnius substantiæ, & quòd Christus sit æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.

QVÆST. DCCCCLXXVII.

Tortores animæ quot sunt.

Eod. lib. serm. 42 RESPON. Tota quippe ista vita intelligentibus tribulatio est, sunt enim duo tortores animæ non simul torquentes, sed cruciatus alternātes, horum duorū tortorum, nomina sunt timor & dolor quando tibi bene est, times, quando male est; doles: seculi huius, quem non decipit prosperitas, quē non frangit aduersitas.

QVÆST. DCCCCLXXVIII.

CARO vnde incipit concupiscere?

RESPON.

RESPON. Adam trangreſſo pręcepto, cœpit caro concupiſce re aduerſus ſpiritum & hoc in bonis cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, nam in malis non habet contra quem concupiſcat, ibi enim concu piſcit aduerſus ſpiritum, vbi eſt ſpiritus. Quod enim ait Apoſtolus, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnẽ, noli putare ſpiritui hominis, tantunddem datum, ſpiritus Dei eſt, qui pugnat in te aduerſus te, aduerſus illud quod eſt in te cõtra te Noluiſti enim ſtare ad dominum, cecidiſti, fractus es, & quia fractus es, ideo aduerſus eſtibi, ideo es contra te: nihil ſit in te contra te, & integer ſtabis. Hoc officium prӕliandi & concupiſcendi cõtra carnem, ad Spiritum. S. pertinet, dicente Apoſtolo. Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis, in homine etiam inuenitur ſuus ſpiritus, quo viuit corpus, ſed de hoc nõ intelligit Apoſt. cum ſequatur his verbis, quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hij ſunt filij dei, agis ſi agaris, & bene agis, ſi a bono, agaris. Redẽptor enim dedit dei ſpiritum tibi, quo facta carnis mortifices.

Eod. lib. ſerm. 43

Gal. 5.

Rom. 8.

QVÆST. DCCCCLXXIX.

LIberari quot modis dicitur.

RESPOND. Et veriras liberabit vos, ſi non delectat veritas, delectet libertas, in conſuetudine latinӕ linguӕ, liberari duobus modis accipitur, & maxime in eo conſueuimus audire hoc verbum; vt quicunque liberatur, intelligatur euadere pericu lum, moleſtiis carere, liberari autem proprie dicicur liberum fieri. Quomodo ſaluari ſaluum fieri, ſanari ſanum fieri, ſic liberari liberum fieri, ideo dixi, ſi non delectat veritas, delectet libertas. Hoc in greca lingua euidentius ſonat, & non poteſt aliter intelligi, & quòd ita ſit, audi dominum loquentem cum iudeis, cui reſponderunt, nos nemini ſeruiuimus vnquam, quomodo dicis, veritas liberabit vos, ideſt veritas liberos vos faciet, liberos quidem faciet a peccato, quod ſubiugo ſeruitutis ponit, omnis enim qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.

Eod. lib. ſerm. 48

Ioan. 8

QVAEST. DCCCCLXXX.

AN ſimilitudo rei capiat nomen cuius eſt ſimilitudo.

RESPON. Miſit deus filium ſuum in ſimilitudinẽ carnis peccati, ſi ergo ſimilitudo carnis erat peccati, iam non caro peccati,

Eod. lib. & ſerm.

Rom. 8.

quomodo vt de peccato, damnaret peccatum in carne? Solet similitudo capere nomen eius rei cuius est similitudo, homo verus dicitur homo, sed pictus, dicitur homo, & est tantum similis, peccatum ergo appellata est caro habens similitudinem carnis peccati, vt esset sacrificium pro peccato, idem Apostolus alio loco, eum qui
2.Cor.5. non nouerat peccatum, fecit peccatum, pro nobis. Dicebatur etiam
Leuit.4. sacrificium pro peccato, peccatum in veteri testamento.

QVÆST. DCCCCLXXXI.

Mala consuetudo peccandi, quot progressibus perficitur.

Eod. lib. serm. 44 RESPON. Tanta in sodommitis nephandæ turpitudinis consuetudo erat, vt iam nequitia esset iustitia, & prohibitorum potius reprehenderetur, quam factor, tales consuetudine maligna
Ioan. 11 pressi, tamquam sepulti sunt, ita sepulti, vt de Lazaro dictum est, iã putet, moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima nec resurgere, nec respirare permittitur: dictum est autem, Quatriduanus, est reuera ad istam consuetudinem de qua loquor, quarto quodã progsessu peruenit anima, prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo, sunt enim qui res illicitas obuias cogitationibus suis prorsus ita abijciunt vt nec delectẽtur, sunt qui delectantur, & non consentiunt. Nondum perfecta mors est, sed quodammodo inchoata, delectationi accedit consensio, iam est illa damnatio, post consensionem in factum proceditur, factum in consuetudinem vertitur, & fit quædam desperatio, vt dicatur. Quatriduanus est, iam putet.

QVAEST. DCCCCLXXXII.

Eod. lib. Virgo an maritata, quæ earum in regno cœlorum tenet maiorem locum.

serm. 53 RESPON. Minorem enim locum habebit mater in regno cęlorum, quoniam maritata est quam filia quoniam virgo est, maiorem enim locum filia virgo, minorem locum mater maritata, ambę tamen ibi, quomodo fulgida stella obscura stella, ambę tamẽ in cœlo, si vero maritata fuerit humilis, & virgo superba, illa habebit qualemcumque locum, ista nullum locum in cœlo.

QVAEST.

QVÆST. DCCCCLXXXIII.

PAx quid eſt.

Respon. Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis amoris vinculum, conſortium charitatis, hæc eſt quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, comprimit iras, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placita. Non quærit alienum, nihil deputat ſuum, docet amare, quæ odiſſe non nouit, neſcit extolli, neſcit inflari. Hanc ergo qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui ammiſit exquirat, quoniã qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur a patre, exheredatur a filio nihilominus & a ſancto ſpiritu alienus efficitur. *Eod. lib. ſerm. 57*

QVAEST. DCCCCLXXXIIII.

QVot ſunt quæ occidunt animas;

Respon. Nemo ſit ſollicitus, quòd aliquid ei non dimittatur, ſed iterum nemo peruerſe ſit ſecurus, iſta enim duo occidunt animas, aut deſperatio, aut peruerſa ſpes, de his duobus malis pauca audite. Nam ſicut liberat bona ſpes, & certa ſpes, ita decipit peruerſa ſpes, prius attendite, quemadmodũ decipiat deſperatio, ſunt homines cognoſcentes ſe pondere peccatorum grauatos putant non ſibi poſſe ignoſci, & ideo dicunt, obediamus ſenſualitatibus, quia non eſt nobis locus ignoſcendi. Attendamus ad temporalia, cum non meremur pręcipere ęterna. Talia dicentes deſperando pereunt, talium ſunt aliqui audiẽtes Prophetã Ezechielem dicẽtẽ, in quacunque die conuerſus fuerit homo a via ſua peſſima, oẽs iniquitates eius obliuiſcar, non amplius in deſperationẽ perueniunt, ſed in peruerſam ſpem cadunt, dicunt enim ſi quotiẽcumquẽ me cõuetero parcet Deus, ſine me vſque ad vltimum vitæ meę delectari in his vanitatibus, dicam poſtmodũ in fine peccaui domine miſerere mei. Miſericors eſt, & ideo parcet. Audi quæſo licet Deus tibi promiſerit indulgentiam, cum fueris conuerſus, ſed craſtinum diem non promiſit, ideſt vt viuas, vſque ad craſtinum, quid ſi hodię morieris, & non cras? Accellera ergo emendationem & ne differas de die in diem, ſpes tua non ſit peruerſa ſi aĩam tuã non vis occidere, confide de indulgentia Dei, ſi non vis animam occidere. *Eod. lib. ſerm. 59* *Ezec. 18*

QVÆST.

QVÆST. DCCCCLXXXV.

De verbis Apostoli sermone 5.

DIfferunt ne non concupiscere, & post concupiscentias non ire. RESPON. Si concupiscis quod lex vetat, cum dicit nõ concupisces, seruas tamen aliud, quod item lex iubet, post concupiscentias tuas nõ eas mente spiritalis, carne carnalis. Aliud est enim non concupiscere, aliud post concupiscentias suas non ire: Non concupiscere omnino perfecti est, post concupiscentias suas nõ ire pugnantis est, luctantis est, laborantis est: Vbi feruet pugna, quare desperatur victoria? Quãdo erit victoria? Quando absorpta fuerit mors in victoria, idest in resurrectione, tunc enim erit vox triumphantis, non sudor pugnantis.

QVÆST. DCCCCLXXXVI.

Eod. lib. serm. 6.

QVid est illud peccatum a quo oriuntur omnia peccata. RESPON. Iam non ego operor illud inquit Apostolus, sed quod habitat in me peccatum, quia non mente operabatur cõsentiendo, sed carne concupiscendo. Hoc enim peccati nomine appellat, vnde oriuntur cuncta peccata, id est ex carnali concupiscentia. Quidquid enim est peccatorum, in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur, nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione. Huic ergo illicitę delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore.

QVÆST. DCCCCLXXXVII.

AN natura humana post peccatum sit idonea ad se sanandum per liberum arbitrium.

Eod. lib. serm. 13.

RESPON. Idonea fuit humana natura vulnerare se per liberum arbitrium, sed iam vulnerata & sauciata, non est idonea per liberum arbitrium sanare se.

QVÆST. DCCCCLXXXVIII.

AN mediator sit vnius vel plurium.

RESPON.

RESPON. Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt. Quid eſt mediator vnius non eſt? Quia inter duos vtiq; mediator eſt: Si vnus eſt Deus, & mediator non eſt vnius, inter quid & Deum quærimus mediatorem, quia mediator vnius nõ eſt, Deus autem vnus eſt. Hoc explicat Apoſtolus dicens: Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſi non iaceres, mediatorem neceſſarium non haberes, quia vero iaces & ſurgere non potes, mediatorem quodammodo Deus tibi porrexit brachium ſuum. *Eod. lib. & ſerm. Gal. 3. 1. Tim. 2*

QVAEST. DCCCCLXXXIX.

QVid contulit Paulus in areopago cum epicureis & ſtoicis.

RESPON. Stoici & epicurei contulerunt cum Paulo ſecũdum carnem viuentes & Paulus contulit ſecundum Deum viuens, dicebat epicurus. Mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Stoicus, mihi frui mea mente bonum eſt: Dicebat Apoſtolus. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, dicebat Epicureus, beatus cuius eſt in fructu, voluptas carnis eius, dicebat Stoicus: Immo beatus cuius eſt in fructu virtus animi eius: Dicebat Apoſtolus, beatus cuius eſt nomen domini ſpes eius, & quia illi vani ſunt, mentiuntur, & non reſpexit inquit in vanitates & inſanias mendaces. *Eod. lib. & ſerm. Act. 17. Pſal. 39*

QVÆST. DCCCCXC.

PIgnus & Arra quomodo inter ſe differant.

RESPON. Pignus eſt enim quãdo ponitur, cum fuerit res ipſa reddita, pignus auffertur, Arra autem de ipſa re datur, quæ dando promittitur, vt res quando redditur, impleatur quod datũ eſt, non mutetur. *Eod. ſer.*

QVÆST. DCCCCXCI.

QVare de iuſto, ideſt baptizato naſcatur peccator, ideſt infans cum peccato originali.

RESPON. Miraris quare peccator naſcatur de ſemine iuſti, nen te delectat mirari, quare oleaſter naſcatur de ſemine oliuę. Accipe aliam ſimilitudinem, iuſtum baptizatum pone granum purga *Eod. lib. ſerm. 14*

tum.

tum. Non attendas quia grano purgato, frumentum cum palea na ſcitur, ſine qua ſeminatur, deinde cum ſit in propagine natorũ generatio carnalis in propagine renatorum generatio ſpiritualis, vis vt de baptizato baptizatus naſcatur, cum videas de circunciſo non naſci circunciſum, ita de baptizato non naſcitur baptizatus, quia nemo renatus, antequam natus, naſcitur ergo infans peccator de illa maſſa corrupta proueniens, licet pater ſit baptizatus.

QVAEST. DCCCCXCII.

AN infantes baptizati connumerentur inter fideles, licet ſint ſine vſu rationis.

Eod. lib. & ſerm. RESPON. Vtique Chriſtus prodeſt paruulis baptizatis, prodeſt ergo non credentibus? Sed abſit, vt ego dicam, non credentes infantes, iam aliàs dixi infans credit in altero, qui peccauit in altero, dicitur, credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur: Hoc habet authoritas matris eccleſiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon, cõtra hoc robur contra hunc inexpugnabilem murum, quiſquis arietat ipſe confringitur.

QVAEST. DCCCCXCIII.

AN infantes ante octauum diem poſſint baptizari.

Eod. ſer. RESPON. Sanctus Cyprianus reſpondet ad hoc & dicit: Neminem putamus ad gratiam conſequendam impediendum eſſe a lege quæ iam inſtituta eſt nec ſpititalem circunciſionem impediri carnali circunciſione, quæ ante diem octauum non fiebat, debere, ſed omnem omnino admittendum eſſe ad gratiam Chriſti, ſi graues peccatores adulti, cum crediderint, admittuntur ad baptiſmum quocunque tempore, quanto magis non debet prohiberi infans, qui recens natus, nihil peccauit, niſi quod ſecumdum Adam contraxit:

QVÆST. DCCCCXCIIII.

CIrcunciſio quare octauo die dabatur.

Eod. lib. ſerm. 15 RESPON. Quare ergo octauo die? Quia in hebdomadis, idem primus, qui & octauus, completis enim ſeptem diebus reditur

tur ad primum, finitus septimus, dominus sepultus, reditur ad primum, dominus resucitatus Domini enim resurrectio, promissit nobis æternum diem, & consecrauit nobis Dominicum diem, qui vocatur Dominicus, ipse videtur proprie ad dominũ pertinere, quia eo die dominus resurrexit.

QVÆST. DCCCCXCV.

AN interrogatiue vel affirmatiue sit accipiendum illud dictũ qui fecit te sine te.

RESPON. Qui fecit te, sine te, non te iustificat sine te, ergo fecit nescientem iustificat volentem, his verbis clare ostenditur, affirmatiue prænuntiandum. *Eod. ser.*

QVÆST. DCCCCXCVI.

AN in Paradiso erit nobis orandi locus.

RESPON. In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi nullus locus erit? Quia nihil deest, quod hic creditur, ibi videtur, quod hic speratur, ibi tenebitur, qđ hic petitur ibi accipitur, perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quã sancti martyres peruenerũt, ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum martyres eo loco recitantur, ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cœteris autem comemoratis defunctis oretur, iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari, certauit enim contra peccatũ vsq; ad sanguinem. *Eod. lib. serm. 17*

QVÆST. DCCCCXCVII.

AN corpora nostra sint membra Christi.

RESPON. Christus caput nostrum est eo, quod homo factus est, propter nos caput de quo dictum est, ipse Saluator corporis nostri, corpus autem eius ecclesia est, si ergo dominus noster Iesus Christus, tãtummodo animam humanam susciperet, mẽbra eius non essent nisi animæ nostræ, quia vero & corpus, suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima & corpore constamus, profecto illius membra, sunt & corpora nostra. *Eod. lib. serm. 18*

QVÆST.

QVÆST. DCCCCXCVIII.

Eod. lib. serm. 19

QVomodo resurrectio nostra manifestatur? RESPON. Tota huius mundi administratio, testimoniũ est resurrectionis futuræ: Videmus certe hyemis tempore, vel aduẽtu arbores spoliari pomis nudari folijs. Sed eas rursus verno tempore, spetiem resurrectionis exprimere, quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis dehinc ornari in floribus, vestiri & folijs, & postmodum pomis grauari. Dic mihi vbi latitant, antequam producantur, quæ nusquam quidem vidẽtur, sed tamen Deus, qui omnipotens est & ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit. Hinc iam ad campos & prata respicite, quæ ęstate transacta herbis suis, ac floribus spoliantur, & nuda remanent ipsa spacia terrarum, sed iterum verni tempore reuestiuntur, & nouo vbique germine incipiẽte lætatur agricola. Certe herba quæ ante vixit & moritur, rursus reuiuiscit ex semine, sic etiam & nostrum corpus reuiuiscet ex puluere.

QVAEST. DCCCCXCIX.

De verbis Apostoli sermone 29

QVod est initium bonæ vitæ, cui debetur vita ęterna? RESPON. Initium bonæ vitæ, cui debetur vita æterna, recta fides est. Est autem fides, credere quod nondum vides, cuius fidei merces, est videre quod credis, tempore igitur fidei, tanquam tempore sementis, non deficiamus, & vsque in finem non deficiamus, sed perseueremus, donec quod seminauimus metamus.

QVÆST. MILLE.

Eod. lib. & serm. Psal. 31

AN aliud sit ratio, & aliud sit intellectus? RESPON. Nolite esse sicut equus & mulus quibus non est intellectus, sed aliud est intellectus, aliud ratio, nam rationem habemus & antequam intelligamus, sed intelligere non valemus, nisi rationem habeamus, est animal rationis capax, verum vt melius & citius dicam, animal rationale cui natura inest ratio, & antequam intelligat, iam rationem habet. Nam ideo vult intelligere, quia ratione præcedit.

QVÆST.

QVÆST. M. I.

AN iurare sit licitum.

RESPON. Deus iurat, per me metipsum iuro dicit dominus, homo per Deum iurat, Deus vero per seipsum. Non est ergo peccatum iurare, sed magis peccatum est peierare, quia ergo graue peccatum est peierare, compendium tibi dedit scriptura: Nolite iurare. Quid tibi dicturus sum homo, verum iura? Ecce verum iura, non peccas, si verum iuras non peccas. Qui enim iurat, aliquãdo verum iurare potest. Qui autem non iurat, mendacium nunquam iurare potest, cum Deus iurat, se adhibet testem, cum tu iuras, illum adhibes testem. Qui verum iurat, prope est ad peccatum, licet non peccet, qui nihil iurat, longe fit a peccato, idest a periculo periurij. Duo sunt inquit dominus, quæ non damnabo vnquã. veram iurationem, & nullam iurationem: Damno autem falsam iurationem, falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est. Quid est iurare, nisi ius reddere Deo, si per Deum iuras, ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras, ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autẽ ius debemus saluti nostrę, filijs nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, & non falsitatis? Maxime autem per Deum cum fit, ipsa est vera iuratio, quia & cum dicit quisque per meam salutem, salutẽ suam Deo obligat, quando dicit per filios meos, oppignerat Deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum, si falsum, falsum: Sic ergo resoluitur iurare verum licitum est loco & tempore, quando oportet, sed non est frequentãdum, ne ex consuetudine incidamus in periurium.

Eod. lib. serm. 30
Gen. 22.

QVÆST. M. II.

QVot sunt eleemosynæ Deo gratæ.

RESPON. Scitote quia duæ sunt eleemosynæ, vna cordis alia pecuniæ eleemosyna cordis est dimittere, idest a quo lęsus es. Nam dare indigenti, aliquando quæris & non habes, indulgere peccanti quantum volueris, redundabit tibi, potest fieri vt temporalia aliquando non habeas: Vnde pauperibus tribuas, vt autẽ omnes homines diligas, & hoc aliis quod tibi ipse velis, & inimicis

Hom. 6. lib. 50.

tuis

tuis indulgeas, nunquam te poteris excusare quia si in cellario, vel horreo non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tu potes ꝓferre, quod tribuas. Et quod oĩbus hoĩbus etiã si sola sit bona volũtas sufficiat, & elemosyna cordis fit maior multo. quam elemosyna corporalis, quis est, qui vel vmbram excusationis possit prætẽdere?

QVÆST. DDIII.

Ea. hom. QVomodo sit orandum pro inimicis.

RESPON. Fratres sic orate pro inimicis vestris. vt occidat eos Deus, idest vt eorum malitiam, quæ vobis inimicatur occidat, sic enim occidit quod creauit, sed quod ipsi sibi fecerunt, homo peccator duo noĩa sunt, in ipsis duob. noĩbus, quęre q̃d fecit Deus, quęre q̃d suaserit diabolus: Homo a Deo factus est, peccatũ suadẽte diabolo a homine factũ est. Quis horum duorũ te persequitur? Si enim tu bene viuis, non te persequitur, nisi qui malus est. Non ergo homo, sed peccatũ te insequitur. Roga pro homine ut extinguat deus peccatorem, & cum mortuus fuerit peccator nihil tibi aduersabitur.

QVÆST. DDIIII.

Hom. 7. lib. 50. AN liceat aufferre res auaris, vt subueniatur pauperibus.

RESPON. Multi sunt christiani, diuites, auari, cupidi, nõ habeo peccatũ si illis abstulero, & pauperibus dedero, vnde enim illi nihil bona faciunt, mercedem habere potero, si ego eleęmosynas dedero, etiam in hac re parcat vnusquisque animę suæ, quia huiusmodi cogitatio ex dyaboli calliditate suggeritur, nam etiam si totum tribuat quod abstulerit, addit potius peccata quam minuat.

QVÆST. DDV.

Eod. lib. Hom. 10 DIes mali quibus rebus fiunt mali?

RESPON. Dies malos duæ res faciunt, malitia & miseria, per malitiam hominum ducuntur dies mali, cęterum dies isti quãtum pertinent ad spatia horum ordinati sunt. Ducunt vices suas agunt tempora, oritur solet occidit sed iterum oritur, & occidit, veniunt tempora, transeũt tempora: cui molesta sunt tempora, si homines,

mines ſibi moleſti non ſunt? ergo dies malos ſicut dixi, duę res faciunt, miſeria hominum & malitia, ſed miſeria hominum communis eſt, non debet malitia eſſe communis. Ex quo enim de peccato Adam, omnes miſeri nati ſumus, communis eſt miſeria. Sed contra generationem, quę nos miſeros fecit, prouidit Deus regenerationem. Vnde nos a miſeria liberaret, generatio mittit in miſeriā, regeneratio deſignat ad beatitudinem.

QVÆST. M. VI.

AN merces ęterna correſpondeat operibus bonis.

RESPON. De cętero repoſita eſt mihi corona iuſtitię quā reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Reddet inquit, mihi dominus coronam. Debet ergo. Quid reddet: Reddet ergo iuſtus iudex. Non enim opere inſpecto poteſt negare mercedē, qui opus inſpicit: bonum certamen certaui dicit Apoſtolus, & hoc opus eſt, curſum conſumaui, opus eſt. fidem ſeruaui opus eſt, ſupereſt mihi corona iuſtitię, merces eſt, ſed in mercede tu nihil agis, in opere nō ſolus agis, corona tibi eſt ab ipſo, opus autem abs te, ſed non niſi ipſo adiuuante.

Eod. lib. hom. 14. 2. Tim. 4

QVÆST. M. VII.

QVę differentia eſt inter fidem chriſtianorum, & demonum.

RESPON. Demones credunt & contremiſcunt. Dixerūt enim Chriſto. Tu es filius Dei, ſed quia crediderunt, ideo ſaluabuntur? Abſit, diſcernenda eſt ergo fides demonum a fide ſanctorum, plane diſcernenda vigilanter, & diligenter. Nā & Petrus hoc dixit domino dicenti. Quem me eſſe dicitis. Tu es Chriſtus filius Dei viui, & dominus, beatus es Simon Bariona, ò domine hoc tibi dixerunt & demones. Quare ipſi non ſunt beati: Quare? Quia demones hoc dixerunt timore, Petrus amore: Ideo initium eſt a fide, ſed quali fide? Quam definiuit Apoſtolus, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, ſed fides. Dic quæ fides? Quæ per dilectionem operatur: Hanc demones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur, ſed ſoli ſerui Dei, ſoli ſancti Dei, ſoli fide filij Abrahæ, ſoli filij dilectionis, filij promiſſionis: Ideo eſt & charitas dicta.

Eod. lib. hom. 17. Iac. 2. Mar. 3. Mat. 16. Gal. 5.

QVÆST. M. VIII.

QVibus modis mandat Deus.

Ea. hom. 18. RESPON. Mandauit dominus viduę vt pasceret Helyam, sed mandat Deus miris modis, qui in cogitationibus loquitur. Di-
3. Re. 17 cimus mandasse Deum, loquēdo in corde, suggerendo quod opus erat, persuadendo quod vtile erat, rationali animę viduæ mulieris,
Ionæ 4. sic etiam in Iona Propheta legimus, quod dominus mandauerit vermi, vt roderet radicē cucurbitę, quid est, mandauit, nisi cor præparauit? inspiratione itaque domini vidua illa mulier, cor præparatum habebat ad obediendum, Talis venerat. Talis cum Helya loquebatur, q. erat in Helya vt pciperet, ipse erat in vidua vt obediret.

QVÆST. M. IX.

QVid sint quædam peccatorum species numeratę a Petro.

Eod. lib. RESPON. Deposita inquit Petrus omni malitia, & omni
hom. 20. dolo, & adulatione & inuidia, & detractione, quid est malitia, nisi
1. Pet. 2. nocendi amor? quid est, dolus, nisi aliud agere, & aliud simulare? quid est adulatio, nisi fallaci laude seductio, Quid est inuidia: nisi odium fœlicitatis alienæ? quid est de tractio, nisi mordacior quā veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno, inuidentia bono cruciatur alieno, dolus duplicat cor, adulatio duplicat linguam, detractio vulnerat famam.

QVÆST. M. X.

QVæ est misericordia perfecta in pauperes.

Eod. lib. RESPON. Perfecta est ergo misericordia fratres chariſſi-
Hom. 39 mi, vt ante occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus, non. n. est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur, sed si tacet mēdicus, loquitur pallor in facie, pene lassus, fessus est, cœlisque suspectus, festina pietas succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur domino, vendices tibi, imitare dominū Deum tuum qui pluuit
Mat. 5. super bonos & malos, & pluuiam dat, ēt si non roges, & antequam
Psal. 40 roges, imò dum dormis excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur, beatus igitur qui intelligit super egenum & pauperem.

QVÆST.

QVAEST. M. XI.

AN in vita male viuenti, pœnitenti in fine vitæ, ſecuritas dari poſſit de remiſſione.

Respon. Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate egritudinis ſuę voluerit accipere pœnitentiã, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo, fidelis bene viuens ſecurus hinc exit, baptizatus ad horam ſecurus hinc exit, agens pœnitentiam, & reconciliatus cum ſenus eſt, & poſtea bene viuens, ſecurus hinc exit, agens pęnitentiam ad vltimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit nõ ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem non poſſum. Nunquid ergo damnabitur? Non dico, ſed neſcio, non præſumo, non promitto, neſcio: Vis te de dubio liberare? vis quod incertum eſt euadere? Age pœnitentiam dum ſanus es, & ſi feceris pœnitentiam dum ſanus es, & inuenerit te notiſſimus dies, curre vt reconcilieris, ſi ſic agis ſecurus es. Quare ſecurus es? Quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo peccare potuiſti, ſi autem tunc vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu peccata, quid ergo? Duę res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut nõ ignoſcitur, quid horum futurum tibi ſit neſcio, ergo tene certum, dimitte incertum. *Eod. lib. hom. 41.*

QVÆST. M. XII.

AN ad ſacerdotes eundum ſit pro abſolutione peccatorum.

Respon. Vos qui peccaſtis, & adulterium commiſiſtis, agite pœnitentiam, qualis in eccleſia agitur, vt oret pro vobis eccleſia. Nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago. Nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago: ergo ſine cauſa dictum eſt. Quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta in cœlo, ergo ſine cauſa, ſunt claues date eccleſiæ Dei, fruſtramus euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus? Iob dicit, ſi erubui in conſpectu populi confiteri peccata, non eſt timenda erubeſcentia, proprerea Deus voluit, vt Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conſpectu populi, *Eod. lib. hom. 49.* *Mar. 18.* *Iob. 31.*

puli, maximè, quia peccatum eius cœlari non potuit, & erubeſcit ſenator, quod nō erubuit Imperator? Erubeſcit plebeius, ſiue negotiator, quod non erubuit imperator? Quæ iſta ſuperbia eſt?

QVÆST. M. XIII.

De tempore ſer. 7.

QVomodo cognoſcitur pœnitentia certa.

RESPON. Pęnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei, quando ſic pœnites, vt tibi amarum ſapiat in animo quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiſcis ad Deū, & dicis. Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci, bene tibi ſoli peccaui, quia nullus hominum ſine peccato. Deſperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro, ſerua pietatem māſuetudinis, qui tandiu ſuſpendiſti gladium vltionis. Dele numeroſitatem criminum multitudine miſericordiarum, iſta eſt vera pęnitentia, quando ſic conuertitur quis vt non reuertatur, quādo ſic pęnitet, vt non repetatur.

Pſal. 50

QVÆST. M. XIIII.

Eo. ſerm. 11.

AN Deo fuerit impoſſibile de Virgine generare Chriſtum.

RESPON. Dic tu qui es dicuſſor operum domini, quę tibi videtur virtus eminentior, partum dediſſe virgini, aut perfectum hominem creaſſe de terra? ſi contra naturam eſſe contendis, quod in myſterio redemptionis noſtræ ſine viro puella aſſeritur concepiſſe, cuius quæſo naturæ eſt, quod in parēte generis noſtri, caro ſine carne formata eſt? Quæ eſt iſta cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem poſſe de fœmina quem creditur de puluere feciſſe; & vt tibi hoc non videatur abſurdum, præter hunc legitimum humanæ conceptionis vſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies, operatam reperies trinitatem. Et prima eſt quidem, ꝙ Adam figuratus ex limo eſt, ſecunda quòd mulier formata de maſculo, tertia quæ cœleſtis eſt, quòd Chriſtus proceſſit ex Virgine, quid horum non nouum? quid horum non mirabile? quid horum ſi non fidem ſequamur, inquiſitio poterit humana complecti?

QVÆST. DDXV.

QVomodo Maria Virgo euaſit tria Euæ mala, & tria alia bona habuit.

Respon. Tria denique mala Euæ a tribus bonis Mariæ pro bantur excluſa. Nam Euę dictum eſt, in doloribus & in triſtitia pa ries, & ad virum cõuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Tribus ergo his malis ſe ſubiugant fœminæ, quæ Mariam non ſequuntur. i. dolori, triſtitię, ſeruituti. Maria autem econtrario, quam præclariſſimis tribus bonis ſublimetur, auſculta, ſalutationis Angelicę, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ, ſic enim eam legitur ſalu taſſe, Aue Maria gratia plena benedicta tu inter mulieres, cum dixiſſet aue, ſalutationem illi cœleſtem exhibuit, cum dixit gratia ple na, oſtendit ex integro iram excluſam, primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam, cumdixit, benedicta tu inter mu lieres, virginitatis eius benedictum fructum expreſſit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunque perſeuerauerit virgo, maledicta enim Eua fuerat, quam nũc credimus, per Mariam ad benedictionem glorię remeaſſe. *De tempore ſer. 15.*

QVAEST. DDXVI.

QVotuplex eſt charitas.

Respond. Charitas alia eſt diuina, alia humana, alia eſt humana licita, alia illicita: Licita humana eſt, quare vxor diligitur, illicita humana qua meretrix diligitur, vel vxor aliena, & hæc ẽt ad gehennas perducit amantem, licita humana ita eſt licita, vt ſi de fuerit reprehendat, liceat vobis humana charitate diligere vxores, filios amicos, & conciues, ſed hanc habent & infideles, quis eſt, qui non amet filios, & ſi non amaret, non eſſet numerandus inter homines. Non enim laudandus eſt, qui amat filios, ſed damnandus, qui nõ amat filios. Duæ charitates ante te ſunt, vna licita humana altera illicita, cum qua iſtarum vis manere? qui eligit manere cum licita, non manet cum illicita, non ſtant ſimul, immo ſtans cum illicita humana, nõ ſtat, nec cũ licita humana, nec ccũ diuina charita te, ſtans vero cum licita humana, poteſt ſtare, & cum diuina quæ eſt Deum amare ſuper omnia. *De tempore ſer. 52.*

QVÆST. M. XVII.

De tempore ſer. 53. — QVæ ſunt virtutes chriſtiano neceſſariæ.

RESPON. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hęc maior autem horum eſt Charitas, primum Fides catholica chriſtiano neceſſaria eſt, quia in ipſa diſtinguuntur filij Dei a filiis diaboli, per ipſam renaſcimur in baptiſmate, & ſalutem æternã impetramus, ſicut ſcriptum eſt. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Hæc porta eſt vitæ. Hæc ianua regni. Vere enim beatus eſt, qui rectè credendo bene viuit, & bene viuendo rectam fidem cuſtodit, igitur ſicut ocioſa eſt fides ſine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona ſine recta fide; poſt hanc vero Fidem Spes eſt tenenda, quę animum noſtrum ad inuiſibilia trahit, nemo igitur ſi ſit magnis peccatis grauatus deſperet, ſed ſpe certe miſericordię, indulgentiam quotidianis deprecetur lachrimis, duo agat chriſtianus, nec ſpe venie perſeueret in peccatis, nec (licet Deus peccata puniat) veniam deſperare debet, ſed vtroque periculo euitato, & a malo declinemus, & de pietate Dei veniam ſperemus: poſt fidẽ & ſpem, operibus bonis charitas, oſtendenda eſt ſine hac, nemo videbit Deum, & hæc eſt maior Fide & Spe, quia cęteris recedentib ipſa ſola permanebit, fidei enim ſuccedit ſpes, & ſpei beatitudo, charitati autem non tranſmutatio, ſed ſola reſtat perfectio.

(Margin: 1. Co. 13; Mar. 16)

QVÆST. M. XVIII.

De tempore ſer. 139. — CAlamitatum noſtrarum quæ eſt cauſa.

RESPON. Habet enim modo caro noſtra multas neceſſitates & calamitates, & vnde hoc? Cauſa peccatum eſt in quo peccauimus, & omnes ad corruptionem nati ſumus, malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt. Non enim ſine cauſa homines mala iſta patiuntur, iuſtus eſt Deus, omnipotens eſt Deus, nullo modo iſta pateremur, ſi non mereremur, ſed cum eſſemus in pœnis ad aquas venimus de peccatis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit eſſe in pœnis noſtris ſine peccatis ſuis, ſuſtinendo ſine culpa pœnam, & culpam ſoluit & pœnam, culpam ſoluit peccata donando, pœnam ſoluit a mortuis reſurgendo.

QVÆST. M. XIX.

AN tristitia secundum Deum, sit vt stercus.

RESPON. Tristitia enim sic est quomodo stercus. Stercus non loco suo positum immundam facit domum, loco suo positum, fertilem facit agrum. Videte stercoris locum ab agricola prouisum, ait Apostolus, & q̄s est qui me lætificet, nisi qui cōtristatur ex me, & alio loco. Tristitia inquit secundum Deum, pœnitentiā in salutem impœnitendam operatur. Qui secundum Deum tristis est in pœnitentiam tristis est de peccatis suis: Tristitia de iniquitate, propriam iustitiam parturit, prius tibi displiceat, quod es, vt possis esse, quod non es. Quæ secundum Deum est inquit tristitia pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur, pœnitentiam inquit in salutem. Qualem salutem? impœnitēdam. Quid est impœnitendam? Cuius te omnino pœnitere non possit. habuimus enim vitam cuius nos debuimus pœnitere, habuimus vitam pœnitendam, sed nō possumus peruenire ad vitam impœnitendā, nisi per male vitæ pœnitentiam.

De tempore ser. 151. *2. Cor. 2.* *2. Cor. 7.*

QVÆST. M. XX.

QVale officium in paschate debent facere compatres & commatres erga suos filios spirituales.

RESPOND. Admoneo vos, vt quoties paschalis solemnitas venit, quicunque viri quæcunque mulieres, de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis, fideiussores, apud Deum extitisse, & ideo semper illis solicitudinem vere charitatis impendant, & admoneant vt castitatem custodiant, virginitatem vsque ad nuptias seruent, a maledicto vel periurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non teneāt, auguria nō obseruent, philacteria & characteres diabolicos, nec sibi, nec suis, aliquando suspendant, incātatores velut ministros diaboli fugiāt, fidē catholicā teneāt, ad ecclesiam frequētius, cōueniāt contempta verbositate. Lectiones diuinas, attētis auribus audiant, peregrinos accipiant, & secundum quod ipsis in baptismo dictum est hospitum pedes lauent, pacem & ipsę teneant, discordes ad con

De tempore ser. 162.

cordiam reuocare contendant, sacerdotibus, & parentibus honorē amore verę charitatis impendant, hæc ergo omnia & his similia filios, & filias vestras admonere contenditis, cum ipsis ad æternam beatitudinem fęliciter peruenietis.

QVAEST. DDXVII.

AN ad salutem necessarium sit, credere in Deum & non tantum Deo, vel Deum.

De temp. ser. 181. RESPON. Symbolum fidei, sic incipit, credo in Deum patrē omnipotentem &c. Vide quòd dominus noster non nos iubet discutere diuina iudicia, sed credere, nec rationem requirere, sed fidē simpliciter, & immobiliter exhibere. Non dicit credo Deum, vel credo Deo, quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud est enim credere illi aliud credere illum, aliud credere in illum, credere illi, est credere vera esse quæ loquitur, credere illum, credere quia ipse est Deus, credere in illum, diligere illum, credere vera esse quę loquitur, & multi mali hoc credunt, sed nō faciunt quæ credunt: credere ipsum esse Deum, & hoc demones credunt: credere vero in Deum soli nouerunt qui diligunt illum, qui non solum nomine christiani sunt, sed & factis, & vita, quia sine dilectione fides inanis est, cum dilectione fides christiani, sine dilectione fides demonis, non sine ergo causa dixit simbolum, credo in Deum, & non Deo, vel Deum: ò quàm magnum est hoc simbolum, breue qūidem est verbis, sed magnum est sacramentis. Quidquid enim pręfiguratum est, in patriarchis, quidquid denuntiatum in scripturis, quidquid prædictum est in prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu Sancto vel de suscipiēdo omni sacramento, vel de morte domini resurrectionisque eius mysterio, totum breuiter hoc symbolum continet, & continendo habet, & confitendo.

QVAEST. DDXXII.

QVare Christus in cruce voluit mori, idest quare talē mortem elegit.

Eo. serm. 181. RESPON. Quare dominus in patibulo se pati elegerit? Ad quod tripartita ratio redditur: prima, vt Christus pro reatu mūdi redēptio daretur, & antiquus hostis velut hamo crucis pateretur,

scilicet

ſcilicet vt quos abſorbuerat euomeret, non potentia victus, ſed iuſtitia. ſecunda cauſa eſt, vt ſecutoribus hominibus, vitæ magiſteriũ præberet. Ad hoc enim aſcendit in crucem, vt nobis paſſionis, & reſurrectionis præberet exemplum. Tertia cauſa eſt ſuſceptæ crucis, vt ſuperbia ſeculi, & inflata ſapientia per crucis ſtultam vt putatur prædicationem, humiliata corrueret, & ſciret id quod ſtultũ eſt, ſapientius eſſe hominibus. Nam noluit mori lapidibus quando iudei voluerunt eum lapidare, nec quando de monte voluerunt præcipitare, ſed tranſiuit per medium illorum, & quare talibus generibus mortis noluit mori, ſed ſola crucis morte? vtique hoc fecit cauſa noſtræ ſalutis: mors enim Chriſti ſignum eſt noſtræ ſalutis, noluit ergo lapidibus mori, vel ferro truncari, quia non ſemper nobiſcum lapides vel ferrum ferre poſſumus in defenſionem noſtrã, elegit vero crucem, quæ leui motu manus exprimitur, qua & cõtra inimici verſutias munimur. Hoc enim ſigno crucis omnia ſanctificantur. Hoc ſigno crucis cũ inuocatione nominis Chriſti, omnia conſecrantur.

QVAEST. DDXXIII.

QValis eſt, natura ſancti amoris & veræ charitatis.

RESPON. Talis eſt natura ſancti amoris, & veræ charitatis, vt erogando creſcat, & quantum in alijs plus expenditur, tãtum in ſe abundantius cumuletur, cibum corporis ſi volueris egenti tribuere, ad præſens quod illi dederis, tu habere non poteris, panẽ charitatis ſi dederis centum hominibus integer manet, ſi vniuerſo mundo largiri volueris tibi nihil deficit, immo non ſolum non deficit, ſed omnium illorum quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter creſcit, verbi gratia, vnum panem charitatis habebas ſi nemini dediſſes ipſum ſolum haberes. Mille hominibus dediſti, mille panes acquiſiſti, quia tanta eſt poſſeſſio charitatis vt & ſingulis tota ſit, & omnibus integra eſſe poſſit, ergo & alijs dediſti, & tu nihil penitus perdidiſti, immo non ſolum non perdidiſti, ſed ſicut iam dixi, quidquid alijs a te collatum eſt, tu centupliciter aquiſiſti.

De tempore ser. 206.

QVÆST. M. XXIIII.

AN decimæ sint dandæ ecclesiæ.

De tempore sermo. 19. RESPON. Cum enim decimas dando & terrena & cœlestia possis munera pro mereri, quare per auaritiam duplici benedictione te fraudas? Audi ergo. Nosti, quia Dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accōmodas rerum omnium conditorem? Non eget dominus Deus, non pręmium postulat, sed honorem, nō de tuo aliquid exigit, quod refundas, primitias rerum, & decimas dignatur petere, & tu negas auare? *Exo. 22.* Audi, primitias areæ tuæ, & torcularis tui, non tardabis offerre mihi. Decima tributa sunt egētium animarum. Quid faceres, ò auare, si nouem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? vt facit quando grandines, & mala tempora mittit, & fructus terræ dissipantur, & tunc nouem partes tibi detractę sunt, quia decimam dare noluisti. Hęc enim est domini iustissima cōsuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris, scriptum est enim, hęc dicit dominus. Quia decima agri tui, primitię terrę vobiscum sunt, vidi autem, & fallere me existimastis, intus in thesauris vestris, & in domibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.

QVÆST. M. XXV.

EBrietas an sit magnum vitium.

De tempore ser. 231. RESPON. Cum enim ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile. Attamen in conuiuiis irrident eos, qui minus bibunt. Qui enim alterum cogit, vt se plusquam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret. Tantum est de corporibus nostris: sicut de terra, quæ pluuia nimis diuturna in lutum vertitur, & coli non potest vt faciat fructus, ita & corpora nostra, cū fuerint abundantiori potu inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animę necessarios, poterit exhibere.

QVAEST. M. XXVI.

AN fugienda sit familiaritas extranearum mulierum.

RESPON.

Respon. Contra libidinis impetum, apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Vnde ab omnib. Christianis, pręcipue tamen clericis, siue monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est, quia sine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam: cito dilabitur in ruinam, sed negligens quis & minus solicitus de salute animæ suę ingerit conuersari multum cũ mulieribus extraneis dicens, non timeo, conuersabor, & etiam castitatem custodiam, infelix est & nimium periculosa ista pręsumptio. Multi enim dum se putabant vincere, victi sunt, inquit ergo Apostolus, fugite fornicationem, cęteris vitiis dicit. Resistite, libidini dicit fugite, quia fuga vincitur. Nam inter omnia christianorum certamina sola duriora sunt pręlia castitatis, vbi quottidiana est pugna, & rara victoria.

De tempore ser. 250.

1. Cor. 6.

QVÆST. M. XXVII.

QVę differentia est inter verbum & vocem.

Respon. Scripturę sanctę verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus, verbum esse definiunt, ipsam cogitationem, quę adhuc intra conscientię secreta retinetur, vocem vero, per quam verbum profertur in medium, vox sonus est index cogitationis. Verbum vero ipsa cogitatio, sicut enim quando verbum corde concipimus necessaria est vox quasi quoddam vehiculum verbi, & quamlibet verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus, tamen etiam illud integrum intra nos, idest clausum a loquente transfertur, vt tamen in sua sede teneatur, ita & omnipotens pater, innotescere nobis volens sapientiam & verbũ illud, quod in principio erat Deus, apud Deum, sicut ipse testatur, Eructauit cor meum verbum bonum, beatum Ioannẽ Baptistam, quasi vocem per quam ad nos, verbum suum proferret, assumpsit. Quodquidem verbum de illa sede, ita ad nos descendit, vt in sinu, idest in profundo paterni pectoris permaneret, terrena visitans, & cœlestia non relinquens.

De Sancti serm. 20.

QVÆST. M. XXVIII.

AN per ignem purgatorij de quo Apostolus dicit sic saluus erit tamen quasi per ignem purgentur peccata mortalia.

Respon.

De sanctis ser. 43. RESPON. Multi sunt, qui lectionem istam male intelligunt putantes capitalia crimina per illum ignem transitorium debere purgari, cum talia super fundamentum superędificauerint, decipiuntur isti, quia tantum peccata minuta purgantur, & quamuis quod peius est non solum maiora, sed etiam minuta, si nimiũ plura sint mergunt.

QVAEST. M. XXIX.

QVid est peccare in Deum, & in hominem?

De sanctis ser. 47. RESPON. Aliud est in Deum peccare, aliud in hominem. Quando enim in nos peccant homines, si pœnitentibus veniam, non indulgeamus peccatum incurrimus, quando autem aliqui in Deum peccauerint, si sine discretione grādi indulgere voluerimus, participes nos eorum peccati efficimur.

QVÆST. M. XXX.

QVare Iacob dilecto Dei non manifestauit Deus viuere Ioseph, & Ioseph non misit ad patrem se viuere.

De tempore ser. 82. RESPON. Impossibile non erat, vt Ioseph quando in imperio erat, posset mittere ad patrem, vt nuntiaret de sua bona fortuna ne tantum tristaretur, cum ab eo loco vbi erat Iacob, vsq; ad Ægyptũ, vix erant trecenta miliaria, & gentes frequentissime ex Ægypto in locis illis vbi habitabat Iacob plurimi properabant, & ꝙ plus est dum venissent fratres Ioseph, pro emendo frumento, retinuit Beniamin, in vinculis posuit rubē, quæ omnia augebant Iacob dolorem & quare hoc? forsan ex crudelitate Ioseph in parentes? Absit, sed Deus occulto iudicio hæc permisit, noluit indicare Iacob, ꝙ viueret Ioseph, noluit quòd Ioseph se manifestaret patri, vt tali dolore afflictus Iacob, purgaret sua peccata, non capitalia quæ non habebat, sed minuta peccata, quibus nemo agēs hanc vitam erumnosam potest dicere non aggrauor: si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus inquit Ioannes, quia ergo non potuit Iacob esse sine istis minutis peccatis, voluit Deus ipsa parua peccata in hoc seculo tribulationis igne consumere, & hoc fuit ex Dei misericordia in Iacob.

QVÆST. M. XXXI.

AN Deus prius deserat peccatores vel peccator Deum.

RESPON.

Respond. Fideliter & firmiter credendum est, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab hominem deseratur, cum enim & semel & secundo & tertio, vnusquisque grauia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, vt conuertatur & viuat, cum vero in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur: Quis primo incidit in multa minima peccata & paruipendit, & propter horũ cumulum, in magna demum incidit, & cum venerit in profundum peccatorum contemnit, & Dei indulgentia tandem obduratur. Quomodo Dei indulgentia? quia patientiam habet Deus, expectans peccatorem vt cõuertatur: ignoras quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiã adducit inquit Paulus, sed peccator male vtens hac indulgentia, sequitur viam suam peruersam, & sic obduratur, non quòd Deus obduret, quia non prius deseruit eum, sed ipse deserto Deo, abutente etiam indulgentia Dei, venit ad cor impœnitens. *De tempore ser. 88.* *Rom. 2.*

QVÆST. M. XXXII.

QVid faciendum sit ne pereamus de via iusta.

Respon. Inquit Propheta beati omnes, qui confidunt in eo, si beati qui confidunt in eo, miseri, qui confidunt in se: Maledictus enim omnis, qui spem suam ponit in homine: Ergo nec in te, quia homo es. si enim spem tuam in alio homine posueris, inordinate humilis eris: si autem spem tuam, posueris in te, periculose superbis. Quid autem interest? vtrunque pernitiosum, nihil horum eligendum, inordinate humilis non leuatur, periculose superbus præcipiatur, ideo omnis spes auferenda est ab homine & in Deo ponenda, si non volumus de via iusta perire. *De tempore ser. 94.* *Psal. 2.* *Hier. 17*

Gratias Deo, qui nobis dedit posse, vt quęsita hæc Augustiniana iam finem sumpserunt, sunt Mille & 32. de mille 32. supersunt, Mille tamen Quæsita dicuntur, propter ea quę ex abundantiori ipsius Aug. doctrina bis repetuntur, adeo vt mille tantum remaneant.

FINIS.

Venetiis, Apud Antonium Ferrarium. 1582.

~~E n.º 17~~

A. cap. 2



colorchecker CLASSIC

calibrite